TARTU ÜLIKOOL
CENTRAL LIBRARY
1632

R
3107

F 18
R 4 X A-10601

INSTITUTUM PHARMACOLOG.-UNIVERSITATIS TARTUENSIS (Concessionis)
TARTU
ÜLIKOOLI
FARMAKOLOGIA
INSTITUUT.
XX, 508

F-18



NICOLAI LE-

ONICENI VIRI DOCTISSIMI

DE PLINII ET ALIORVM

MEDICORVM ERRORI

BVS LIBER.

Cui addita sunt quædam eiusdem autoris de

Herbis & fruticibus.
Animalibus.
Metallis.
Serpentibus.
Tiro seu uipera.

Nicoleos uere dictus, Victoria nomen
Præbet, Aristotelem uincit & Hippocratem.

EXCVDEBAT HENRICVS
PETRVS BASILEAE,
MENSE IVNIO. AN:
M. D. XXIX.

ANGELVS POLITIANVS

NICOLAO LEONICE/NO S. D.

DIctata illa tua, Nicolaë, quibus Auicennæ re/fellis inſcitiã, docesq; medicos iuniores quanta in caligine rerũ uerſentur, neſcio plus ne mihi uoluptatis an doloris attulerint. Nam & gaui/ſus mirifice ſum, res eas quibus hominũ uita ſalusq; continetur, ab eo potiſſimũ uiro editas eſſe in lucem, quem quidem ego ſemper ingenij diſciplinarumq; merito plurimi fecerim. Et indolui rurſus generis humani uicem, quod in ſe graſſari tamdiu impune triſtem hanc ignorantiã patiatur, atq; ab hijs interdum uitæ ſpem precio emat, unde mors certiſſima proficiſcatur. Quis enim nõ uideat plus eſſe à medico, quàm à morbo periculi? ſiquidem & morbus ali/us pro alio curetur, & alia pro alijs remedia afferãtur. Quod ſi te priſca illa, Nicolaë, tuliſſet ætas, in qua pro meritis præ/mia reddebantur, ne deorum quidem honoribus caruiſſes, niſi forte maius eſſe credimus, unũ aut alterũ, quod Aeſcula/pius fecit, à morte, quàm omnes pariter homines, quod ipſe facis, à mortis etiam periculo eripere. Quare perge obſecro qua inſtituiſti uia, ſcilicet ut una opera & immortalẽ tibi glo/riam parias, & omnibus uere hactenus mortalibus ægris ui/tam ſalutemq; concilies. Quod autem Plinium quoque re/darguis noſtrum, quaſi ciſthon pro hedera acceperit, in hoc ego, ut libere agam & amice, longe à te diſſentio. Nec autem uerebor eius utri patrocinium ſuſcipere audacter, qui fuerit de uita & literis tam præclare meritus, præſertim aduerſus te, hoc eſt, aduerſus eminentem philoſophum, cui nihil ueri/tate ipſa debeat eſſe antiquius. De ueſtris enim ſunt illa ſcho/lis,

Plus periculi à medico quàm morbo.

4 X A
Tartu Riiklik Ülikooli
Raamatukogu
10601
1528837923

lis, amicus Socrates, amicior ueritas, & item amici ambo, plus tamen habendum honoris ueritati. Plinius igitur, ut quidem tu ais, perinde atque Auicenna, ciſthon ab hedera non diſtinguit: errore ſiquidem ita ſit maximo, quando ci/ſthos ab hedera plurimũ & figura, & colore, & uiribus diffe/rat. Addiſq; mirandum de Plinio magis quàm de Auicen/na, quoniam græcæ linguæ peritus ſecernere à ciſſo, hoc eſt, ab hedera ciſthon debuerat. Argumentum affers, quamob/rem alteram ab altera non ſeparet, quod in libro naturalis hi/ſtoriæ XVI, capite XXXIIII, hederã diuidat in marem ac fœminã, floremq; utriuſq; ſimilem dicat eſſe roſæ ſyluestri. Tum idem libro IIII, & XX, ciſthon quoq; illã, ſub qua naſcitur hypociſthis, in marem diuidat & fœminam, mariq; roſaceũ, fœminæ album tribuat florem. Poſtremo quod etiã ciſthi huius feciſſe inter hederas mentionẽ ſe dicat. Quocir/ca ſic uideris poſſe colligere: Cum Plinius libro IIII & XX mentionem ſe de ciſtho inter hederas feciſſe doceat, cuius tamen uocabulum nuſquam ſuperius inter hederas citetur, facilis coniectura eſt ciſthon ab eo hederæ nomine compre/henſam, præſertim qui ſic hederam quemadmodum ci/ſthon in marem fœminamq; partiatur, & in hederis florem deſcribat. Iam quoniam quid tibi uideatur expoſui, quid ego contra opiner ediſſeram. Nego uſquam à Plinio inter hederas ciſthi mentionem factam, præterquã libro IIII & XX, ubi illam præclare diſtinxit ab hedera. Nam quod tibi ſumis quaſi Plinij teſtimoniũ alibi eum de ciſtho inter hede/ras locutum, hoc ego neutiquam concedo. Mihi enim ubi hoc ait, in IIII & XX ſcilicet libro, diſſerere de ciſtho ad uſ/que illam tantũ clauſulam uidetur, quæ ſic eſt apud ipſum:

„ Sub hijs maxime naſcitur hypociſthis. Poſt id autem ſta/„ tim interpungitur, ac de integro ſic uerba incipiunt. Quam„ inter hederas diximus ciſſos erithranos ab ijſdem appella/

» tur ſimilis hederæ. Nec autẽ uereor, quæ tua eſt in literis elegantia, quin figuram agnoſcas cuiuſmodi apud Ouidiũ eſt:

Quam legis à rapta Briſeide litera uenit. Et iterum:

Quam niſi tu dederis, caritura eſt ipſa ſalutem,
Mittit amazonio creſſa puella uiro.

Quod ſi illud, quam, referre ad id malis quod antegreditur, cogeris ad hypociſthida potius, hæc enim ſtat prior, quàm ad ciſthon referre. Déque hypociſthide tacet omnino ſuperius, hoc eſt, libro XVI inter hederas, cum de erithrano tamen loquatur. Quid quod nec ciſthon alibi uſquam nominat inter hederas, nec maris fœminæq; diſcrimen tam ciſthi proprium, quàm omnium planè arborum, uirgultorumq; uidetur, quod nec idem Plinius diſſimulat? Quid quod flos quoque diuerſus perhibetur, in hedera quidem maris & fœminæ concolor, in ciſtho autem planè diſcolor? Nam quod hederaceũ ſylueſtri roſæ comparat, non tam colorem inſinuari, quàm lanuginem puto qualis intra roſas eſt, unde etiam hederæ florem κνώδη Theophraſtus apellauerit. Satis igitur ut arbitror apparet, nihil eſſe quod nos fateri cogat, Plinium libro XVI, ciſthon inter hederas retuliſſe, qui tamen idem libro IIII & XX ſic hederæ ciſthon, quẽadmodum & chamæciſſon adnexuit, non quod ciſthon hederamq; eſſe idem crediderit, ſed quod eam Græci uicino, ſic enim inquit, uocabulo appellent. Quare ne quenquam ſimilitudo uocabuli falleret, ibi potiſſimum diſtinctionem adhibuit, ubi confuſionis occaſio naſcebatur. Nec eo contentus, etiam ciſthi proprietates prorſus ab hedera diuerſas adiecit. Nuſquam enim hederam ſic ante deſcripſit, ut aut maiorem thymo, aut ocymi foliis, aut poſtremo albo eſſe flore docuerit. Quamobrem quis iam dubitet ſecundum Plinium pronuntiari oportere? quem ne ſuſpicio quidem ulla iſtius erroris attingat. Illud obiter mirari me fateor, quid ita tibi in mentem uenerit,

nerit, ledon herbam, ſeu tu ladam mauis, unde & ladanum uocetur, latinam uocem arbitrari prorſus, quaſi non & Dioſcorides, & alij ueteres Græci paſſim ut patria uernaculaq; utantur tam leda Hercule, quàm & Ladano. Hæc habui mi Nicolaẽ, quæ tibi pro Plinij, uerá ne an falſa neſcio, ſed mihi tamen ueriſimilia, obijcerem: quæ ſi tibi doctiſſimo homini probabuntur, lætabor equidem latinum autorem non in eadem eſſe alea, qua barbari. Sin minus, expecto iam quid ad hæc noſtra qualiacunq; reſpondeas. Etenim cum grauiſſima ſit apud eruditiſſimum quenq; Plinij autoritas, aut non tentanda fuit, aut aliquanto fortius, quàm certe adhuc feciſſe uideris conuellenda. Vale, Florentiæ die, III Ianuarij, Anno M. CCCC. XCI.

INDEX INSIGNIVM RERVM quas uel ex professo, uel obiter tractat Nicolaus Leonicenus.

ACtea 129.
Adarce salsugo adhærens harundinibus in exiccatis paludibus 11. & 72.
Aelianus Græcus autor 261.
Aera lolium est 40. & 74.
Aëtius medicus Galeno & Paulo posterior est, magnæ tamen existimationis 58.
Alacoën alba 31.
Albugo 208.
Alcibium 22. & 81.
Alexipharmacum 288.
Alliũ theriaca est rusticorum 285.
Alsine 36. & 82.
Amaracus 31. & 32.
Ammoatis serpens 258.
Amplexicaules duæ herbæ sunt 99.
Anagalis herba 36.
Andromachus Neronis medicus 285.
Andromachi Elegi ad Neronem 298.
Andronicus libros diuisionum scripsit 67.
Antidotus quare dicatur 283.
Antidotorũ tres sunt species 287.
Apion raphani genus 60.
Arabes omnia ex Græcis hauserunt 264.
Arction 37.
Auena quæ græcis ægilops 41. & 75.
Argemata 207.
Argentum uiuum non est diuersum ab hydrargyro 130.

Argenti uiui natura 131.
Aristolochia rotunda unde 9.
Aristolochiæ nomen unde 10.
Aristoteles eruditorum eruditissimus 149.
Aristotelis locus de cane rabido emendatur 305.
Armel quid Arabibus significet 44.
Aconitum 48. & 122.
Arteria 136.
Asphalathos 31.
Aspidum tres species sunt 267.
Aspides cornibus carent 266.
Atriplex 79.
Atriplex morbos regios facit 129.
Auerrois eximius autor inter Arabes 172.
Anginæ quæ periculosissimæ 163.
Auicenna res diuersissimas coniungit 37.
Auicenna multa ex Semerione hausit 262.
Auicennæ error de ladano 15.
Auicennæ periculosi errores 301.
Auricula muris 35. & 36.

B

BAllotes marrubium nigrum est 6.
Barbarorum iudicium de eloquentibus 1.
Bardana 38.
Basiliscus 259.
Batrachij quatuor species 123.
Bdellium 29.
Betonica herba 8.
Borago 239.
Bronchus 374.
Bugloss̃a, & unde dicta 239. & 240.

C

CAeruleum medicamen quale 47.
Cachile 234.
Canes quot morbis laborent 307.
Canini dentes renascũtur etiam cõtra Plinij opinionẽ 154.
Carlina herba 226.
Carpesium 40.
Cassia fistula 217.
Castorum testes 224.
Catapotia quæ dicantur 21.
Cataputia 22.
Catoblepa 260.
Celtica nardus 41.
Cenchris serpens 269.
Centaurea & error Auicennæ de eadem 26.
Centaurium maius 61.
Centunculus 33.
Cerastis 263.
Cerebrum lenit calorem cordis 148.
Ceruorum cornua 142.
Chamelæa unde dicta 226.
Chamemelos herba quæ & parthenium 9.
Camædaphne 38. & 63. & 71.
Cicerbita 242.
Cicercia 244.
Cicuta napellum est 47.
Cilia quæ 151. & 154.
Cinnaberis uenenum 42.
Cinnaberim non esse sanguinem draconis 186. 42.
Cissampelos 36. 82.
Cissus hedera est 13. & 57.
Cisthus 13. & 57.

Clematis herba non est centunculus 33.
Cleopatræ reginæ mors 267.
Condisi Arabes uocant, quod struthion Græci 17.
Consuetudo grammaticorum summa ratio est 113.
Conuoluolum 34. & 36. & 83.
Corneola herba 116.
Coronopus 126.
Cotula uocatur quæ est parthenium 9.
Crocodilus terrestris & fluuiatilis 303.
Crocodili excrementa quare quærantur 304.
Cubebe herba apud Arabes quæ 39.
Cyclamini radix abortum facit 9. & 10.
Cypros herba quæ & alcana 35.

D

DArsisaan 31.
Dasipos est cuniculus 130. (fruticũ 3.
Dioscorides summus autor in descriptionibus herbarũ ac
Disputatio de nominibus apud medicos superuacua est 181.
Dipsas serpens 246.
Dipsas est marassus 254.
Dipsadis breuis descriptio & imago 308.
Diuisionis summum artificium est 67.

E

EChidna est quam uiperam appellamus 23.
Echios herba 22. & 81.
Elegantiæ Laurentij Vallæ 114.
Elephanti uentres 157.
Elxine herba quæ 34. & 84.
Emendatur Plinij locus de pentaphyllo 11.
Emendatur locus Plinij de tripolio 7.
Emendatur Plinij locus 73.
Empetrum 8.

Epiglossis 137.
Error Plinij in teramno & ateramno 102.
Error medicorum in cinnabari 42.
Eupatorium 18.
Eupatorium Eupatoris regis inuentum 44.

F

FAuces 164.
Ferandus insignis chirurgus 309.

G

GAlbanum 29.
Galenus præferẽdus in anatomice Aristoteli utcunq; Galeni duo fuerunt 86. (magno autori 173.
Galitrice 126.
Gallica nardus 41.
Genæ quæ dicantur 150.
Gentilis existimatus est anima Auicennæ 294.
Georgius Merula merus grammaticus fuit 90.
Glastum cuiusmodi sit 16. & 78.
Gula quæ 136.
Guttur 136. & 137. 164.

H

HAbnil quid sit in Serapione 20.
Hedera diuiditur in marem & fœminam 15.
Hedera in Cypro non nascitur 14.
Heliotropium & duo eius genera 10. & 81.
Heraclium papaueris genus 8.
Herba ferens fraga 115.
Herbarum cognitio difficillima 17.
Hercules Stroza poëta moderator gymnasij Ferrarien: 245.
Hermolaus Barbarus in anatomia non ita ut in cognitione herbarum exercitus 135.
Hermolaus Barbarus eloquentiã cum sapiẽtia coniunxit 1.
Hermolai

Hermolai Barbari immatura mors 87.
Herodotus fabulator 249.
Hydrus serpens 273.
Hypocisthis 15.

I

IEiunum intestinum unde dictum 204.
Indicum quid sit 20.
Intibus herba quæ & heliotropium 11.
Ioannes Matthæus de Grado 121.
Isatis herba quæ & glastum 16. & 78.
Ixia uenenum 223.

L

LAdanum uel ledon 13. & 14.
Lapis lazuli 44.
Lapis armenus 45.
Lasine siue lagine herba 34. & 82.
Laurentius Medices per totũ orbem omnium disciplinarũ (libros conquisiuit 1.
Lemnium sigillum 12. & 85.
Lemnia terra quæ 12.
Leoniceni liber de morbo Gallico 211.
Leucographida lapis qui & Moroxus 6.
Lichena morbus 133.
Ligus arbor quam uulgo agnum castum dicimus 31.
Ligustrum 35.
Lingua ceruina 62.
Lolium æra est 40. & 74.
Lucani locus enarratur 253. & 257. & 269. & 270.
Lunam maiorem terra falsò existimauit Plinius contra omnium ueterum opinionem 4.
Lutum sapientiæ in Auicenna 299.
Lutea herba infectiua 117.
Lysimachion herba 116.

M

Macedonicum 28.
Mahometus aboleuit omnia ſtudia ſuorum 33.
Manna 220.
Manna thuris 220.
Maraſſi ſunt uiperæ 24.
Marſi in Italia 306.
Marrubio plurimæ herbæ ſunt ſimiles 6.
Medicorum inſcitia capitalis 55.
Medicis quædam uſu ſunt nota, cæterum nominibus incognita 62.
Memite herba 119.
Mendane 238.
Meſenterion unde dictum ſit 189.
Miliaris ſerpens 269.
Milos arbor 63.
Mixa fructus 219.
Mobilia cornua armentorum in Phrygia 141.
Moly 49.
Montagnana medicus celeberrimus 44.
Montagnanæ errores 311.
Morbi canum tres ſpecies 307.
Morſi à tarantula, prouerbio dicti 132.
Mulieres quare non calueant 145.
Muralium herba 9.
Muſculus quid ſit 155.
Myoſotis eſt auricula muris 37.

N

Napellum 47. & 48. & 122.
Nicolaus v Pōtifex maximus ſummus ſtudiorū patronus 57.
Nicolaus Zoccha Venetus medicus 213.
Nicolus Florentinus medicus ſummæ autoritatis fuit 307.
Nil & nilegi herba apud Arabes eſt ea quæ ſatis dicitur 19.
Nouiſſimus in Cicerone legitur contra Gellium 113.

O

Orminos herba 6.
Oxymirſine 39.

P

Palpebræ quæ ſint 150.
Pandectarum medicinalium autor indoctus 21.
Paralyſis quid efficiat 178.
Parietaria herba quæ hodie paritaria 9.
Parthenium 9.
Pentaphyllon herba quæ 11. & 26.
Perdicium herba 9.
Perottus multis in locis Plinij paraphraſtes fuit 139.
Perottus nō indiligens autor in herbarū inueſtigatione 15.
Perſolata herba 80.
Perſonatia herba & unde 37. & 38. & 80.
Pes ceruinus 120.
Pes alacohe 119.
Pediculus uulturis 275.
Petroſelinon herba quæ 28.
Petrus Barotius Epiſcopus Patauinus 17.
Phalangion 132.
Pharynx 163.
φιλέω quid ſignificet 59.
Pici Mirandulani ſtudium 1.
Pingue quibus ſit in oculis 160.
Pinus ſtrangulatur pinguedine 97.
Piſces habere neruos 161.
Placidius grammaticus 80.
Plinius non ſatis doctus græce fuit 131.
Plinius quam ob cauſam legendus 89.
Plinius Theophraſtum non raro peruertit 100.

Plinius in agricultura Theophraſtum eſt ſecutus 74.
Plinius eaſdem res propter nominum uarietatem diuerſas credidit 16.
Plinius uicinitate nominum aliquando lapſus eſt 6.
Plinius à Barbaris non habetur in numero medicorum, ſed oratorum 4.
Plinius imitatus eſt Theophraſtum & Dioſcoridem in herbarum deſcriptione 3.
Plinius quædam ad uerbum tranſtulit in librum ſuum ex Dioſcoride 3.
Plinij errores de animalibus & metallis 128.
Plinij locus de excrementis crocodilorum reſtituitur 304.
Plinij eloquentia uſuræ fuerant Muſæ ſi uellent latine lo- (qui 110.
Plinij error in iſatide 16.
Polium & tripolij miſcuit Plinius 7.
Praſſos porrum eſt 6.
Praſſios eſt marrubium 6.
Pygmæi 303.
Pſylli in Libya 306.
Pylorus 190.

Q

QVadum appellatur barbare quod glaſtum apud eru- (ditos 16.
Quercinæ ſerpentes 247.

R

RAdicula herba 8. & 17.
Rapum terræ unde dicatur 9.
Rectum inteſtinum muſculoſum 185.
Reubarbarum quod uocamus ruponticum 27.
Ruponticum non eſt reuponticum 27.
Ruſcus 39.
Ruta ſylueſtris 44.
Rutila 132.

S

SAcharum 221.
Sagapenos 28.
Sal Indus 221.
Sal theriacus 281.
Saliunca 41.
Sambucus 129.
Sampſycus amaracus eſt 32.
Sanguis draconis 43.
Sanguinaria 127.
Saponaria herba 22.
Scea montana 32.
σχῖνος quid ſignificet 59.
Scordion quid ſit 32.
Scorodon allium ſignificat 32.
Scurtio uocatur hodie tirus in Italia 316.
Scytale ſerpens 248. & 276.
Sebram 233.
Senſuum iudicium certiſſimum eſt 65.
Serapio imitãdo male Dioſcoridem libros ſuos innumeris (erroribus oppleuit 3.
Serpillum unde dictum 273.
Siderítis 43.
Silaus 41. & 84.
Sion herba 41. & 84.
Simon Genuenſis ſimplicium bonus interpres 313.
Situla ſerpens 276.
Soldana braſſica marina eſt 234.
Spuens ſerpens 268.
Stachys herba 6.
Stercora quomodo fiant 201.
Stomachus 137.
Struthion herba 8. & 17.
Struthiocameli 145.

T

TArantula 132.
Tenue ſcamoniũ qđ fortaſſis elxine à Græcis dicitur.
Terra ſigillata 12. (34. & 83.
Theodorus Priſcianus medicus 20.
Theodorus Gaza græce latineq; doctiſſimus 108.
Theodoro Gazæ impoſuit Plinij autoritas 101.
Theriaca unde dicatur 23.
Theriaca ad ſerpentũ morſus tantũmodo accõmodat 288.
Theriaca tota corrũpitur unius adulteratæ herbæ admixtio-
Tirus uipera eſt 23. (ne 33.
Tirus eſt qui Græcis echidna dicitur 316.
Toxicon 48.
Tripolium herba 7.
Tragoriganum 224.
Trociſci theriaci qui dicantur 23.
Trociſci hedichroi 30.
Turbit 231.
Tuſcia ferax omnis generis herbarum 216.

V

VEnenum terræ quod dicant Campani 9.
Venenum ueneni remedium eſt 317.
Venena quædam per ſe ſunt, admixta tamen aliis ſunt ſalu-
Venter 156. (taria 47.
Vipera non tota admiſcetur theriacæ 312.
Viperæ natura ex Nicandro 25.
Viperæ uulua 157.
Vitulus marinus linguam ſciſſam habet 154.

Z

Zucharum candi 222.

NICOLAI LEONICENI DE C. PLINII, VIRI alioqui doctiſſimi, & plurium aliorum in re medica erroribus, ad Angelũ Politianum.



AVDEO plurimum, Angele uir doctiſſime, ſtudium meũ in refellenda inſcitia barbarorum, qui de medicina ſcripſerũt, abs te nunquã ſatis laudato uiro probari. Non enim ego id de te ſentio quod forte pleriq;, qui in ea hæreſi ſunt, hominẽ eloquentẽ non poſſe de aliis diſciplinis iudicare: quaſi earum peritia carere ſit neceſſariũ ei, qui bonarũ literarũ ac politioris humanitatis ſtudijs fuerit imbutus. Noui ego tuum perſpicaciſſimũ ingeniũ, noui feruens iam inde à puerítia ſtudiũ, non minus ad philoſophiæ doctrinam, quàm ad oratoriam atque poẽticam capeſſendam: In quibus omnibus tantum profeciſti, ut tua te patria inclyta Florentia omnium liberalium artium utatur præceptore. Nec ſanè mirandum, te unum eſſe perpaucorum qui ætate noſtra eloquentiam cum ſapientia iunxerunt, cum in eiuſdem ſapientiæ ſtudio habeas ducem ac comitem diuino uirum ingenio, Ioannẽ Picum Mirandulam noſtrum, cum quo dies ac noctes in omni doctrinarum meditatione uerſaris, ac præterea tibi omnia ad ingenue philoſophandum adiumenta ſuppeditet fauor ac gratia Laurentij Medices, maximi hac tempeſtate ſtudiorum patroni, qui miſſis per uniuerſum terrarum orbem nuntijs, in omni diſciplinarum genere libros ſumma ope conquirit, nulli ſumptui parcit, quo tibi ac reliquis præclaris ingenijs bonarũ artium ſtudia æmu-

Barbarorum iudiciũ de eloquentiæ ſtudioſis.

Ioannes Picus

Laurentius Medices.

lantibus instrumenta abundantissima paret. Audiui te referente uocẽ illam præclaram ex Laurentij ore prodijsse, optare tanta sibi abs te ac Pico nostro ad libros emendos præstari incitamenta, ut tandem deficientibus sumptibus totã supellectilem oppignorare cogatur. Cum igitur omnia & animi & fortunæ bona in te cumulatissima sint, nihil est quod, Angelo Politiano pro mecõtra barbaros pronũtiante, quẽpiam deinceps timere debeam, qui illorum patrociniũ sit suscepturus. Quod autem ut iure à me barbaros reprehendi iudicasti, ita non approbas, quod Plinium de uita ac literis optime meritũ intra eandem cum Barbaris aleam posuerim, cuius tanta sit apud peritissimũ quenq; autoritas, ut aut eam tentare non debuerim, aut si omnino cõuellendam duxeram, fortius id à me fieri, quàm adhuc fecisse uidear, oportuerit. Si me forte hijsce uerbis, ut qui mecum amice omnia potes, temeritatis atq; impudentiæ tacite accusas, qui tantæ existimationis uirum per calumniam quodammodo reprehendere quæsiuerim, habeo iam excusationem mihi ex tua epistola paratam: Fateris enim uera esse quæ in scholis nostris lectitantur: Amicus Plato, amica ueritas: sed cum ambo sint amici, pium esse ueritatem in honore præferre. Cum igitur ego ita sentirem, Plinium non minus quàm cæteros in hederæ descriptione alterius plantæ, quæ apud Græcos cisthos appellatur, nominis uicinitate deceptum: quoniam hedera à Græcis cissos dicatur, indicia non sine errore miscuisse, nolui quantum in me erat pati ueritatem ipsam in obscuro iacere. Quod autem fortius atque euidẽtius hunc à me errorem indicari oportuisse censes: Scito non fuisse tunc animi mei propositum Plinij autoritatem pessundare: Nam cum illa dictabam præcipua erat mihi contentio cum barbaris, atque ideo cum de hedera sermo haberetur, cuius naturam non satis Auicennæ cognitam fuisse probare

Laurentij Medicis præclara uox.

Cisthos. Cissos.

probare contendebam, obiter, ac ueluti quodam in transcursu Plinium quoque in aliorum mentione nominaui. Quem tamen nõ dixi unà cum Auicenna ac reliquis errasse, sed uideri in eodem cum alijs errore uersari. Vide quanto modestius de Plinio quàm de alijs tunc sim locutus, quos non uideri eodem errore deuiare, sed planè aberrare asseueraui. Quod si is mihi animus tunc fuisset, aut nunc etiam esset, Plinij errata in lucem patefacere, potuissem & tunc, & nunc quoque possem integrum de eisdem implere uolumen. Pauca tamen è multis hoc in loco censui aperienda, ut intelligas me non temerario iudicio, sed certissimis rationibus adductum, ut existimarem Plinium ita in hederæ descriptione, quemadmodum in multis alijs ad medicinam pertinentibus aberrasse.

Illud uero mihi primum tecũ conueniat, tam apud Græcos, quàm apud Latinos, atq; etiam Barbaros, DIOSCORIDEM esse summum autorem atque præcipuum, cui in herbarum ac fruticum descriptionibus fides sit adhibenda. Nam & Plinius ipse non hunc minus quàm Theophrastum in hac parte secutus uidetur, ut qui utranque linguam, & græcam & latinam nouerit, sententias integras Dioscoridis, quasi uerbum ex uerbo à Plinio translatas agnoscat. GALENVS præterea homo tum in omnium liberalium artium, tum in medicinæ præsertim disciplina præcipuus, in suo de simplicibus medicaminibus libro se à describendis herbarum imaginibus supersedisse fatetur, quoniam abunde in hoc studio fuerat à Dioscoride satisfactum. Nec Serapio Arabs herbas describere aggressus, alijs eas notis indicauit quàm Dioscorides: Quamuis & ipse nõ recte in omnibus imitando Dioscoridẽ, libros suos innumeris impleuit erroribus, quos nisi sperarem aliquando in lucẽ fore detegendos studio ac diligentia inclyti

Dioscorides.

Plinius ex Dioscoride multa mutuatus est.

præsulis Hermolai Barbari, Patriarchæ Aquileiensis, uiri omnium disciplinarum peritissimi, libentius sanè aliquanto notarem, quàm hosce Plinij in præsentiarum sim recitaturus: tum quia magis me iuuat contra homines barbaros quàm latinos agere, tum quia maior humano generi ex Serapionis insciția, quàm ex Plinio periculũ imminet: siquidem ætate nostra omnes ferè medici in simplicium medicaminum cognitione Serapionem sequuntur, Plinium autẽ nec legendum quidem existimant, quod eum in numero grammaticorum uel oratorũ, non autem philosophorũ aut medicorum habendum iudicẽt. Ego uero etsi non inficias eo, Plinium omnium doctrinarum studia excoluisse, multa tamen de quibus in suis de naturali historia libris conscripsit, non satis illi comperta atq; explorata fuisse crediderim. Ex quo illud secutum est, ut cum non ea scriberet quæ ipse nouisset, sed quæ potius à diuersis autoribus uarie scripta collegisset, sæpius diuersa pro eisdem, atque eadem pro diuersis retulisse uideatur. Quam quidem rem me tibi homini doctissimo facile probaturum spero, si paululum sepositio affectu nõ tanquam Plinij patronus, sed potius iudex hæc quæ in Plinio notaturi sumus errata diligentius perpendere atq; examinare uoluerís. Nolo tamen hoc in loco ea quæ uel ad astronomiam, aut reliquas philosophiæ attinẽt partes à Plinio tractata, ad examen rationis adducere: plura enim mihi taxanda occurrerent quàm præsenti instituto cõueniat. Inter quæ est illud unum uel maximum, quod in secundo sui de naturali historia uoluminis libro lunam terra maiorem scripto prodere non dubitauit: quam tamen Ptolemæus & plures alij astronomi insignes mathematicis rationibus, quibus nullæ possunt esse firmiores, multo minorem terra esse probauerunt. Quod etiã ex hijs quæ Plinius ipse in eodem loco conscripsit facile possit ostendi. Nam si umbra terræ, in

Serapion.

Lunam terra esse minorem.

ræ, in quã incidens luna obscuratur, uel æqualis est, uel excedit lunæ magnitudinem, alioquin enim non posset tota umbræ tenebris abscondi, eandem autem umbram à terra missam, cum sol cui se obijciens terra umbram iacit, magnitudinẽ terræ exuperet, necesse est quod & Plinius ipse ibidem confirmat in uerticem extenuari, ac figuram metæ seu turbinis inuersi accipere. Hac ratione colligitur, latitudinis umbræ lunam obtenebrantis diametrum multo minorem fieri terræ diametro: Quod si umbræ latitudo minor est latitudine terræ, eadem autẽ umbræ latitudo uel lunæ latitudinẽ adæquat, uel etiam superat, sequitur necessariò, lunam terra esse minorem. Quod uero Plinius suæ assertionis profert argumentum, fieri scilicet non posse ut totus sol intercedente luna terris adimatur, si maior sit terra quàm luna, adeo debile existit, ut quicunq; uel astronomicas, uel perspectiuas delibauerit rationes, idem facile possit infringere: Neq; enim cum sol deficit totus lunæ interuentu adimitur terris, sed pro uarietate terrarũ situs alicubi deficit totus, alicubi pars una tantũmodo, alicubi nec deficit quidẽ. Quibusdam autẽ terris deficere totum, quãuis luna sit minor terra nihil prohibet, cum ratio perspectiua probet corpora inæqualia, cuiusmodi sunt solis & lunæ, propter inæqualem à terra distantiã æqualia apparere. Quo fit, ut cum se tantam nobis luna repræsentet propter uicinitatem, quantus sol longe à nobis remotior uidetur, mirandum non sit eum aliquando totũ lunæ interuentu in aliquo terræ flexu hominũ conspectibus adimi. Sed hæc ad mathesim pertinentia omittamus, atq; ad ea ueniamus, ex quorum occasione disputatio nostra sumpsit initium: de herbis, de fruticibus, rebusq; alijs terrestribus ad medicinæ usum accommodatis agamus. Videamus nunquid Plinius in hisce omnibus cum Dioscoride, Galeno, ac Paulo, cæterisue præstantibus medicis, atq; cum ipsa

rerũ magiſtra experientia conſentiat: an, ut dici ſolet, quandoque bonus dormitet Homerus.

PRIMVMQVE ab hiſs exordiamur, in quibus uicinitas nominis quemadmodum in ciſtho & ciſſo eidem Plinio errandi præbuit occaſionem. Illud uero me iuuat, quod ad te ſcribo, quem noui non magis oratorũ ac philoſophorum, quàm etiam medicorũ noſtrorũ fuiſſe in libris aſſiduũ: hoc enim mihi futurum eſt ad breuitatem aptius, cum Dioſcoridis, Galeni, Pauliũe dicta ad probanda quæ aſſero nõ omnia ſcribere ſit neceſſariũ, quæ tu, aut quicunq; alius Angelo Politiano eruditione ſimilis, ſuis quælibet locis apud eos autores quorũ teſtimonia citauero facilime poſſit inuenire. Satis enim mihi ſit, ne ſim prolixus, uerba ipſa ſi quis legere uoluerit, ubi quærere oporteat, & autorẽ & uoluminis ordinẽ aperuiſſe. Multas herbas ac frutices foliis marrubio ſimilibus ſcribunt Dioſcorides, Galenus, ac Paulus, quas omnes Plinius nõ praſſio, id eſt, marrubio, ſed praſſo, id eſt,
Orminos. porro folia tradit habere ſimilia. Sic Orminon libro XXII dixit ſemen habere cymino ſimile, cætera porro: ſic balloten, quæ alio nomine marrubium nigrũ à ſimilitudine foliorũ appellat, Plinius lib. XXVII ſcripſit, alia nuncupatione porrũ nigrũ à Græcis uocari, ac foliis q̃ porri maioribus conſtare.
Stachys. Sic ſtachyn porri habere ſimilitudinẽ, longioribus foliis pluribusq;, lib. XXIIII notauit. Idem Plinius libro XXVII de leuce, leucoleuce aliarumq; herbarũ generibus tractans, nominis ſimilitudine ac dictionis figura deceptus, eiſdem
Leucographis leucographida quoq; annumerauit, uiſusq; eſt proculdubio leucographida herbam putaſſe, quã tamen Dioſco. Galen. & Paulus genus lapidis, quod alio uocabulo moroxus nuncupatur, eſſe teſtantur. Et ne quis forte pro Plinio obijciat, herbam etiã eſſe quæ eodem nomine cum lapide cenſeatur, eaſdem uires proprietatesq; leucographidi Plinius aſcripſit,

quas

quas in eiuſdem nominis lapide Dioſco. Galen. ac Paulus pariter retulerũt. Scribit præterea Plinius de leucographide, qualisnam eſſet ab autoribus ſcriptum non reperiſſe, cum tamen Dioſcorides, & quid ea ſit, & qualis, ſuo quinto de ſimplicibus medicaminibus libro ſatis notificauerit.

Ob eandem nominis uicinitatem polium pro tripolio, & *Polium.*
uiciſſim tripoliũ pro polio Plinius accepit. Nam libro XXI *Tripolium.*
duo polij genera deſcribit, quẽadmodũ & Dioſcorides: alterum campeſtre, alterũ ſylueſtre, foliis utrunq; cani hominis ſimilibus: At quod miraculũ in polio affert, eiuſdẽ folia mane candida, meridie purpurea, ſole occidente cærulea aſpici, hoc de tripolij flore à Dioſcoride ſcribitur. Polium uero atq; tripoliũ non modo locorũ diuerſitate in quibus utrunq; gignitur, ſed figura inſuper, atq; colore, ac proprietatibus etiã inter ſe plurimũ differunt. Polium ſiquidẽ utriuſq; generis partim in cãpis, partim in montibus naſcitur: Tripoliũ uero in maritimis tantũ locis quæ unda maris allidit. Poliũ habet, ut diximus, folia cani hominis ſimilia: unde & illi apud græcos nomen: tripoliũ foliis Iſatidis conſtat, quemadmodũ de
utroq; ſcribit Dioſcorides, & Plinius ipſe libro XXVI cõfir *Emendatur*
mat. Nã quod apud Plinium legit de tripolio, folio ſatis groſ- *locus Plinij.*
» ſiore, palmo alto, error eſt codicis: ita enim legi oportet: Tri
» poliũ in maritimis naſcit ſaxis, ubi allidit unda, neq; in mari,
» neq; in ſolo, folio iſatidis craſſiore, palmeo caule, in mucro-
» ne diuiſo. Hæc enim omnia uerbũ ferè ex uerbo Plinius ex Dioſcoride trãſtulit. Quod uero poſtea idẽ Plinius ſubiungit, hanc herbã eandem uideri quibuſdã quæ polium, miror ipſum quoq; illorũ errorem ſequi potius atq; imitari, quàm improbare atq; abijcere uoluiſſe, cum quod de tripolij flore miraculũ legitur, polij foliis aſſignauerit. Sed paruũ hoc futurum erat in uita periculũ, ſi non etiã polij uires uiciſſim tripolio aſcripſiſſet: ſcribit enim tripolij radicem dari hepaticis

in farre

in farre coctam: quod quidem tripolij remedium apud nullum grauioris autoritatis medicum legitur. Polium autem non hepatis tantum, sed omnium planè uiscerum uitijs auxiliari, autor est Galenus in octauo de simplicibus medicaminibus libro.

Heraclium. Scribit Dioscorides libro quarto, quoddam papaueris genus, quod ab aliquibus heraclium appellatur, habere folium tenue simile struthio, id est, herbæ ita uocatæ. Quia uero *Radiculã nos uocamus, autore Hermolao Barbaro.* struthion apud Græcos significat etiam passerem, deceptus nominis æquiuocatione Plinius hanc similitudinẽ ad auem potius retulit quàm ad herbam. Ita enim de heraclio libro XX scribit: Alterum est in syluestribus heraclium, foliis si procul intuearis, speciem passerum repræsentantibus. Sed qui fidem ex re ipsa habere non possit, aliquanto sanè probabilius existimet, herbam herbæ potius quàm auibus folium habere persimile.

Empetrum. Empetrum ubi nascatur, & quas habeat uires in trahenda bile ac pituita scribit Plinius libro XXVII, eodem quo Dioscorides modo, alias tamen eidem subiungit facultates, quod urinam cit, & calculos frangit, quæ à nullo alio autore de hoc empetro traduntur. Quin contrà Galenus empetrum, quod etiam prassoides appellatur, solis purgationibus VI libro utile esse testatur. At quos in altero empetro quod etiam Sarxiphages dicitur, Plinius legerat effectus, à græcis autoribus ac præsertim Dioscoride traditos, huic empetro à Sarxiphage diuerso, quod uim purgatoriã habet, nominis æquiuocatione deceptus ascripsit.

Betonica. Betonicam à Romanis dictam, à Græcis cestrum pingit Plinius folio Lapatij. Dioscorides autẽ, cui magis astipulatẽ sensus, folio Quercus. Alterã uero Betonicam quæ alio nomine Britanica appellatur, folia Lapatij habere idẽ Dioscorides tradit, ut uerisimile sit Plinium alterã pinxisse pro altera.

Parthenium

Parthenium. Parthenium scribit Plinius libro XXI apud Celsum uocari perdicium & muralium, deinde subiungit easdem parthenio, quod muralium appellatur, uires, quas Dioscorides alteri parthenio ascribit, quod chamemelon alio nomine dicitur, quoniam parum foliis & flore ab herba chamemelo differat. Hanc autem partheniũ chamemelo similem herbam nonnulli ex recentioribus medicis cotulam appellant. *Cotula.* Sed hæc parthenium non uocatur à Celso perditium atq; muralium, sed altera potius quæ helxine à Græcis, & simul perdicium, ac parthenium quoq; nuncupatur, à Latinis autem parietaria, & muralium dicitur, quia passim in parietibus seu muris nascatur. Nostro quoque æuo uulgo una litera dempta pro parietaria paritariam appellant. Hanc eandem herbam, siue muralium, siue parietaria dicatur, connumerat Celsus libro suo de medicina tertio, inter ea quæ uim habent reprimendi simul ac refrigerandi: Quæ sanè facultas ei parthenio, quæ perdicium & parietaria appellatur, nõ autem alteri quæ etiam chamemelon dicitur, ab omnibus ferè medicinæ autoribus ascribitur. Hæc enim sunt de eadem
» Dioscoridis uerba: Habent folia refrigerandi atque astrin
» gendi facultatem. Nec de ea aliter Paulus atq; Galenus tradiderunt. Ipse pariter Plinius libro XXII eandem & parthenium, & perdicium quoq; nominari confirmat.

Plinium etiam non tantum nominum, sed rerum quoq; ipsarum similitudo aliquando decepit: Nam cyclamini radicem, quæ rapum terræ propter rotunditatem dicitur, aristolochiæ rotundæ, quæ & ipsa à radicis rotunditate nomen accepit, radicem esse existimasse uidetur. Nam libro XXV, quo in loco aristolochiã quatuor distinguit generibus, eius quæ rotunda dicitur radicem scribit à piscatoribus Campaniæ uenenum terræ uocari, ac coram se contusam immixta calce, atq; in mari sparsam, continuo aduolasse pisces mira

Cyclamini radix.

b cupiditate

cupiditate, ſtatimq; exanimatos fluitaſſe. Hoc idem, ut à uiris grauiſſimis accepi, noſtro fit æuo ab eiſdē piſcatoribus, nō ariſtolochiæ rotundæ, ſed cyclamini potius radice, piſces allíciēdi atq; exanimandi cauſa. Ipſe quoq; Plinius eoſdē effectus nō ariſtolochiæ rotūdæ, ſed cuiuſdā cyclamini radici libro XXV tribuit. Aut igitur fatendū eſt duas eſſe radices quæ eoſdē præſtent effectus: quarū tamen alterā eſſe ariſtolochiæ rotundæ radicem, neq; ab aliquo autore ſcriptū reperítur, neq; experientia coprobatū: Aut illud dicendū erit, cyclaminum, qui radicem habet rotundam, quartum eſſe ariſtolochiæ genus, quo nihil dici poſſet rerum naturæ repugnātius. Siquidem inde apud Græcos ariſtolochiæ nomen, ut Dioſcorides ac Plinius ipſe teſtatur, quoniam ſit optima prægantibus: Radix uero cyclamini adeo eſt aduerſa prægnantibus, ut ſi eam mulier grauida tranſcenderit, abortum faciat, ueluti Dioſcorides pluresq; alij medici inſignes retulerunt, ac Plinius ipſe quoq; confirmat.

Ariſtolochia unde.

Quamuis plures ſint herbæ quæ circumaguntur cum ſole, Dioſcorides tamen duo facit heliotropij genera: alterum foliis ocymi, flore albo ſubrufo recuruo, ut ſcorpionis cauda poſſit uideri: unde & illi ſcorpiuri apud Græcos nomen: Alterum non abſimile foliis iuxta paludes naſcens. Plinius uero libro XXII cum & ipſe duo genera heliotropij deſcribat, in eiſdem comprehendere uidetur illam Intibi ſpeciē quæ à medicis græco nomine cichorium appellatur: Ita enim eodem libro de heliotropio ſcribit: Heliotropij miraculum ſæpe diximus, cū ſole ſe circūagentis etiā nubilo die, tantus ſideris amor eſt: nocte ueluti deſiderio cōtrahit cæruleum florem. Genera eius duo, triccocū, & helioſtrophiū: hoc altius, quanq; utrunq; ſemipedalem altitudinē non excedat. Semen in folliculo meſſibus colligitur. Naſcitur non niſi pingui ſolo, cultoq; maxime: triccocū ubiq; Si decoquatur

Heliotropium

tur inuenio in cibis placere. Quidnam aliud erit heliotropij genus, cuius flos cæruleus exiſtat, & non niſi pingui cultoq; ſolo naſcatur, quodq; ſi decoquatur in cibis placeat, præter eam quam diximus Intibi ſpeciē? Hanc tamen Dioſcorides cum de ſeride tractaret, ueluti unā eiuſdem ſeridis ſpeciē notificandam duxit, ac proprietates longe ab heliotropij uiribus diuerſas aſſignauit. Quare mirandū eſt, quo pacto Plinius hoc loco, ubi Intibū deſignare uidetur, eaſdē tamen uires poteſtatesq; ſubſcribat, quas in utroq; heliotropij genere tradidit Dioſcorides. Auget etiā illud magis admiratiōnem, quod idē Plinius Intiborū remedia, ac præſertim illius quod cichoriū à Græcis dicit, cuius flos cæruleus cū ſole circūuertit, priore in libro, ſcilicet XXI, ſuo loco notauerat, plurimū ab hijs quæ de utroq; heliotropio tradunt differētia.

Simili errore Plinius pentaphyllon atq; herbam fragaſe rentem pro eadem accepit, ac pentaphylli notas ſimul ac uires eidem herbæ præter pentaphylli nomen cenſuit aſcribendas, ſic enim libro XXV de pentaphyllo retulit: Pentaphyllum nulli ignotū eſt, cum fraga quoq; gignendo commendetur. Exiſtimarē tamen in re tam nota eſſe codicis potius quàm Plinij errorem, ac pro pentaphyllo trifoliū legi oportere: quoniā ea herba quæ fraga gignendo cōmendatur, & quæ nulli ignota eſt, non quinis ſed trinis conſtat foliis: niſi poſtea Plinius alia nomina græca ſubiungeret, atque alia afferret indicia, quæ non ſunt alterius herbæ quàm pentaphylli propria.

Pentaphyllon

Adarchen Plinius inter ſpecies harundinū libro XVI cō numerat, ubi ita ſcribit: Eſt & in Italia naſcens adarcha nomine, paluſtris ex cortice tantū ſub ipſa coma, utiliſſima dentibus. Adarchem uero Dioſcorides, Galenus & Paulus nō harundinis ſpeciē, ſed potius ſalſuginē quandā in exiccatis paludibus harundinibus adhærentem eſſe ſcripſerunt.

Adarches.

Lemnia terra. Plínius líbro XXXV inter cæteros colores natíuos lemníam quoq; rubrícam connumerat, cui ínter alía rubrícæ genera palma à ueteríbus dabatur. Hanc præterea multum ab antíquís celebratã cum ínsula ín qua naſcítur refert, nec níſi ſigíllatã uenundari ſolítam, unde & ſphragídos illí nomen fuerít apud Græcos. Hac præterea miníũ ſublíníri adulterariq;, remq; ín medícína praclaram eſſe teſtatur: Omnes enim huíc lemníæ rubrícæ facultates ſubſcríbit, quas príſci medící ín terra ſigíllata tradíderũt. Vídetur ítaq; Plínius lemníam rubrícam & lemníam ſphragída, ſíue terram ſigíllatam eandem eſſe exíſtímaſſe. At Galenus tum alíarum rerum quæ ſunt ín medícínæ uſu, tum huíus præſertím terræ ſigíllatæ dílígentíſſímus ínueſtígator, ut qui, quemadmodũ de ſe ſcríbit, longís ítíneríbus ad Lemnum ínſulam nauígauerít, ob nullam alíam cauſam, níſi ut lemníam ſphragída, & quomodo naſceretur, & qualísnam eſſet, oculís ípſís contemplaretur: alíud eſſe rubrícam lemníam, alíud lemníam ſphragída, ín ſuo de theríaca ad Píſonem líbro apertíſſíme oſtendít. Ita enim ín eodem líbro de lemnía ſphragíde, ſíue
» terra ſigíllata ſcríbit: Præſtat autem eam non appellare
» rubrícam, ſed terram: eſt enim quædam rubrica quæ ín ín-
» ſula Lemno naſcítur, qua ad alíos utímur effectus, díuerſos
» ab híjs ad quos terra ſigíllata adhíbet. In nono autẽ ſuí de ſímplícíbus medícamínibus líbro ídẽ Galenus terrã lemníã tríbus díſtíngu ít generíbus. Primũ eſt eíus quæ ſacra díceba tur, quam neminẽ præterq; Dianæ ſacerdotẽ attrectare fas erat, cuí etiã eíuſdem deæ ſignatura ímprímebatur, atq; ob
Lemnium ſigillum. íd lemníũ ſígíllum uocabatur. Secundũ eíus quæ eſt uere rubrica, qua fabrí lígnarij utebantur. Tertíũ íllíus quæ uíres habet abſtergentes: atq; ob íd erat ín uſu fullonũ præcípua. Si ítaq; ín re quam adeo curíoſe ínueſtígauít Galenus, eídẽ magís q; Plínío credere oportet, non recte Plínius quæ de terra ſígíllata à ueteríbus medícís tradíta fuerant, eadẽ lemníæ quoq; rubrícæ, quæ ínter colores ponitur, ac nõ fuit tantæ celebritatis, ut non níſi ſígíllata uẽderetur, neq; eoſdem habet quos lemníũ ſígíllum ín medícína uſus, cenſuít aſcríbenda. Et hæc quídem omnía probant Plíníũ ea quæ omníno ínuícem díſtant alíquando reí, ſæpius uero nomínís ſímílítudíne deceptum eadem eſſe exíſtímaſſe.

De cíſſo uero ac cíſtho quanquã non per uolumen, ſed per príuatam epiſtolã, ut quí nolím mihí cum homíne mihí amícíſſímo, quem colo & obſeruo, publícas eſſe de ſtudíjs contẽtíones, tuís quas mihí pro Plínío obíeciſtí rationíbus reſpondere ſtatueram. Hic tamen locus exígit, ut pluribus etiã argumentís quàm ín dictatís feceram, oſtendam Plíníũ alterum ab altera neſcíuiſſe díſtínguere. Plínius líbro XVII deſcríbens omnía hederarum genera, príma ín marem ac fœmínam díuídít, ac utríuſque florem ſímílem aít roſæ ſylueſtrí, colore floris ín mare ad purpurã accedente: Ex quo íllud íntellígí uoluít, fœmínæ florem magís albeſcere. Hæc autem maris ac fœmínæ díffereníía, floríſq; ín figura ſímílítudo, ín colore díuerſítas, neq; à Theophraſto, neq; à Dioſcoríde, neq; ab alío grauíoris autorítatis uíro ín hedera, ſed ín cíſtho planè deſcríbítur. Veriſímile ígítur eſt Plíníũ nomínis uícínítate deceptum, eo ín loco quæ de duobus cíſthí generíbus traduntur hederís tríbuiſſe. Idem Plínius líbro XII, ubí de ladano tractans, quo pacto ab hircorum barbis de-
» pectatur ínſínuat, ita ſcrípſit: Sed hederæ flore deroſo paſtí-
» bus matutínís cum eſt roruleta Cypros: deínde nebula ſole
» díſcuſſa ín puluerem madentibus uíllís adhærere, atque ita
» ladanum depecti. Poteſt ne lucídíus oſtendí Plínium pro cíſtho cíſſon, íd eſt, hederam accepíſſe? nam quís unquã retulít præter Plíníũ, quí cíſſon, íd eſt, hederam pro cíſtho poſuít, píngue íllud quod à lada herba, quæ etiã cíſthos dícítur,

Cissus. *Cisthus.*

ladanũ nuncupatur, barbis hircorũ hederã uel hederæ florẽ depascentiũ adhærescere: hoc enim de cistho siue lada, quod & ladani nomen indicat ab eadẽ herba deriuatũ, non autẽ de cisso, siue hedera Dioscorides, Galenus, Paulus, et quicunq; de ladani genitura scripserũt, uno consensu retulerũt. Quin
» Plinius ipse eodem in loco ita scribit: Sunt qui in Cypro her
» bam ex qua id fiat ladam appellant: etenim illi ladanum uo
» cant. Ac postea libro XXIIII, de eadem herba ac ladano nõ aliter scripsit, quàm supra cõmemorati uiri, hæc enim sunt
» eius uerba: Ledon appellatur herba ex qua ladanum fit in
» Cypro, caprarum barbis adhærescens. Est igitur cisthos uel lada siue ledon, non autem cissos, id est hedera, cuius flore depasto ladanum hircorũ barbis adhæresci. Quod Plinius ipse hoc in loco, libro scilicet XXIIII, planè cõfirmat, quãuis libro XII uisus sit dubitasse, utrum esset hedera uel lada ex qua in Cypro ladanũ fieret: Cuius dubitationis originẽ inde emanasse crediderim, quod aliquando ex cistho, aliquando ex lada, quoniam utroq; nomine eadem herba indicatur, ladanum colligi apud diuersos autores legisset. Ipse tamen modus, quem Plinius insinuat, quo pacto ladanum hircorum barbis adhærescat, facile ostendit fruticem uel herbam, cui pingue illud insideat humilem esse ac per terram se spargentẽ, non quẽadmodũ hedera per arbores se ab humo
» attollentem, cum ita scribat: Deinde nebula sole discussa in
» puluerem madentibus uillis adhærescere: Neq; enim barbæ hircorum hederam depascentium, quæ ut nonnullis placet ideo hedera dicitur quia edita petat, nebula in puluerẽ sole discussa maderent, nisi non cissum siue hederam, sed chamecissum potius, hoc est, hederam humi repentem depascantur. Atqui quo pacto hoc etiam in Cypri Insula fieri possit, in qua, si Theophrasto grauissimo autori credimus, nec hedera quidẽ nascatur, siquidem Cypros Insula sit ad Asiam pertinens,

pertinens, ut omnes Cosmographi cõsentiunt, nec Plinius ipse dissentit, qui etiam frustra ab Arpalo hederam in Asia satam affirmat. Vtrum uero suis temporibus in eodem cœli tractu prouenire non asserere ausus, id tantũ scripsit: hedera iam dicitur in Asia nasci. Vnde luce clarius apparet, Plinium in eundem errorem incidisse, in quem lapsus est Auicenna, cum in suo de simplicibus medicaminibus libro, herbam ex qua fit ladanũ hederæ speciem significauit. In eodẽ XXIIII libro, Plinius cum post factam de hederis mentionem, de duobus quoq; cisthi generibus scribit, ea uerba subiungit:
» sub hijs maxime nascitur hypocisthis. Ex quibus uidet innuere sub hijs quidem cisthi generibus maxime nasci hypocisthidem, sub hederis autem nasci etiam aliquando licet nõ adeo frequenter: neq; enim eo in loco, aut alibi Plinius de alijs cisthi generibus aliquid dixerat, ut id maxime ad eorũ potius, quàm ad hederarum comparationem posset referri.

Possum ergo sic colligere: hedera apud Plinium diuiditur in marem ac fœminam, utriusq; flos similis rosæ syluestri describitur eodem autore, in Insula Cypro hederæ flore deroso ladanum hircorũ barbis adhærescit, sub hederis quoq; hypocisthidem nasci aliquando significatur. Hæc autem omnia à nullo autore excepto Plinio de hederis scribuntur, aut sensu ipso siue experientia cõprobantur, sed de duobus cisthi generibus planè traduntur, atq; usu ipso ita esse cognoscuntur. Hæc igitur euidentissima sunt argumenta Plinium eodẽ cum cæteris errore deuiasse, qui cisthon à cisso, hoc est, ab hedera nesciuere secernere. Atq; hijs quidem, ut ego arbitror rationibus motus est autor libri, qui Cornucopia inscribit, uir, ut apparet, in herbarũ inuestigatione nõ indiligens, neq; omnino earũ imperitus, ut de hederis tractans, scribat cisthon à quibusdã inter hederarũ genera cõnumerari: hoc enim in Plinio est ita manifestũ, ut de eo nulla dubitatio haberi *Perottus.*

beri possit. Sed quoniã in prouerbio dicitur, si cæcus cæcum ducat, ambo in foueã cadunt, existimauit idem uir alioquin græcarum doctissimus literarum, cisthon esse arbusculam quandam à lada differentem, atq; ab illa cisthum, ab hac ladanum, id est, pingue, quod utriusq; plantæ foliis insideat appellari, cum tamen Dioscorides, Galenus, & Paulus eandẽ esse testentur cisthon & ladam siue ledon, à qua id genus odoris quod ladanum dicitur nomen acceperit.

Neq; uero in eo tantum Plinius errasse uidetur, quoniã ut supra ostendimus, res omnino diuersas pro eisdem accepit, sed ob id etiam quod easdem ob nominũ uarietatem putauit esse diuersas. Quanquã & eas quæ eodẽ nomine nuncupantur uarijs in locis tam uarie descripserit, ut quãuis eædem essent, ipsum tamen differentes existimasse iure quispiam possit arbitrari. Glasti similis herbæ plantagini succo scribit Plinius libro XXII infici uestes, idq; ei herbæ nomen esse apud Gallos. Nostro quoque æuo paucis mutatis literis guadum appellatur: At constat hanc eandem herbam à Græcis isatidem uocari. Nam Dioscorides scribit, isatidis succo uti infectores lanarum, eandemq; herbam habere folium plantagini simile, atq; à Romanis glutam uel glastum nuncupari. At Plinius libro XX isatidem tertium genus facit lactucæ sponte nascentis, quarto simili lapatio syluestri dicit uti infectores lanarũ. Quod etiam ipsum à Græcis isatidem dici idem Plinius eo in loco facile indicat, quoniã eosdem effectus quarto generi tribuit, quos Dioscorides isatidi assignat. Cum igitur Plinius nullam eodem in loco admonitionẽ adiecerit, eandem esse hanc isatidem à Græcis uocatam, quã libro XXII à Gallis glaston appellari docuerat, uidetur profecto ignorasse quam herbam Græci isatidis nuncupatione significarent: Alioqui sicuti easdem uires in quarto genere lactucæ sponte nascentis scripserat, quas in isatide

Glastum.

in isatide Dioscorides, ita eidem folia plantaginis, sicuti in glasto fecerat, designasset.

Quid quod etiã, nisi mẽda sit codicis, quæ à Græcis dicatur isatis, radiculã à Latinis uocari, ac foliis oleæ cõstare scribitur eiusdem Plinij libro XIX, ac postmodũ eandem radiculam non isatim, sed struthion potius ab ijsdem Græcis appellari, eiusdẽq; ramos tingẽtibus præparari, libro XXIIII insinuat. Quænam igitur hæc erit nominũ ac rerum ipsarũ confusio? si eadem herba aliquando glasti, aliquando radiculæ, aliquando isatis, aliquando struthij nomine in Plinio legatur? & nunc oleæ, nunc plantaginis, nunc uero lapatij folio describatur? Non ab re itaque uenerandus antistes Petrus Barotius episcopus Patauinus, quemadmodũ in omnium bonarum artium disciplina eminentissimus, ita in hac quoque medicinæ parte neq; ipsis medicis inferior, herbarum notitiam nostris temporibus penè impossibilem arbitratur: quoniam prisca earum nomina sunt nobis ignota. In nulla uero tam manifesta indicia ab antiquis tradita habemus, quin totidem ex aduerso in contrariam possint auferre sententiam, siue hæc aut tradendi, aut discendi herbarum scientiam difficultas inde habeat originem, quod uarijs anni temporibus herbæ faciem cum ætate commutent, siue quod earum colores atq; figuras non tam facile sit homini describere, quàm naturæ pingere atq; formare. Hinc illa autorum in eisdem notificandis dissensio, hinc illa nominum ambiguitas, ut ferè maior pars medicorum nesciat quid struthij, quod Arabes condisi appellant, quid eupatorij, quid centaureæ maioris, quid alsines, quid oximirsines uocabulis antiqui autores significare uoluerint: Qui uero sese scire opinantur, illi etiam in maiori errore uersentur. Nam cum seculum nostrum ab Hippocrate, Dioscoride, Galeno, atq; omni uetere medicina ad garrulas quasdam,

Struthion.

Petrus Barotius.

Herbarum cognitio difficilima.

dam atq; ſophiſticas diſputationes declinauerit, multa nos latẽt, quæ ſi ueterũ libros ita legendos cẽſeremus, ſicuti Calculatores, Iacobos, Conciliatores, Plusquàmcõmentatores, reliquoſq; huiuſcemodi autores, in quibus plurimum oſtentationis, minimum utilitatis, non ignoraremus. Neq; enim impendio arduum eſſet, ſi non omnia, ſaltem earum pleraq; cognoſcere, quæ adeo familiaria ſunt, ut non modo ad medicinam, ſed ad alios quoque uſus aliquando adhibeantur, quemadmodũ de oximirſine atque aretio ſumus indicaturi: Nam cum hæc, atque alia ſimilia nomina plurimum ſint ab illis, quibus hodie in iiſdem rebus ſignificãdis utimur differentia, hinc plerunque accidit ut cum eadem in ueterum libris lectitantur, aut medicamina peregrina, aut à communi uſu remotiſſima eſſe putentur, cum tamen nemo ſit qui illa in horto ſuo non habeat, ac non eiſdem frequentiſſime utatur, non ſine omni tamen periculo, cum quis eis aliter utitur quàm priſci medicinæ autores ſtatuerũt. Siquidem quid ipſi de huiuſmodi rebus ſenſerint coniectare non poſſumus, quarum nomina apud eoſdem uſitata ignorentur: tum uero maxime, ut diximus, aberratur, cum quiſpiã ſe noſſe exiſtimat quid aliquo nomine ab antiquis indicetur, quod tamen ſub alia ab eiſdem nuncupatione comprehenditur, quemadmodũ in eupatorio, centaurea maiore, argemonio, ac pleriſque alijs plantis contingit, pro quibus diuerſæ ab hijs, quas eiſdem uocabulis antiqui deſignarunt, quotidie à noſtræ ætatis medicis recipiuntur. Quibus tamen non adeo Plinius quàm Arabes autores, qui & ipſi alius aliter de eadem re tradiderunt, errandi occaſionem præſtiterunt.

Eupatorium. Auicenna ſcribit eupatorium habere folia canabis, florẽ nenufaris. Meſue idem eupatorium folijs centaureæ minoris, floribus ſubcitrinis, longitudinis paucæ conſtare. Serapio

pio folijs pentaphyli aut canabis, florem autem non explicat. Fortunatũ eſſe oporteat qui diuinare uoluerit, quisnã horum ueriora retulerit: ac quod medicus ille precabatur, qui medicinam ſorti commiſerat, dij ſua cuique remedia quibus illa extraherentur ſecundarent, itidem à nobis orandum, ut bona fortuna in uerum incidamus autorem. Bene tamen ſe res habet, quod ea de qua paulo ante loquebamur iſatis non eſt ſicuti eupatorium in medicina frequens: neque enim de ea minus quàm apud Plinium legitur uaria à noſtris traduntur, qui Arabes autores ſequuntur, quibuſq; maxima ætate noſtra fides adhibetur in exponendis uocabulis, medicamina quæ in libris ueterum medicorum leguntur ſignificantibus. Hanc à Græcis iſatidem herbam appellatam Arabes Nil atque Nilegi appellant: Licet hoc & Simon Genuenſis, & autor Pandectarum, & Conciliator in expoſitionibus Dioſcoridis ignoraſſe uideantur. Nam Simon iſatidem nunc ſine h aſpiratione, nunc cum h aſpiratione ſcribit, & aliquando oſatim, aliquando iſatidem uocat. Siquidem in litera I refert Dioſcoridis de iſatide uerba, neque ut in alijs, quorum certiorem habet ſcientiam admonet, iſatidem eandem eſſe quæ Nil ſiue Nilegi ab Auicenna atque Serapione appellatur: quin Nil herbam Arabice dictam, neſme Græce, uon autem iſatidem uocari aſſeuerat. Atqui facile erat aduertere, quod ea quæ de iſatide ſatiua & ſylueſtri à Dioſcoride ſcribuntur, eadem ferè omnia de Nil ſiue Nilegi à Serapione atq; Auicenna traduntur. Quanq; & hij ambo autores hanc herbã ipſam, quæ à Græcis iſatis diceretur, nõ ſatis nouiſſe uideantur, alioquin non ita uarij atq; ancipites in eadem referenda fuiſſent. Serapio quidem nigel ſuam, quam pro iſatide poſuit, quamuis ex ſententia Dioſcoridis eandem deſcribat, affert tamen & aliorum autorum *Nileg.*

sententias, quorum aliqui Nileg habere florem coriandri dixerunt, aliqui folio phaseolorum constare: Quas quidē opiniones facile improbare potuisset, si herbam ipsam non tam ex aliorum scriptis, quàm ex seipso cognitam atq; perspectam habuisset.

Serapio granum indicū. Idem Serapio plantam quæ Habnil, id est granum indicum gignit, scribit esse similem plantæ leblb, id est inuoluolo siue uolubili, ut uocabulis utar apud medicos nostros usitatis, ac ramis præterea foliisq; uiridibus, flore in cuiusq; folij radice purpureo constare, pluraq; alia eiusdem plantæ addit indicia: quæ planè ostendunt eam esse omnino ab isatide differentem. Hinc ortus est Simonis error, qui de
» Nil in litera N ita scripsit: Nil arabice est indicum, quo
» panni tingūtur, & est succus plantæ similis uolubili, semen
» eius inter laxatiua ponitur. In quibus uerbis si Simon illud indicum innuat, de quo Dioscorides, Galenus & Paulus tradiderunt, multiplex est mendacium: Neque enim indicum est herbæ succus, uerū, ut scribit Dioscorides libro

Indicum. V, & Plinius quoq; idem retulit libro XXXV, indicum est duorum generum: Alterum, quod fit arundinum indicarū spumæ adhærescente limo: alterū ex purpuræ spuma in purpurarijs officinis cortinis innatante. Si uero ita indicum accipiat, ut nos uulgo uocare cōsueuimus succum quendam herbæ, quæ à Græcis isatis, à nostris guadum, ut antea docuimus uocitatur, quod indicum dixerit herbæ succum nō sanè à uero dissentit: At quod ea herba ex qua is succus exprimitur, qui indicum appellatur, sit inuoluolo similis, tam

Theodorum istū nuper eruditū à nobis paulo post publico donabimus. est in propatulo falsum, ut improbatione non egeat. Idem Simon in litera H refert ex sententia THEODORI Prisciani, isatim esse rubeam tinctorum. Postmodum in litera O dicit osatim, ut Macer scribit, esse gratam tinctoribus herbam. Quæ dicta tam uaria non paruā fidem faciūt,

ignorasse

ignorasse Simonem quid apud Græcos isatis, & quid apud Arabes Nil significaret. Quanquam in hoc postremo Simoni sit ignoscendum: Nam & Arabes ipsi de eadem Nil sibi non constant, quemadmodum ex scriptis Serapionis probauimus. Auicenna quoq; quāuis uires potius ac proprietates plantarum enarrare, quàm earum effigies indicare studuerit, cum tamen ipse quoque de eadem isatide tribus in locis sub Nil uocabulo scribat, merito suspicionem affert, se etiam titubasse, atq; ancipitē fuisse, quidnam esset isatis: Nam in litera N eadem de Nil scribit quæ de isatide Dioscorides: quoniam eodem modo diuidit in satiuam atq; syluestrē, atq; easdem ferè uires ac proprietates herbæ
» Nil tribuit, quas isatidi Dioscorides. Sed rursus idem Auicenna in litera G ita scribit: Guasmein est folium Nil. Et quædam alia subinfert, quæ in litera N de eodem folio declarauerat. Vnum tantummodo addit, quod capillos inficit: Non tamen in hijs neque à seipso, neque à Dioscoride multum Auicenna dissentit, ob id tantum reprehendendus, quod frustra de eadem re in diuersis literis scribat. At
» in eadem litera G plurimum à Dioscoride, ac ueritate ipsa
» uidetur discrepare: de grano enim Nil ita scribit: Granū
» Nil est cartamū indum. Deinde multas proprietates subinfert, quæ nihil ad isatidem pertinent, pro qua Nil siue nigel idem Auicenna in N litera retulerat. Mesue quoque hunc errorem animaduertens, ubi de cartamo scribit, dicit quosdam falsō putasse cartamum esse granum Nil. Nec minor est apud autorem Pandectarum in eisdem rebus nominibusq; colluuio: Nam & ipse falsō scripsit, quod arabice nigel dicitur, nesme à Græcis appellari, à Latinis autem indicum. Et quamuis herbæ Nil, siue indico, omnes facultates subscripsisset, quas Dioscorides atq; Galenus, & Paulus isatidi tribuunt, idem tamen alio in loco, uidelicet in li-

 tera

tera B, ſcribit oſatidem, uel potius iſatidem, ex borith græce, arabice autem agiſdo, latine ſaponariam, uel herbam fullonum, omnibus hiſce nominibus eandem herbam nuncupari. Ex quibus uerbis uidetur innuere, iſatim, quam ipſe uitioſe oſatim appellat, eſſe radiculã illam, cuius adeo ſuccũ in purgandis lanis Plinius libro XIX extollit, niſi ꝙ poſtmodum proprietates ſubſcribit, quæ non ſunt radiculæ ſeu herbæ fullonum, ſed iſatidis potius, id eſt herbæ tinctorum propriæ. Quantum uero huic autori Pandectarũ credere debeamus, uno eiuſdem uiri ignorantiæ argumento recitato patebit. Docet Dioſcorides, ex foliis chameleæ cũ duabus partibus abſinthij addito melle uel aqua fieri catapotia, id eſt pillulas. Hic autem bonus uir, quicũꝙ fuerit qui libros omnia mendacia continentes compoſuit, neſciẽs catapotia apud antiquos ſignificare eas, quas nos uulgo pillulas appellamus, dixit docere Dioſcoridem fieri trociſcos admixto abſinthio duplici menſura, & una parte chameleæ & cataputiæ, quaſi apud Dioſcoridem hoc uerbum catapotia non pillulas, ſed plantam potius, quæ uulgo cataputia dicitur, ſignificaret. Sed ne, dum aliorũ potius quàm Plinij errata perſequimur, uſꝙ ad faſtidium uolumen excreſcat, ad propoſiti noſtri inſtitutum reuertamur.

Saponaria.

Pandectarum autor indoctus.

Catapotia.

Cataputia.

Echios. Echios alterũ genus deſcribit Plinius eodem quo Dioſcorides modo, lanugine ſpinoſa, & capitulis uiperis ſimilibus. Hanc eandem refert Dioſcorides libro IIII ab aliquibus alcibiũ uocari. Plinius tamen libro XXVII quaſi de alia re uerba faciẽs quàm de echi, quam libro XXVI cõ

Alcibium. „ tra ſerpentes bibi ex uino & aceto docuerat, ita ſcribit: Al„ cibium qualis eſſet herba apud autores non reperi, ſed radi„ cem eius ac folia trita ad ſerpentis morſus imponi & bibi iu„ bent. Sic Dioſcorides libro IIII echios radicem ac folia è uino potari iubet cõtra eoſdem ſerpentes. Eſſe uero eandem

dem alcibion & echin, illud nõ tenue eſt argumentũ, quod neꝙ Dioſcorides, neꝙ Paulus de alcibio ſeorſum ſcripſerunt, ſed de echi tantummodo, quam alio uocabulo alcibiũ ſiue alcibiadion dici pariter retulerunt. Nicander etiam in Theriacis ſuis, id eſt, in eo libro, in quo remedia ſcribit contra animalia uenenata, eandem herbam alcibium & echin utroꝙ nomine nuncupat: atꝙ eiuſdem libri expoſitor, alcibium quidem ab inuentore, uel ut Demetrius inquit, ab Alcibio quodam, qui primus ex eadem herba remedium ſenſit, echin autem quoniam contra uiperarum ictus utiliter bibitur, ſcribit appellatam. Sed quoniã de theriacis facta eſt mentio, non poſſum me temperare, quin hoc in loco medicorum noſtrorum errorem patefaciam, qui nobile illud antidotum quod theriaca uocatur, non ἀπὸ τῶν θηρίων, id eſt ferís, cõtra quorũ uenena exhibetur, aut quæ in eiuſdem compoſitione miſcentur, non ſunt autem aliæ quàm uiperæ, ſed à quodam ſerpente, qui proprio nomine tirus nuncupetur, quemꝙ omnino huic antidoto addere oporteat, nomen traxiſſe opinantur. Eundem autem ſerpentem ex Aegypto uſꝙ petunt: & qui fidem facere uolunt ſe omnia diligentiſſime conquiſiuiſſe quæ ad theriaces cõpoſitionẽ ſint neceſſaria, unà cũ aliis quæ eidẽ miſturæ adiunguntur, publice uiſendũ exponũt: ſed neꝙ ſerpentẽ illum norunt, quẽ huius antidoti inuentores theriacæ addi iuſſerunt, neꝙ pleraꝙ alia, quæ in eadẽ cõpoſitione iunguntur. Neꝙ enim tiri nomen in libris Arabum aliud ſignificat, quàm eam ſerpentis ſpeciem, quam Græci echidnam, nos uiperam appellamus: uidẽtur ſiquidem Arabes quod nomen eſt generis apud Græcos tribuiſſe ſpeciei: Nam uipera theriu, id eſt feræ ſpecies eſt. Arabes autẽ uiperã pro therio thiron, corrupto uocabulo, nominãt. Et qui à Galeno & Paulo trociſci ſiue paſtilli theriaci nuncupãtur, quoniã in ipſis theria, ideſt uiperæ,

Theriaca.

Tirus uipera eſt.

uíperæ, quæ è genere ferarũ ſunt cõmíſcẽtur, ab Auicẽna in deſcriptione theríaces Andromachí trocíſcí tíri appellãtur. Nihíl uero alíud in líbrís Arabũ ſignificare tíron quàm uíperã uel eo potíſſimũ argumento probatur, quod quæcũq; Serapío de tíri carne cõſcrípſit, & quonã modo pro uſu medícinæ paretur, & quosnam præſtet effectus, hæc omnía à Dioſcoríde, Galeno ac Paulo de uípera ſerpente ſcríbuntur: quorum etíam autorum, Dioſcorídis præſertím atque Galení, ídem Serapío in huíus ſerpentís uſu affert teſtímonía. Atquí neq; tírus, neq; alíud pro tíro ſerpentís nomen præter echídnam, íd eſt uíperam, uſquã in Galeno aut Dioſcoríde legítur. Conſtantínus autẽ, quí medícínam in Arabum líbrís edídícít, ſígna morſus tírí, atq; ad eundem remedía non alía quàm Dioſcorídes in echídna, íd eſt uípera retulít. Scríbit Plínius líbro IX, pílo carentíum duo tantũ animal generare delphínum & uíperam: hoc ídem de tíro legítur in líbrís Arıſtotelís de animalíbus ex arabíca in línguam latínam translatís. Pudet me opínionem tam uanã quæ ſeípſam refellít, pluríbus argumentís ímprobare. Neq; ſatís mírarí poſſum, multos ætate noſtra medícos celeberrímos hæc uaría in díuerſís línguís ínterpretamenta parum dílígenter íntuentes, cum alíquando tírum, alíquando uíperam ín medícorum líbrís lectítarent, non nomínum tantum, ſed animalíum quoq; díuerſítatem eſſe exíſtímantes, alíos credídíſſe trocíſcos è uípera, alíos è tíro, tírumq; eſſe peregrínum ſerpentem, quem ad theríaces compoſítionẽ ex Syría uſque quærere oporteret. Vtínam tírí, íd eſt uíperæ, quæ uulgo à quíbuſdam maraſſí, à quíbuſdam ſcorzones appellantur, ín Italía non naſcerentur. Neq; enim dolendum eſſet nos eo carere ſerpente, quo etſí alíquando ad hóminum ſalutem utí poſſímus, ſæpíus tamen eſt ſuo ueneno noxíus quàm remedío ſalutarís. Huíus tamen erroris præcípuus

cípuus, ut míhí uídetur, autor fuít Auícenna, quí cum uarías theríaces compoſítiones ſcríbat, eoſdem trocíſcos quí ín eadem theríaca míſcentur, alíquando trocíſcos è uíperís, alíquando trocíſcos tírí nomínat. Atquí ídem trocíſcí, ín quíbus uíperæ ponuntur, non alía ratíone trocíſcí theríací à Græcís appellantur, níſi quoníam theríа, íd eſt uíperæ, quæ ex ferorum animalíum genere ſunt, eíſdem trocíſcís adíunguntur. Durat tamen hæc, ut díxí, perſuaſío apud noſtros, tírum ſerpentem alíum eſſe à uíperís, quí quoníam apud Aegyptíos tantũmodo reperíatur, nõ alíunde quàm ex Memphí optímam ad nos theríacam apportarí arbítrantur. Gentílís etíam maxímæ æuo noſtro autorítatís medícus, ín expoſítionibus ſuís in quíntum Auícennæ líbrum, uíperas, ex quíbus docet Auícẽna fierí trocíſcos, exíſtímat non eſſe íd ſerpentís genus, de quo Nícander, ut Galenus etíam teſtatur, elegantíſſímo carmíne græco ín hanc ſententíam ſcríbít, quam nos ut potuímus ín latínam uertímus línguam:

Vípera ſcæua caput lætalí dente marítí
Mordícus abſcíndít, ſed nata è ſemíne proles
Víſcera dílanıat matrís, lucemq; requírít:
Sic patrís interítum ſub prímo ulcíſcítur ortu.

» Hæc autẽ ſunt Gentílís loco quem díxímus uerba: Vt » apparet uípera ſumítur pro communíbus ſerpentíbus, non » pro íllís quæ caput maſculí ín ſpecíe ſua præſcíndunt quan» do coít cum ea, unde fílíj facientes matrís uíndíctã eas ſcín» dunt. Sed quod hoc ípſum ſerpentís genus, de quo ſcríbít Nícander, ac non cõmunes ſerpentes, ut opínatur Gentílís, ín theríaca míſcere oporteat, docet Galenus ín ſuo de theríaca ad Píſonem líbro, ín quo de uípera, quæ ponítur in » theríaca, íta ex Nícandrí ſententía refert: Hoc autem aní» mal quod uípera dícítur, habet præ omnibus alíjs caput ad

„ perniciem idoneum: Ferunt enim ipſam ore aperto ſemen
„ maris excipere, quo deinde ſuſcepto eiuſdem caput abſcin
„ dit, talis eſt uiperarum exitialis complexus. Demũ ex ſe
„ mine geniti catuli quodam naturæ inſtinctu uterum matris
„ abrodunt, atque erumpunt in lucem mortem patris uindi
„ cantes. Hæc uero etſi non ſcribantur ab Auicenna de uiperis, multa tamen alia de eiſdem exponit, quæ etiam Galenus in eo quem diximus de theriaca ad Piſonem libro de echidnis, id eſt uiperis refert. Nam ea quã notat Auicenna inter marem ac fœminam ex numero dentium differentia, in eodem libro ſcribitur à Galeno inter echin & echidnam, id eſt, inter uiperam marem ac fœminam, adeo ut nulla dubitatio relinquatur Auicennæ, non communes quoſdam, ſed proprij generis ſerpentes, quemadmodum & Galenũ in compoſitione theriaces miſceri uoluiſſe: Licet eoſdem ſerpentes aliquando tiros, aliquando uiperas nominãs plurimis errandi dederit occaſionem. Sed & alij non pauci præter hunc de tiro & uipera in Auicenna, atque eius expoſitore Gentile leguntur errores in eiuſdem theriaces deſcriptione. Nam cum idem Auicenna primam Andromachi compoſitionem maxime probet, adeo ut nihil ei aut addendum, aut ſubtrahendum, aut omnino immutandum exiſtimet, eandẽ tamen in multis à uera Andromachi deſcriptione differentẽ, quinto ſui uoluminis libro notauit: bis enim in eadem centauream repetit, & pentaphylon prætermittit, quod tamen ab Andromacho inſeritur. Centauream uero pro pentaphylo eſſe ab Auicenna ſcriptã facile eſt animaduertere. Paulus enim, quem maxime ſecutus fuiſſe uidetur Auicẽna, cum Andromachi compoſitionẽ recitat, in quadam eiuſdem particula ita ſcribit: Smyrnes, croci, zinziberis, ruponticí, pentaphyli, calamenti, praſij, petroſelini, ſtichados, & reliqua. Eundem ordinẽ imitans Auicenna ita

Auicennæ error de centaurea & pentaphylo.

na ita notauit: myrrhæ, croci, zinziberis, reubarbari, centaureæ, calamenti montani, praſij, petroſelini, ſtichados. Quã lucidius poſſit oſtendi, centauream pro pentaphylo poſitam? cum præſertim eandem centauream in eadem theriaces deſcriptione ponat Auicenna, atq; in hac totius compoſitionis particula omnia quadrent in Paulo & Auicenna, præter centauream, pro qua pentaphylon in Paulo atq; Andromacho legitur? Quod etiã animaduertit Gentilis, quí cum uideret centauream bis in Auicennæ deſcriptione poſitam, & prætermiſſum pentaphylon, non temere centaureã pro pentaphylo ſcriptam iudicauit. Quod uero pro ruponticó Auicenna reubarbarum ſcribit, eadem qua Andromachus Paulusq; menſura, non eſt admodum admiratione dignum. Quam enim radicem Græci ruponticũ uocant, eandem Arabes reubarbarum. Eſt uero longe diuerſa ab ea, quam nos uulgo reuponticum appellamus, quæ non ut prior in hijs quæ ſupra pontum regionibus naſcitur, unde etiam nomen ſortita uidetur: Sed & in Italia, & in pluribus alijs prouenit locis. Hanc tamen noſtri temporis medici pro reubarbaro, id eſt, ea radice quæ à Græcis ruponticum appellatur, geminato pondere ad eoſdem adhibent uſus. Quod ſi interrogentur, ubi apud Dioſcoridem aut Galenum, aut etiam Serapionem, atque Auicennam de hac eadem radice, quæ eſt tantum calore reubarbaro ſimilis, figura uero atque natura, ac ſolo in quo naſcitur plurimum differens, aliquid legerint, tam reſpondere quid ſciuerint, quàm de re ab omnibus penè ætate noſtra ignorata, quam tamen nos aliquando ſumus indicaturi: Hic enim non omnia docere, ſed plures tantummodo errores aperire, atque homines admonere ſtatuimus, ne tam temere atque inconſulte eis medicaminibus utantur: Quorum cum nullam ex probatiſſimis au-

Ruponticum. *Reuponticũ.* *Reubarbarũ.*

toribus habeant ſcientiam, neque ueram etiam atque ſecu
ram tenere poſſint experientiam: Miror tamen Gentilem
nihil de hac uarietate nominum in Andromacho atq; Aui
cenna dubitaſſe, cum tamen idem Gentilis in hijs ipſis An
dromachi atque Auicennæ deſcriptionibus comparandis
tam diligens haberi uoluerit, ut notandum cenſuerit mace
donicum ab Andromacho in theriaces deſcriptione poſitũ
ab Auicenna autem prætermiſſum. Viſus eſt enim exiſti
maſſe Gentilis id quod plures, ne dicam omnes, etiã æuo
Petroſelinon. noſtro medici opinantur, petroſelinon eſſe id herbæ genus,
quod paſſim naſcitur in hortis, ac uulgo etiam petroſelinon
Macedonicũ. nuncupatur: ſic etiam macedonicũ eam apij ſpeciem, quã
aliqui uulgo macerones appellant, putaſſe idem Gentilis
apparet. Qua in re facile oſtendit uulgarem ſe potius quan
dam habuiſſe herbarum notitiam, quàm eam quam Dio
ſcorides atq; Galenus, ac reliqui ueteres medicinæ autores
ſuis in libris poſteris reliquerunt. Eſt enim petroſelinon,
ut III libro ſcribit Dioſcorides, ſemen ſimile ammi, quod
non ubique prouenit, ſed in Macedonia in montiũ gigni
tur præcipitijs: unde & à loco, & à patria in qua naſcitur,
Petroſelinon macedonicũ. petroſelinon Macedonicum dicitur. Galenus quoque de
hoc eodem in ſuo de theriaca ad Pamphilianũ libro ita ſcri
» bit: Omnes igitur affirmarunt ſrim eſſe optimam, quæ in
» Illyria naſcitur, petroſelinon autem macedonicum, aſphal
» tum uero iudaicum. Nihil igitur Auicenna ex rebus quæ
in theriaces cõpoſitione miſcẽtur hac quidem ratione præ
termiſit, quoniam petroſelino macedonicum non adiecit,
ſed patriam tantum in qua naſceretur omiſit. Illud uero dif
ficilioris eſt in Auicenna excuſationis, quomodo ſagape
Sagapenos. non in ſua deſcriptione tacuerit, quod tamen cum alijs ab
Andromacho iungitur. Atqui ipſe Auicenna cum uariari
menſuras medicaminum in diuerſis deſcriptionibus inſi
nuat,

nuat, eandem uarietatem non minus in ſagapeno, ſiue ut
ipſe ſcribit ſerapino, quàm in caſtoreo accidiſſe confirmat.
Neque dici poteſt ſub appellatione Bezaard ſerapinum in
telligi. Nam paulo inferius Auicenna eo nomine galbanũ
ſignificari demonſtrat, quod tamen galbanum in ſecunda *Galbanum.*
theriaces deſcriptione connumeratur ab eodem Auicenna
inter ſex medicamina, quibus ſecũda deſcriptio ſuperabun
dat à prima, adeo omnia in Auicenna ſunt dubitationis ple
na. Nam & in prima deſcriptione bdelium ſubalbidum ab
Auicenna ponitur, de quo nulla fit necq; ab Andromacho, *Bdelium.*
neque à Galeno aut Paulo, Andromachi compoſitionẽ re
ferentibus, mentio. At ſi ordinem Pauli, quem Auicenna
imitari uidetur, diligenter attendimus, pro galbano bdeliũ
ſubalbidũ, pro ſagapeno bezaard ab Auicenna ſcriptum re
» peritur. Paulus ſiquidẽ in una eiuſdem cõpoſitionis parti
» cula ita ſcribit: Seminis dauci galbani, ſagapeni, aſphalti,
» opoponacis, caſtorei, centaureæ, clematidis ana. ʒ. ii. Apud
Auicennam autem ita legitur: Dauci, bdelij ſubalbidi ana.
aureos iiii. Bezaard, aſphalti, opoponacis, centaureæ mi
noris, ariſtolochiæ rotundæ omnium aureos ıs. Facile eſt
intueri in hac theriaces portione, pro galbano, quod in Pau
lo ſemen dauci ſtatim ſubſequitur, poſitũ eſſe ab Auicẽna
bdelium ſubalbidum: quod ut diximus, Andromachus,
Galenus & Paulus omnino prætermittunt. Pro ſagapeno
autem in eodem ordine ſcribi ab Auicenna bezaard, pro ari
ſtolochia autem clematide ariſtolochiam rotundam: & ca
ſtoreum, quod ab Andromacho in theriaces compoſitione
ponitur, ab Auicenna in eiuſdẽ antidoti deſcriptione præ
termittitur: aut ſi poſtea ſubiungitur, cum eiuſdem pondus
uariari in diuerſis deſcriptionibus admonet, quî tueri pote
rimus Auicennam, ne in numero medicaminum, ex qui
bus tota theriaces miſtura conficitur, erraſſe uideatur. Erũt

enim caſtoreo adiecto ſexaginta quinque, non autem ſexaginta quatuor, quem numerum Auicenna in prima deſcriptione notauit. De quo etiam numero ſcrupulus nõ latuit Gentilem, adeo ut in Auicennæ deſcriptione ſuperfluere exiſtimet ſeminis ſiſeleos, cum ſtatim antea ſiſeleos ſcribatur, quod idem eſſe Gentilis arbitratur. Aut ſi Pauli contextum inſpicimus, quem ut ſupra diximus, in deſcribenda Andromachi theriaca ſequitur Auicẽna, pro thlaſpeos uocabulo uidetur in Auicenna ſcriptum eſſe ſiſeleos. Nam in Paulo ita ea particula legitur: Storacis, ſeminis apij, ſiſeleos, thlaſpeos, ameos, chamedreos, chamepitheos, hipociſtidos. In Auicenna autem hæc eadem particula ita ſe habet: Storacis liquidæ, ſeminis apij, ſiſeleos, ſeminis ſiſeleos, ameos, chamedreos, ſucci hipoquiſtidos. In hac medicaminum connumeratione non differt Auicenna à Paulo, niſi quod pro nomine thlaſpeos, ut diximus, ſcribitur in Auicenna ſiſeleos. Hanc autem eandem thlaſpin Auicenna in deſcriptione antidoti, quod mithridatum appellatur, nominat alſeis, & exponit quod eſt naſturtium babylonicum. Nam ſi quis eiuſdem antidoti in Auicenna deſcriptionem Pauli deſcriptioni comparet, non dubitabit pro thlaſpi alſeis ab Auicenna cum reliquis medicaminibus idem antidotum componentibus connumerari.

Neque uero mirandũ eſt de hac thlaſpeos in ſiſeleos aut alſeis apud Auicennam tranſuerſione, ne dicam peruerſione, nam & trociſci hedichroi, qui in eadem theriaces compoſitione iunguntur, corrupto uocabulo trociſci aldaracaron ab Auicenna appellantur, ab Aliabate autem & Nicolao, ut teſtatur etiam Gentilis, trociſci diacorali, deprauato itidem hediochroi uocabulo in diacorali. Neque ſanè de uerborum momentis cura eſſet habenda hijs quibus tantarum rerum inueſtigatio proponitur, niſi ex nominũ ignorantia

rantia maximus ſæpe in rebus ipſis error accideret: Nam Nicolaus quẽ diximus, cui ſumma atq; præcipua ætate noſtra in deſcribendis medicaminum compoſitionibus fides adhibetur, hac forſitan uocabuli deprauatione deceptus, pro dar ſiſaan, quod in eorundem trociſcorum deſcriptione legitur apud Arabes, ac pro aſcalato, quod idem eſt apud Græcos quod apud Arabes, darſiſaan ponit coralos: Sed longe alia res eſt à coralis, id quod græce aſpalathus, arabice darſiſaan dicitur. Nam ut primo libro ſcribit Dioſcorides, aſpalathus eſt planta quæ in Syria & Rhodo naſcitur, qua unguentarij ad ſpiſanda unguenta utũtur, uiresq; habet excalefaciendi, ac parũper aſtringendi: probatur maxime grauis ſubrubens, aut in purpurã uergens detracto cortice, denſa, guſtu amara, & reliqua. Nonnulli tamen falsõ putarunt aſpalathon eſſe malum punicum ſylueſtre, atq; eius radice pro aſpalatho utendum cenſuerunt: cuius ſententiæ etiam Serapio fuiſſe uidetur, ut titulus indicat eius partis, in qua de darſiſaan ſcribit. Aliqui radicem ſpinæ Indæ, ut Auicenna refert, qui etiam pro eodem ponit ſemen aliembut, id eſt, ſemen xilocaractæ. Aliqui, ut ſcribit Gentilis, exiſtimarunt eſſe ſpinam albam, aliqui cinamomum, tanta eſt autorum in hac planta diſſenſio, ut neque quid ea ſit, neq; quid eius loco accipi oporteat exillorum ſcriptis ſatis conſtet: Nam & Galenus ac Paulus, quibus in hac parte magis quàm Auicennæ crediderim, pro aſpalatho non ſemen xilocaractæ, ſed lygi, id eius arboris, quam uulgo Agnum caſtum appellamus, recipi in ſuis Antibalomenis aſſeruerunt. In eorundem trociſcorum edicroi, ſiue aldaracaron deſcriptione pro amaraco ſcribitur in Auicenna emeruche, & ipſe idem Auicenna exponit, quod eſt alacoen alba, ignotum ſcilicet per ignotius, ut dici ſolet. Hanc enim Alacoën albam aliqui Camomillam albam, aliqui

Darſiſaan Aſpalathus.

Ligus arbor Agnus caſtus.

Amaracus Alacoën alba.

aliqui matricariam, aliqui cotulam, ut Gentilis teſtatur, eſſe arbitrẽtur. Quicquid uero ſit alacoën alba certum eſt amaracum, pro qua emeruche legitur in Auicenna, nihil eorũ ſignificare quod de alacoë alba à diuerſis autoribus exponitur. Eſt enim amaracus herba odorata, quæ alio nomine ſampſycus appellatur, aut eidẽ ſampſyco ſimillima. Nam & Dioſcorides libro tertio ſampſycum à Ciſſicenis ac Siculis alio nomine amaracum dici teſtatur, & idem plures alij, in quorum etiam numero eſt Plinius, confirmant. Apud eundem Auicennam in prima theriaces deſcriptione legitur ſceæ montanæ, exponitur autem à Gentile quod ſit ſticados uel abſinthium: ſed ſticados hoc in loco ſignificare non poteſt: nam id ſub propria appellatione ponitur ſupra: neque etiam abſinthium, quoniam de abſinthio in Andromachi theriaca à nullo fit mentio. In prima etiam quã ſcribit Auicenna eiuſdem theriaces compoſitione legitur ſcor-
Scordion. dion, in ſecunda autem pro eadem ſcordio ſcribitur allium ſylueſtre. Hinc error uulgatiſſimus emanauit, ut quoniam ſcorodon ſignificat apud Græcos allium, pro ſcordio alliũ ſylueſtre non in theriaca ſolum, ſed in pluribus alijs compoſitionibus accipiant. Sed aliud eſt ſcorodon agrion, id eſt, allium ſylueſtre, aliud ſcordion herba, quæ, ut ſcribit libro III Dioſcorides, foliſs triſaginis conſtat, eſtq; præcipui cõtra uenena ac ſerpentum ictus remedij. Vnde non ab re & theriacæ, & pleriſq; alijs antidotis admiſcetur: De hac eadẽ herba Galenus in ſuo de theriaca ad Pamphilianum, & de antidotis libro in hanc ſcribit ſententiam: Scordion optimum affertur ex Creta, quanquam neq; improbandum in alijs gentibus reperitur: Scriptum uero de eo à grauiſſimis medicinæ autoribus, quod cum corpora eorum, qui in prælio ceciderant, diu inſepulta iacere contigiſſet, quæcunque fors tulit ut ſupra ſcordium iacerent, multo minus quàm reliqua

reliqua ſenſiſſe putredinem, atque eas præſertim ex toto corpore partes, quas ipſius herbæ tactus defendit: Vnde creditum eſt eandem contra animaliũ uenena, ac peſtifera medicamenta, quæ uim habent putrefaciendi, auxiliari. Hanc pariter herbam idem Galenus libro de ſimplicibus medicaminibus nono, inter cæteras quæ putrefactionibus aduerſantur, præcipue commendari teſtatur. Quod ſi, ut ſcribit Galenus in ſuo de theriaca ad Pamphilianum libro, unius medicaminis adulterati uitium poteſt totam theriaces compoſitionem corrumpere, quî nos ſperare poſſimus eandem mixturam optime confici, ubi maxima pars ſimpliciũ medicaminum, quæ in ipſa iunguntur ignoretur? niſi forte arbitramur Arabes aut Aegyptios nunc eſſe quàm unquam fuerit Auicenna doctiores, apud quos conſtat omne philoſophiæ ac medicinæ ſtudium iam pridem ſui, ut fertur, Ma- *Mahometus aboleuit ſtudia ſuorum.*
hometi præcepto aboleuiſſe. Illud potius minus mirari oportet, cũ neq; apud nos, nec apud illos huius antidoti certa habeatur ſcientia, theriacam noſtris temporibus non eos præſtare effectus, quos de eadem ueteres medici pollicentur. Sed ne ſcribendi prolixitas tædiũ legentibus pariat, ad id unde digreſſi ſumus, hoc eſt ad Plinij ipſum reuertamur.

Centunculum ſcribit Plinius libro XXIIII uocari ab *Centunculum.*
Italis herbam roſtratis foliſs ad ſimilitudinem capitis penularum iacentem in aruis, eandem autem à Græcis clematidem appellari: eius præterea egregium effectum ad ſiſtendam aluum in uino auſtero teſtatur. At Dioſcorides libro III non clematidem à Græcis nuncupatam, ſed gnaphaliũ potius ſcribit à Romanis centunculum dici: atque eundem ferè in gnaphalio refert effectum, quem in centunculo Plinius: nam eius folia in uino auſtero pota dyſentericis prodeſſe confirmat, quod idem Plinius libro XXVII de gnaphalio ſcribens pariter aſſerit. Dioſcorides præterea, qui

omnes clematidis ſpecies diligenter atq; accurate conſcripſit, nullam tamen hoc nomine à Græcis inſinuat uocitari, qualem deſignat Plinius roſtratis foliis ad ſimilitudinẽ capitis penularum in aruis iacentem.

Idem Plinius eodem libro XXIIII, atque eodem in loco ubi centunculum nominat, laginem quoque inter clematidas connumerat, quam libro XXII laſinem nominauit. De laſine ſiquidem libro XXII ita ſcribit: Salutaris eſt phtiſim patientibus. At libro XXIIII de lagine ita: Phtiſicos iuuat cum melle. Item de laſine: Mulieribus lactis ubertatem facit. De lagine ſimiliter: Lactis ubertatem facit. De laſine quoq; : Infantium capiti illita nutrit capillum, tenacioremq; eius cutẽ facit. De lagine pariter: Et infantibus illita capillum alit. Vtranq; uero & laſinẽ & laginem in cibis placere, & uenerem ſtimulare teſtatur. Quorum uicinitas nominum & pares propemodum effectus, argumẽto eſſe poſſint, uel laſinen, uel laginen in utroque libro eſſe legendum, atq; eandem plantam pro diuerſis bis fruſtra à Plinio repetitam. Eandem præterea laginẽ ſcribit Plinius ab aliquibus echiten uocari, & tenue ſcamoniũ, quod dictum me ſuſpicari facit, ne laginem & echiten pro elxine & euſine, codicis forſitan errore, ſcribatur. Neque enim agnoſcitur planta, quæ uerius tenue ſcamonium dici poſſit, quàm ea quam Græci aliis uocabulis & elxinen, & euſinem, & ciſſampelon etiã appellant: habent hæc omnes ſcamonij notas: Libro ſiquidẽ quarto ſcribit Dioſcorides, elxinen habere folia hederæ ſimilia. At eiuſdem hederæ foliis & elxines pariter ſcamoniũ libro eodem ab eodem Dioſcoride ſcribitur. Elxine quoq; florem fert candidum, calathi figura, & plurimo lacte manat, & aluũ ciet ſicuti ſcamonium. Hanc eandẽ elxinen Plinius, niſi fallor, libro XXI conuoluolum appellat, ob id quod, ut etiam de elxine ſcribit

Laſine.

Conuoluolum.

bit Dioſcorides, omnibus in quas inciderit plantis circunuoluitur. Eiuſdem florem ſcribit Plinius eſſe rudimentum naturæ lilia facere condiſcentis, in quo flore plurimi decipiuntur literatores, qui Simonis Genuenſis autoritate freti, exiſtimant eundem florem eſſe liguſtrũ, de quo Virgilius: *Liguſtrum.*

Alba liguſtra cadunt:

Cum tamen liguſtrum ſit arbuſcula, quæ quidem flores albos profert, ſed plurimum à conuoluoli flore differentes. Eadem arbuſcula hodie quoq; in aliquibus Italiæ locis ab incolis laguſtrũ pro liguſtro corrupto nomine dicitur. Audio etiam à pleriſq; caprifolium appellari, quoniam eius folio capræ præcipue ueſcantur. Non longe huic diſſimilis in Aſia naſcitur, quæ à Græcis cypros, ab Arabibus alcana uocatur. Minus uero mirandum ſit, Plinium hominem quantum negocijs ciuilibus deditum, tantum ab omni medicinæ exercitatione remotũ, in hac fruticum ac herbarum contemplatione aliquando ceſpitaſſe, quando & Auicenna ipſe, quem ſi uere eum, quem illi omnium ferè ætatis noſtræ medicorum tribuit conſenſus, in medicina principatũ merea tur, non ſolum ſcriptis, ſed rerum quoq; experimentis atq; operibus uere medicũ fuiſſe oportuerit, tam in eiſdẽ rebus ad uſum medicinæ neceſſarijs uidetur fuiſſe implicitus atq; perplexus, ut hãc ipſam elxinem ſiue ciſſampelon, quæ latine conuoluolũ dici poteſt, & alſinen, quã ſcribit Dioſcorides auriculã muris à Romanis nuncupari, & aliã quã Græci proprius myoſotida, id eſt, auriculã muris appellãt, & anagaliden, quatuor ſcilicet herbas & natura & figura plurimũ differẽtes, ſub unius auriculæ muris appellatione cõfunderet. Qd ſi qs pro Auicẽna obijciat, potuiſſe eũ & alſinen, & eã quæ pprie auricula muris dicitur, & anagaliden, has tris omnes herbas auriculæ muris nomine nuncupare, quoniã æque omnes foliis muſculorũ auribus ſimilibus cõſtãt: hoc

Cypros.

Alcana.

tamen de conuoluolo, cuius folia sunt hederæ foliis similia nequaquam dici potuerit. Cur enim postmodum Auicenna seorsim de anagalide sub proprio nomine tractauit, cuius antea proprietates in auricula muris assignauerat? Cur etiam eiusdem proprietatibus alias cõmiscendas duxit, quæ sunt eius herbæ, quæ proprie muris auricula uocatur, non autem anagalidis peculiares. Sed ne uideamur Auicennã per calumniã falsò reprehẽdere, eiusdẽ Auicennæ uerba ex secundo ipsius de simplicibus medicaminibus libro in medium afferemus. Auricula muris, inquit, est herba, cuius uirtus secundum Galenũ propinqua est uirtuti herbæ qua uitrum abstergitur. Hic Auicenna alsinem sine dubio innuit, quam Dioscorides atq; Galenus testantur habere similes uires elxinæ, id est parietariæ, siue herbæ qua uasa uitrea absterguntur. Deinde subiungit Auicenna: Et hoc nomen absolutum est duabus herbis, quarum una est quã nominat Galenus, & odoratur ex ea odor maluæ, & non habet duritiem. Hæc quidem Auicennæ dicta uera sunt de eadem alsine, cuius mentionem facit Galenus libro VI, quanquam nihil de tali odore retulerit. Quod uero demũ addit Auicenna, quod altera quam nominauit Dioscorides, sit similis uolubili, nisi quia minora habet folia, omnino falsum est: hoc enim Dioscorides scribit de elxine, quæ & cissampelos dicitur, quod habeat folia hederæ similia, minora tamen. Auicenna siquidem ab effectu hederam uolubilem nonnunquam appellat, sicuti eadem ratione hæc ipsa planta, quæ apud Græcos elxine & cissampelos dicitur, latine conuoluolum appellatur. Sed quænam conuoluolo cum alsine, siue auricula muris in foliis, aut flore, potestatibus ue societas? quamuis tenuis quædam in nomine tantũ apud Græcos similitudo reperiatur: Nam auricula muris alsine, conuoluolum autem ab eisdem Græcis elxine uocatur.

Auricula muris.
Anagalis.
Alsine.
Cissampelos.
Conuoluolum

tur: quæ sanè uicinitas nominis decepit Auicennã, qui postmodum serpentes auibus, & tigribus ursos geminare uidetur, hoc est, res omnino differentes in una designare, cum conuoluoli effigiem atq; anagalidis pariter pingit: ita enim post uerba paulo ante scripta subiungit: Et est herba expansa super superficiem terræ, paruos habẽs stipites, domestica, bona, sine odore, & non habet saporem fortem, azulinos habens flores, cuius semen semini coriandri assimilatur. Hæc omnia Auicennæ uerba indicant alterum genus anagalidis, quod florem profert cœruleum, & fœmina dicitur, sicuti etiã effectus anagalidis proprij ab Auicenna subiuncti manifestissime ostendunt. Quos ut antea scripsimus cum seorsim de utroq; anagalidis genere sub proprio nomine tractat ipse Auicenna subscribit: addit tamen & aliã quæ non est anagalidis, ex sententia cuiusdam Musaich, facultatem: scilicet quod iuuamentum eius est iuuamentum absinthij. Hoc autem non de anagalide, sed ea herba quæ proprie myosotis, id est auricula muris à Græcis appellatur, differtq; ab alsine & utraque specie anagalidis. Legitur apud Paulum, qui eam ad occidendos adhibent uermes. Ex quibus omnibus colligitur uerum id esse quod diximus, Auicennam maiori errore quàm Plinium, qui res easdem tanquam diuersas exposuit, herbarum natura, ac figura differentium proprietates ac uires in uno, ut dicitur, capitulo miscuisse.

Auicenna serpentes auibus geminat.
Myosotis.

Sed non est nunc nobis cum Auicenna sed cum Plinio negocium, quare ad ipsum reuertamur. Hic libro XXV de arctio, quãuis echion errore codicis, ut arbitror, legatur, ita scribit: Arction quidam personatiam uocant, cuius folio nullum est latius, grandes lappas ferentem: huius radicẽ decoctam ex aceto dant potui. De eadem personatia non multos infra uersus Plinius ita scribit: Personatia quã ne-

Arction
Personatia.

mo ignorat. Licet autem & hic pro personatia persolata uitiose scribatur, tamen quod sequitur probat personatiam
» esse legẽdum, ita enim subiungit: Græci uero arction uocant, folia habet maiora etiam cucurbitis, & hirsutiora, nigrioraq;, & crassiora, radicem albam & grandem, hæc ex
» uino bibitur denariorum duorum pondere. Videtur profecto Plinius duo arctij genera putauisse, quorum utrunque personatia diceretur, alterumq; biberetur contra serpentes ex aceto, alterum ex uino. Attamen & Dioscorides & Galenus, ac Paulus de uno tantummodo arctio prosopite, id est, personatia scripserunt. Esse uero idem arction, siue eandem personatiam, quam primo & secũdo loco describit Plinius, eiusdem Plinij uerba apertissime ostendunt: nam de
» prima ita scribit: Quidam arction personatiam uocant,
» cuius folio nullum est latius, grandes lappas ferentẽ. Hic autem procul dubio Plinius innuit illã quæ à nostris tum
Eardana. bardana, tum lappa maior appellatur: Quam ideo ueteres personatiam dixerunt, quoniam hac propter amplitudinẽ foliorum ad personatos faciendos utebantur. Hanc uero eandẽ eadem ratione Dioscorides, Galenus ac Paulus prosopiten, id est personatiam nuncuparunt, ac foliis cucurbitæ, nigrioribus tamen atq; hirsutioribus, cõstare tradiderũt.

Chamædaphne.
» Plinius libro XV Chamædaphnẽ ita describit: Est &
» chamædaphne syluestris frutex, & alexandrina, quã aliqui
» idæam, aliqui hypoglotton, alij daphnen, alij carpophylon,
» alij hypelaten uocant. Ramos spargit à radice dodrantales topiarij ac coronarij operis, folio acutiore quàm myrti, molliore ac candidiore, maiore semine inter folia rubro: plurima in Ida, & circa Heracleam ponti, nec nisi in montosis. Eandem chamædaphnẽ postmodum Plinius libro XXIIII
» ita describit: Chamædaphne unico ramulo est, cubitali ferè folio, tenui, lauri similitudine, & reliqua. Quis non uideat

deat Plinium eidem plantæ differentes descriptiones afferre? Est enim prior descriptio in daphne alexandrina, nõ autem in chamædaphne libro IIII à Dioscoride tradita. Esse uero chamædaphnen à daphne alexandrina differentem nõ solum Dioscorides, sed Galenus pariter & Paulus in suis de simplicibus medicaminibus libris ostendunt.

Idem Plinius cum myrtam satiuam libro XXIII descripsisset, eiusq; uires ac facultates assignasset, postmodũ subiungit myrti etiam sylueſtris, quæ à Græcis oxymirsine di- *Oxymirsine.*
citur, proprietates: adeo ut putasse uideatur, oxymirsinen quæ & myrtus agrestis dicitur, à myrto satiua, sicuti pleraq; alia herbarum, fruticum atque arbuscularum genera, sylue
stris tantummodo atque satiuæ discrimine differre. Idcirco *Ruscus.*
de ruſco, qui oxymirsine & myrtus agrestis à Græcis nuncupatur, tanquam de re ab oxymirsine diuersa, separatis in locis sæpe commeminit: quanquã non alias in ruſco, quàm in oxymirsine uires subscribat. Eodem tamen libro XXIII Plinius adducit Castorem, qui id quod uerum erat existimauit, eandem scilicet esse oxymirsinem apud Græcos, quæ latine ruscus, uulgo autem etiam à medicis bruscus appellatur, ex quo Plinij temporibus, sicut hodie quoq;, fiebant ruri scopæ. Sed præter castorem Dioscorides etiam libro quarto testatur, oxymirsinen, siue myrtum agrestem à Romanis ruscum nuncupari. Minori tamen, ut uerum fatear, errore dubitauit Plinius, nunquid oxymirsine esset ruscus, an alia arbuscula tanquam sylueſtris à myrto satiua differens, quam Serapio Arabs affirmauerit oxymirsinem esse arborem ferentem fructum, qui apud Arabes Cubebe uocatur, friuolæ satis rationi subnixus, quod ne- *Cubebe.*
que Galenus de oxymirsine, siue myrto agresti, neque Dioscorides de carpesio, id est cubebis, ita enim Arabes carpesion interpretantur, quicquam in suis de simplici-

bus

bus medicaminibus libro tradidissent. Sed longe alia res
Carpesium. est carpesium ab oxymirsine, & qui utrunque nouit fructum, cubebas scilicet & baccas rubentes, quas oxymirsine uel ruscus profert cerasijs similes, quantum deceptus fuerit sua coniectura Serapio facile iudicabit. Neq; eo tantum fallitur Serapio, quod oxymirsines fructũ, de qua scripsit Dioscorides, putet esse cubebas, sed ob id etiam, quod carpesium, de quo Galenus, non autem Dioscorides facit mentionem, cubebas esse opinatur. Nam neq; idem est carpesium atque oxymirsine: & licet Arabes, in quorũ numero etiã est Auicenna, pro carpesio cubebas accipiant, aliud tamen significare carpesium apud Græcos quàm grana illa minuta, quæ Arabes cubebas uocãt, indicat Galenus in libro suo de theriaca ad Pisonem, qui scribit carpesium esse festucas quasdam tenues aromaticas similes in gustu phu, id est, radicæ odoratæ cuiusdam herbæ, quam nonnulli illã esse opinantur, quæ uulgo ualeriana dicitur. Licet non omnia quæ de phu scribit Dioscorides ualerianæ conueniãt. In Auicenna autem, qui omnia ferè refert de cubebis, quæ de carpesio Galenus, alter est etiam error: Nam cum scribat Galenus, ut diximus, carpesium similes uires habere phu, magis tamen subtili partium constare substantia, hoc non de phu, sed de Rubea in Auicenna legitur: Hæc enim sunt eiusdem Auicennæ uerba pro carpesio cubebas indicantis:

» Cububæ quidem eius uirtus est similis rubeæ: ueruntamen
Aera. est subtilior. Aeram à Græcis dici granum illud quod à no
Lolium. stris lolium appellatur scribit Dioscorides libro II, ac præterea hij, qui ab Aristotele in libro de somno & uigilia, atq; à Plinio libro XVIII de eadẽ æra scribuntur effectus, quod scilicet capitis grauedinẽ & uertigines faciat manifestissime probant. Plinius tamen eodem libro, atque eodem capite æram describit & lolium quoq; tanquam ab æra differat separatim

paratim nominat. Nam si idem putauit & lolium & æram, mirum quod sicuti in alijs plerisque frugibus atque earum uitijs, in quibus nomina latina non deerãt, sicuti in frumento, ordeo & auena Græcis utendum non censuit, non idem quoq; in lolio statuerit, tam præsertim apud omnes usitato uocabulo. Quanquam similis quoque de auena error in eodem libro & capite legitur. Nam cum in principio uitia frugum exponit, scribit ordeum in auenã degenerare: Paulum uero infra refert idem Plinius, ordeum necari à festuca, quæ nominatur ægilops. At si Dioscoridi credimus, quæ à Græcis ægilops dicitur, à latinis auena nuncupatur. Galenus quoq; in primo sui de alimentis uoluminis libro, cum in tritico atque ordeo generatio minus prospere cesserit, alterum in æram, alterum in ægilopen frequentius conuerti testatur: quod etiam maximum est argumentũ, æram idem esse quod loliũ, & ægilopen idem quod auena. Quã Plinius gallicam nardum appellat, Dioscorides celticã uocat, quemadmodum illa apertissime indicant, quæ de nardo celtica & gallica ab utroq; autore referuntur. Hanc eandã nardum celticã scribit Dioscorides libro primo in alpibus Liguriæ nasci, atque ab incolis saliuncam appellari. Plinius tamen de nardo gallica & saliunca locis separatis, tanquam rebus differentibus tractat. Saliuncam nihilominus libro XXI herbam odoratam esse fatetur, quæ si uestibus interponatur gratissima sit: eandẽ quoq; testatur in alpibus nasci, atque eius in medicina usum tradit, non multum à nardo celtica differentem.

Gallica nardus.

Saliunca.

Idem Plinius libro XXII scribit, Sion foliis apij, sed latioribus in aqua nasci, aliasq; eidem proprietates uiresq; subscribit, quas etiã Dioscorides libro secundo refert. De eodem postmodũ Plinius libro XXVIII de silao ferè eadem: Silaus nascitur glareosis & perennibus riuis, cubi-

Sion herba.

Silaus.

f talis,

„ talis, apij similitudine, coquitur ut olus magna utilitate ue-
„ sicæ. Vtraq; descriptio sine dubio ei herbæ conuenit, Apio simili in aquis nascenti, quam quidam falsò senectionem appellant, aliqui uulgo crissones uocant. Videtur tamen Plinius aliud sij, aliud silai nomine indicare uoluisse: aut si pro silao sion legendum sit, frustra eandem herbã duobus in locis descripsisse.

Cinnabaris. Quid quod Plinius aliquando uidetur uulgarem sequi opinionem, cum libro XXXIII scribat Cinnabarim, cuius color in picturis proprie sanguinem reddit, esse sanguinem draconis elisi elephantorum morientiũ pondere, permixto utriusq; animalis sanguine, quam quidem cinnabarim utilem antidotis medicamentisq; esse confirmat. Medicos uero sui temporis, qui pro hac cinnabari utebantur minio, quoniam & ipsum cinnabaris uocaretur, iure reprehendit. Nam hæc cinnabaris, quæ etiam minium dicitur, uenenum est, cum ex ea fiat argentum uiuum, quemadmodum uicissim ex argento uiuo fit cinnabaris factitia, quam nos uulgo cenabrium uocamus. Neque ego sum nescius, plerosq; etiam medicos ætate nostra in eundem labi errorẽ, cum cinnabarim in Receptis, sic enim suas cõpositiones appellant, scriptum inueniunt, ac pro ea nominis similitudine decepti, cenabrio utuntur, quod uenenum esse probatur. Quemadmodũ igitur consulo hanc cinnabarim in usu medicinæ fugiendam, ita non suadeo draconum atq; elephantorum saniem ex India petendam. Nam ut fabulosum esse putem, cinnabarim illam quæ ad usum picturæ & medicinæ adhibetur, ex utriusq; animalis sanguine permixto concinnari, grauissimi testis Dioscoridis me facile mouet autoritas, qui quinto sui uoluminis libro, in quo de metallicis tractat, falsò quosdam asserit existimasse, coloris similitudine deceptos, cinnabarim sanguinem esse draconis. Durat uero

uero adhuc antiquorum in eodem nomine persuasio: nam hodie quoq; metallicũ illud, quod Dioscorides atq; Galenus cinnabarim nominant, uulgo sanguis draconis appellatur. Quanquã ferè omnes nostra ætate medici, Serapionis atq; Auicennæ errorem sequentes, id genus sanguinis draconis, quod in usu est, succum herbæ cuiusdam arbitrãtur, quæ à Græcis sideritis uocatur: Sed de sideritide quidẽ herba, omnibusq; eius generibus plenissime scripsit Dioscorides. Ex nulla tamen eiusdem specie talem exprimi succũ edocuit, quo medici pariter atq; pictores ad suum utrique opus uterentur. Hunc tamen duplicem & in pictura & medicina usum compertum habemus, in eo quod purum sanguinem draconis appellant, & de cinnabari eundem Dioscorides Pliniusq; testãtur, quod me maxime mouit, ut existimarem idem esse cinnabarim, de qua Plinius, ac ueteres autores Græci scripserunt, & id quod nos uulgo sanguinẽ draconis uocamus. Nam hic quoq; sanguini colorẽ quàm simillimum reddit, & est rarus inuentu atq; difficilis, nec minus carus quàm legitur fuisse apud antiquos, quando syncerus atque incorruptus uenundatur. Nam qui passim in medicamentariorum officinis uenalis exponitur adulterinus est, licet eum pro uero in medicinæ usu recipiamus: quemadmodum uilem quandam terram, atque uulgarem pro lemnia terra, quam, ut supra diximus, ueteres medici lemnium sigillum appellabant. Sed in hac omnium rerum etiam ad uitam pertinentiũ incuria, sit sanè ueniæ locus, si alterum pro altero negligenter accipitur, modo in uenenum præceps non feratur ignorantia, ut in cinnabari diximus, pro qua sæpe minium factitium recipitur, quod uenenum esse docuimus: liceat pro terra lemnia terram nostratem gypseo colore recipere, quæ licet nihil habeat cum illa commune, præter quendam ficti tamen sigilli characterem,

Sideritis.

Sanguis draconis.

non tamen est hic error cum uitæ pernicie. Pro argemonio herba, quæ ut scribit libro secundo Dioscorides, habet folium simile papaueri agresti, florem pariter rufum, radicem rotundam plurimo succo croceo manantem: utantur altero frutice, qui etsi plurimum à uero argemonio & effigie & uiribus distet, in multis tamen morbis utilis esse probatur. Pro eupatorio, Eupatoris regis inuento, sumatur herba uulgaris passim in foueis nascens, quã licet quid sit à pluribus ignoretur, constat tamen nõ esse uenenum. Pro Spina alba quam Arabes uocant bedaguard, quoniam hæc à medicis ignoratur, utantur spongiola rosæ sylueſtris, quæ in spinis nascitur: Nam etsi hæc plurimum in medicinæ usu differat à Spina alba, nõ tamen est hæc permutatio exitialis. Hosce atque alios quanquam & ipsos reprehensione dignos errores, quandoquidem interitum manifestum non adferunt, condonemus illis quorũ intererat hæc potius, tam ad usum medicinæ necessaria, quàm pleraq; alia nullius ad uitã momenti diligenter atque subtiliter perscrutari, modo pro semine rutæ sylueſtris semen cicutæ, quam nemo ignorat esse uenenum, non admittant. Non sit tanti unus accentus, ut quo cum Armel scribitur apud Arabes cum aspiratione significat cicutam: cum sine aspiratione, rutam sylueſtrem, aliquando ex tantilla nota hominum uita periclitetur. Ego quidẽ sæpius artifices, qui pillulas ex hermodactylis ac fœtidas conficiunt, huius erroris admonui, nec cesso quotidie admonere, quamuis maior inuereratæ consuetudini quàm mihi fides adhibeatur. Quod si me audiant, neque pillulis è lapide lazuli eum lapidem adiungant, quo passim pictores utuntur. MONTAGNANA quidem medicus sua ætate celeberrimus, huius lapidis usum periculosum existimat, quoniam sæpius non natiuus, sed arte, quam alchimicam uocant, fictus uenundatur. Ego uero tam naturalẽ quàm

Armel.

Ruta sylueſtris.

Lapis lazuli.

quàm fictitium cauendum censeo, quoniam nõ minus est uenenum quàm minium, quod uulgo cenabriũ uocari indicauimus: atque ideo nihil de hoc lapide apud Græcos autores legitur, quod ad purgandam atram bilem sit efficax, aut quod alios quos de eo scribit Mesue præstet effectus, quos ego uerius de lapide armeno affirmari posse existimauerim. Nam & Mesue ipse, licet lapidem lazuli à lapide armeno distinguat, non tamen uires ac proprietates admodum differentes in utroq; conscripsit. Serapio uero cum lapidẽ lazuli notificat, eiusq; potestates exponit, non alia refert quàm quæ de lapide armeno à Græcis traduntur, neq; postea quicquam lapidis armeni alio in loco commeminit: Quod sanè non tenue est argumentum, Serapionem eundem putasse lapidem, & qui armenus à solo in quo gignitur, & lazuli à colore cœruleo, quem Arabes lazul appellant, uocaretur. Auicenna uero etsi seorsim de azul, id est, lapide lazuli, & de lapide armeno inter alios lapides scribat, quæcũq; tamen de lapide lazuli refert, eadẽ omnia ferè à Græcis autoribus, Dioscoride presertim atque Galeno, de lapide armeno scribuntur: hæc enim sunt Auicennæ de lapide lazuli uerba: Virtus eius est sicuti uirtus eius quo adhæret aurũ. Dioscorides de lapide armeno libro quinto ita: Eadẽ facit quæ chrysocola. Auicenna de azul, siue lapide lazuli sic: Inest ei uirtus eradicatiua, putrefactiua, & absterſio eius cum acuitate, & stipticitate pauca. Galenus & Paulus de armeno lapide eadem ferè: Habet uires absterſentes cum acredine, & pauca quadam astringendi facultate. Auicenna de lapide lazuli pariter: Bonos efficit pilos palpebrarum, & est ultimum, sicut dicitur, propter proprietatẽ quæ est in ipso: & dicitur quod propter ea, quia ipsum euacuat humores malos prohibentes oriri pilos bene. In eandẽ quoque ferè sententiam Galenus de lapide armeno ita scribit:

Lapis armenus.

„ bit: Cum igitur tali natura præditus sit, miscetur medicami
„ nibus oculorum, ipsum quoq; seorsum terentes, & in pul
„ uerem quodammodo redigentes, utuntur sicco ad augen
„ dos pilos palpebrarũ, quando ob humorum acredinẽ qui
„ dam ex ipsis decidunt, quidam non augentur, neq; nutriun
„ tur. Nam ubi huiusce modi humorum acrimonia fuerit cõ
„ sumpta, ad naturalem habitũ palpebra restituitur. Ex hijs igitur tam similibus, ac penè eisdẽ tum Auicennæ, tum Dio scoridis atque Galeni de lapide lazuli, & lapide armeno sen tentijs, unicuiq; uideri potest, Auicennam æque ac Serapi onem in lapide lazuli lapidem armenum designare. Magis uero in hoc Serapio quàm Auicenna laudandus, quoniam cum lapidem armenũ sub lapidis lazuli nuncupatione noti ficasset, nihil postea seorsim de lapide armeno tanquam re à lapide lazuli differente, id quod Auicenna fecisse proba tur, scribendum censuerit. Quod si pauca quædam in la pide lazuli addit Auicenna, ut quod uirtutem habeat eradi dicatiuam, & putrefactiuam, quæ de lapide armeno à Græ cis non scribuntur, sed de altero metallo potius, quod ab eisdem Græcis cyaneus appellatur, non sanè mirandũ est, Auicennam ut in plerisque alijs, ita in hoc quoque lapide rerum differentium proprietates miscuisse. Vnde illud eue nit, ut sibi parum constare, atque inuicẽ pugnantia in hoc eodem lapide scribere uideatur. Nam si uirtutem habet era dicatiuam, quemadmodũ de ipso scribit, quo pacto nutrit aut producit capillos ex proprietate quæ est in eo, quos ex uirtute eradicatiua debeat extirpare? Quod si etiam sit pu trefactiuus, cum ea quæ putrefaciẽdi uim habent, à medicis doctissimis, ac Galeno præsertim, inter uenena computen tur, qua ratione pillulæ ex eodem sine uitæ periculo sumun tur? Hoc enim est id, quod ex lapidis lazuli usu non paruũ imminere periculũ significaui. Eundẽ enim esse censeo illi, quem

quẽ Dioscorides atq; Galenus sub cyanei appellatione no tificant, quẽq; idem Dioscorides libro v uim destruẽdi ac putrefaciendi habere testat. Atq; ideo nullus ex Græcis au toribus sicuti lapidem armenũ, ita cyaneum quoq; purgan dæ atræ bilis gratia docuit in pillulis deuorari. Neq; me la tet quædã esse, quæ per se sumpta sint exitialia uenena, alijs tamen admixta salutaria reddant. Sed dicat aliquis: quisnã usus aut ratio hoc in lapide lazuli deprehenderit? nisi forte in eadem re Arabibus autoribus fidem adhibere uelimus, quos uerisimile est lapidẽ lazuli à lapide armeno nescisse distinguere, cum unius uires ac proprietates in altero notẽt. Huius siquidẽ erroris nõ est omnino neq; ipse Serapio ex pers. Nam licet de lapide lazuli tantũmodo scribat, quo no mine lapidem armenũ uoluit intelligi? Quoniã uerba Gale ni, quæ Serapio in lapide lazuli refert, sunt ab eodẽ Galeno in lapide armeno conscripta. In fine tamen subiungit ex cu iusdam Alchanzi sententia, lapidem lazuli habere uirtutẽ adustiuam & putrefactiuam, atq; ideo auferre uerrucas. Hæc autem, ut diximus, non est lapidis armeni, sed alterius potius medicaminis, quod à Græcis cyaneum, à Latinis cœ ruleum appellatur, potestas. Neq; uero mirandum est Aui cennã in lapide armeno, qui etiam à nostræ ætatis medicis ignoratur, hæsitasse quid esset, qui in cicuta herba adeo uul gari tam anceps fuerit ac dubius, ut eam aliquãdo folijs cu cumeris, aliquando mandragoræ, iuxta diuersorum autorũ opiniones constare tradiderit, & nunc eandem succaram, nunc alpharas, & nonnunq; hyosciamũ nigrũ appellet. Nã in suo de simplicibus medicaminibus libro II sub succarã appellatione cicutã describit: eosdẽ siquidẽ succarã tribuit effectus, quos cicutæ Dioscorides. In quarto autem libro ubi de uenenis agit, cicutam non succaram, sed alphaphars uocat, & existimat ipsam esse napellum, aut uenenum

quod

quod interficit hominẽ, & non interficit turdos. Et postea subiungit eandem huius rei causam, quam affert Galenus non in napello & turdis, sed potius in cicuta & sturnis. Hæc enim sunt Galeni uerba tertio de simplicibus medicaminibus libro sic: Cicuta. „ Cicuta hominem quidem interficit ob meatuum latitudinem & caloris abundantiam, ac propter magnam quam habent arteriæ in attrahendo uim pollens adhuc pertingit ad cor. Non exanimat autem sturnos cõtrarijs ex causis. In eandem sententiam scribit idem Galenus libro secundo de alimentis, & tertio de complexionibus, de cicuta & sturnis, non autẽ de napello & turdis, ut in ore est omnium ferè medicorum, qui sola Auicennæ autoritate freti, id constanter affirmant quod nulla habent experientia cõpertum. Quis enim sciat, an turdi sine noxa napello uescantur, cum quid sit napellus ex ipso Auicenna non constet? Signa enim quæ ab Auicenna ponuntur in eo qui hauserit napellum, sunt eadem hijs quæ à Dioscoride & Paulo scribuntur in hijs qui toxicũ biberint. Toxicon. Est autẽ toxicon quoddã ueneni genus, quo sagittæ ab antiquis tingebantur: hinc enim illi apud Græcos nomen, quoniam missilia, quæ ipsi toxeumata appellant, hoc potissimum medicamine inficerentur. Sed hoc idem ueneni genus ipse Auicenna paulo infra nominat corrupto uocabulo, pro toxico tussõn, cuius se neque naturam, neque nomen nosse fatetur. Eosdem tamen in eo ex aliorum sententia tradit effectus, quos etiam Dioscorides ac Paulus in toxico notant, ac quos paulo supra idem Auicenna in napello conscripserat. Quod autem in autore Pandectarum legitur, atq; ab omnibus ferè medicis creditur, napellum esse speciem aconiti, id ex Auicennæ sententia affirmari non potest. Napellum. Aconitum. Aconitum enim duplex est, autore Galeno: aliud quod interficit lupos, atq; idcirco apud Græcos lycoctonos dicitur: aliud quod pantheras exanimat,

exanimat, ac simili ratione ab eisdem Græcis pardalianches appellatur. De hijs autem duobus aconiti generibus Auicenna eundem Galenum secutus, sub nomine strangulatoris adib, id est lupi, & strangulatoris leopardi seorsum à napello tractauit. Quod si Auicenna nõ minus noxias quàm etiam salutares herbas incognitas habuisse probatur, quodnam ex eius uiri doctrina aut in euitandis uenenis, aut in capiendis remedijs auxilij sperare possimus? Atqui omnium artium professores hæc duo suscipere ac polliceri uidentur, bonorum scilicet ac malorum in sua quisque arte scientiã.

Idem Auicenna, ut ad id unde digressi sumus redeamus, eandem cicutã eodem libro scilicet quarto, ubi de uenenis agit, hyoscyamum nigrum nominat. Nam quæcunque signa ab Auicenna scribuntur in eo qui hauserit hyoscyamũ nigrum, ac contra idem uenenum remedia, non alia sunt quàm quæ in cicuta Dioscorides ac Paulus pariter notauerunt. Nec minus idem Auicenna in altera herba, quam pro cicuta recipi oportere in pillulis ex hermodactylis insinuauimus, incertus fuisse uidetur quid esset, cum gummi eius inter uenena ponat, atque ea signa pariter atq; remedia in hijs qui idem gummi hauserint scribat, quæ Dioscorides ac Paulus nõ in gummi rutæ syluestris siue montanæ, neq; enim usquam legitur aliquam rutæ syluestris speciẽ habere gummi tale, quod uenenũ sit, sed potius in ueneno quodam quod ixiasa appellatur, de quo etiam Nicander in theriacis suis facit mentionem, pariter notauerunt. Auicẽna etiam in eodem quarto libro, ubi docet curationem morsus uiperæ, scribit rutam agrestem non esse, ut multi opinantur, harmel, cum tamen & Dioscorides, & Galenus ac Paulus quoddam genus rutæ agrestris moly besasa, atque harmalum appellari testentur. Moly. Quod quoniam, ut ijdem tradunt autores, uim habet incidendi & discutiendi lentos ac tena-

ces humores in articulorum doloribus, ad quos pillulæ ex hermodactylis ualent, quoniam magna ex parte talium humorum uitio proueniunt, utilius adhiberi existimauerim quàm cicutam, quæ sua frigiditate augere potius eundem morbum possit quàm tollere. Galenus siquidem libro de simplicibus medicaminibus primo, semen cicutæ præ omnibus alijs frigidissimum esse testatur. In quinto uero eiusdem uoluminis libro, etsi quædam uehementer frigida probat hebetandi sensus gratia, ubi impatibiles crucient dolores, usum tamen cicutæ in totum damnat, ut quæ non solum frigiditate, sed etiã superflua humiditate sit pernicioſa.

Sed nescio quo pacto dum alia ex alijs in medicina errata corrigenda se suggerunt à Plinio ad Auicennã nostra se oratio deuoluit, in cuius autoris erroribus explicãdis expatiari si uelim, nullus huic operi terminus futurus erit, cũ omnes eius de medicina libri, ac secundus præsertim, in quo de simplicibus medicaminibus tractat, de quibus hactenus sermo habitus est, innumeris scateãt erroribus. Non ignoro igitur quos transeo, sed breuitatis potius causa prætermitto: Alteri enim hic mihi labor est uolumini destinatus, in quo toto soli Auicennæ tractabuntur errores. Quare hæc in Plinio, tum obiter etiam in reliquis qui de eisdem rebus non recte, ut ego quidem sentio, scripserunt, in præsentiarum notasse sufficiat: quæ ad te Angele, uir doctissime, scribenda, tuóque iudicio grauissimo ac maximo subijcienda existimaui, ut à te perspicacissimæ doctrinæ uiro si probabuntur, gaudeam sanè contra obtrectationis inuidiã, quam non dubito aduersus me plurimum, hoc præsertim uolumine edito, ac tuo nomini dedicato, exortum iri, tuum mihi non deesse patrocinium. Quod si in hijs etiam quæ ad Plinium attinent longe aliter quàm ego senseris, meq; potius in errore quàm Plinium fore iudicaueris, non lætabor minus

nus & Plinium absolute defendi, & me ab homine mihi amicissimo corrigi atque emendari. Nam cum hic non de uerborum momentis, sed de rebus agatur ex quibus hominũ salus ac uita dependet, impium sanè sit atque inhumanum, sicuti tibi alienos, ita mihi meos uelle errores obnixe atque obstinate contra ueritatem tueri. Vt autem de me loquar: Hæc omnia quæ præsenti uolumini inseruí, animo ab omni contentione alieno, atque ad solam ueritatem spectante scripsisse, illud non leue argumentũ esse potuerit, quod quemadmodum in Plinium, ita in Serapionem atque Auicennam, pluresq; alios qui circa eandem cum Plinio materiam scribendo de simplicibus medicaminibus fuere uersati, in quibus à Dioscoride, Galeno ac Paulo, atque ab ipsa rerum parente natura dissentire mihi uisi sunt, ut communi hominum saluti consulerem inuehendum pariter duxerim. Vtrum autem recte, an perperam hoc munus pro tempore obierim, tuum erit, atque aliorum qui de similibus rebus iudicare possunt, officium, nõ tam autoritatem scribentium, quàm ueritatem ipsam inspiciendo itidem sine ullo animi affectu pronuntiare.

Vale.

TRU Knihovna

NICOLAI LEONICENI AD HERMOLAVM BARBARVM PONTIFICEM AQVILEIENSEM EPISTOLA.

VIX dici posset, doctissime Hermolaë (sit enim hæc tui præfatio mihi hoc in loco cõcessa, quoniam ut te lepide ac scite dicere audio plures, iam Hermolaum literatum norunt quàm candidatum) quantum lætitiæ ac uoluptatis acceperim ex eruditissimi operis tui Plinianarũ castigationum editione: non ob id tantum, quod Plinij de naturali historia libros, qui prius mendosissimi, ac quasi demortui habebantur, adeo ut si Plinius ipse reuiuixisset, itaq; uti prídem habebantur deprauatos inspexisset, suos esse omnino pernegasset, tuo studio ac diligentia in lucem restitutos, ac quodammodo renatos fateri liceat: sed quod multiplex in eodem opere fructus ex uarijs tam Græcæ quàm Romanæ linguæ uoluminibus erutus, unà cum Plinianis castigationibus contineatur. Nemini sanè displiceant tot milia Plinio ab impressoribus siue librarijs uulnera adacta, quæ dum tu sanare studuisti, tam multa digna memoratu tibi scribendi dedere occasionem. Multos certe futuros scio, qui nõ tam ueram Plinij lectionem, quàm tuam excellentem in eo libro doctrinam sunt quæsituri. Quod uero me in eodẽ præ cæteris summopere delectauit illud ipsum fuit, quod plericq; mihi futurũ esse molestum suspicari potuissent: Plinij quoque defensionem, in quibusdam locis à me in eo autore notatis, obiter fuisse susceptam. Neque enim ego is sum, qui uelim mea scripta sine contradictione legi: Nam quodin calce libri de Plinij, atque aliorum medicorũ erroribus editi scribitur,

scribitur, gauisurum me esse, si quis Plinij patrocinium susciperet, meq; potius quàm tantum errasse uirum demonstraret. Id non adeo Angelo Politiano, ad quem idem liber destinabatur, quàm omnibus planè in tota Italia eruditis uoluisse insinuatum existimari. Sed quod idem Angelus Politianus, uir alioqui in enarrandis poëtarum, oratorũ, ac philosophorũ libris occupatissimus, hactenus facere distulit, uel quod Plinij defensionem suis alijs grauioribus studijs postponendam censuerit, siue quod mei libelli confutationem nostræ ueteri amicitiæ condonãdam existimauerit, dolebã à pluribus alijs uere atq; ingenue doctis prætermissam, atq; hoc Plinij tutandi munus à quibusdã hominibus usurpari, qui nihil minus in sua uita tractassent, quàm res illas de quibus mihi erat cum Plinio dissensio, quas ut etiam scirent à meipso per meos discipulos latenter explorabant. Quid enim ipsi agerent, cum neq; medicinæ studijs unquã incubuissent, neq; Græcorum medicorũ autoritates, quas ego in meis sententijs confirmandis adhibueram, unquam legissent? Aut si nunc demum legere inciperent, quoniam græcas literas ignorarẽt, nec unũ quidem uerbũ possent intelligere nisi ab alijs illa docerentẽ, quæ sub suo nomine erãt impudẽter edituri: Et ne nihil de suo interseruisse uiderentur, iurgijs atque conuicijs pro Plinio contenderent. Cum igitur non parum sanè dolerẽ litem mihi esse cũ uiris nõ solum imperitis, sed etiam insolentibus & contumelioſis, tandem uel casus, uel ratio talem, qualem merebatur Plinius attulit defensorem, te scilicet Hermolaë, qui tantus in omni doctrinarum genere haberis, ut Marcum illum Varronem Latinorum atque Græcorum habitum aliquando doctissimum, solus ætate nostra repræsentes. Equidem cum ad me huius à te pro Plinio susceptí patrocinij fama peruenisset, testes habeo Ferrariæ quàm plurimos, qui me illud dictitan-

tem audiuerunt: iactum esse maioris machinæ saxum, quæ ab illo mœnia non forent subuersa, nemo speraret fundis posse demoliri. Neq; hæc sanè iactabam tanquã essem de meipso securus, quinimo quàm esset mea in ancipiti fama periculo omnibus prædicabã: Rem mihi esse cum uiro eloquentissimo, philosopho perspicacissimo, multarum rerum quæ aliis essent abstrusæ atq; reconditæ, scientia prædito, ac quod præcipue modo nomini posset officere, iã multos annos, dum Plinianas castigationes, ac Dioscoridis translationem unà parturiret, soli simplicium medicaminũ indagationi uacante, non me tamen propterea cessurum affirmabam, sed ueluti nauis forti compage subnixa, ubi semel ancoram iecerit, quamuis

Eurus Zephyrusq; ruant, creberq; procellis
Africus, & uastos tollant ad sidera fluctus,

contrra tamen tot uentorum, atque oblatrantium impetus fluctuum, stabilis atque inconcussa perdurat, statuisse me fortiter stare, ac quanto maior me uis oppugnaret, tanto audentius pro ueritate certare. Tandem cum tuæ in Plinium castigationes ad manus meas peruenissent, tunc demũ intelexi temere me suspicatũ, te mihi fore aduersariũ, qui esses mei libelli propugnator acerrimus. Tu enim Plinij, ut tuis utar uerbis, cauillum, lunam terra maiorem statuentis, non alia quàm ego ratione confutasti: Tu de porro atq; marubio errorẽ in Plinio hallucinante confirmasti: Tu polij atq; tripolij confusionem in eodem autore notasti. De partheno altera, quam Celsus nominarat diuersam ab ea quam Plinius eandem putarat, idem quod ego sensisti: Dioscoridem saliuncam à nardo celtica non existimasse differentẽ, tu unà mecum iudicasti: quamuis plus Plinio contrariũ opinanti credendum censueris. De papauere, heraclio, herbæ struthio simili, ac non passeribus, ut scribit Plinius, quãuis certiorem

certiorem sententiã ferre distuleris, mihi tamen adstipulari uerba Dioscoridis non negasti. Herbam etiam fraga ferentem non esse quinquefoliã, sed potius trifoliam, tu etiã contra Pliniũ pronuntiasti. Meam de empetro, de betonica, de cyclamino opinionẽ tacendo cõprobasti. Deniq; si quis res ipsas potius quàm sermonis elegantiã, qua longe abs te superari confiteor, consideret, illud dicere audeat: Vel Barbarus leonicizat, uel Leonicenus barbarizat: non quod tu à à me, aut ego à te aliquid fuerimus mutuati, sed quod ea sit nobis consensio animorum, ut plures qui aderant docti sanè uiri, cum Ferrariæ in palatio Ducis illustrissimi Herculis de simplicibus medicaminibus sermones inuicem haberemus, nõ parũ sint admirati, te cum uix ego ad loquendũ os aperuissem, meos anticipasse cogitatus, mecq; itẽ ex uno plerunque uerbo abs te prolato, quæ deinceps proferre uolebas diuinasse: Quod si in hijs quæ ad Plinium attinent, numero sanè paucis, ac non magni ad uitam momenti contigit dissentire, minus certe mirandum, in ea præsertim materia, de qua nulla incertior atque inconstantior apud medicos habetur scientia. Adde quod tu Plinium, quem in nouam educendo lucem ueluti adoptiuum tibi filium fecisti, animo paterno castigasti, plura illi errata indulgendo, ac leuiter perstringendo, atque omnia ferè librarijs uel impressoribus imputando. Ego qui alienior eram seuerius fortassis quàm decuit egi aduersus hominem, meo quidem iudicio præstantissimum, atque de hominum genere optime meritum, quem tamen quoniam humanum sit labi, decipi & errare, deuium à ueritate iter aliquando tenuisse suspicabar: Atque ideo cum de rebus ageretur, in quibus hominum salus ac uita continetur, quoniam in nulla tantum, quantum sit in huiusmodi insciția periculum, nolui ueritatem in obscuro iacere: Atque idcirco librum

Insciția medicorũ capitalis.

de Plinij atq; aliorum medicorũ erroribus censui publicandum. Neq; uero id tu mihi uitio uertere potes, quod plerique æmuli cumulandæ inuidiæ gratia mihi criminosius obiecerunt, temerarium me hominem atq; impudentem uocitantes, qui tanto in lingua latina autori ausus sim contradicere: Est enim abs te, qua nulla magis mihi possit in hac causa suffragari, XXXII libro Plinianarum castigationũ præ
» clarissima scripta sententia: Cogitationem aliquam huius
» modi supprimere, non esse parcere ueteribus, sed inuidere
» posteris. Erat autem, nisi fallor, ea tua cogitatio, quod Plinius non recte imitatus Theophrastum, libro prædicto scripsisset, reperiri in Hispanijs minium, sed durũ & arenosum, quoniam Theophrastus non de Hispanijs, sed de altera loquereẽ Hiberia quæ Albanis est iuncta. Quod si tu in hijs quæ à quibusdam minutioris forte curæ iudicarentur, nec Plinio quidem tuo parcendum censuisti, debui ego, qui artem medendi profiteor, in rebus ad salutem hominum attinentibus, si quando Plinium aduerti dormitantẽ, uiri alioquin doctissimi, errata tacere? Quanquã tu forte inquies: Quis tibi hoc iussit silentium? ego enim non te uetui, quæ à Plinio erant non recte scripta notari, quando & ipse quoque non solum librariorum, siue codicis menda castigaui, sed plures etiam autoris hallucinationes aperui: at quæ erãt à Plinio uerissime dicta eidem pro erratis ascribi nolui permittere. Si mihi non sit de moribus apud te tanquam censorem, sed de doctrina potius penes iudicẽ pro meipso dicendum, difficiliorem aliquanto uideo mihi causam futuram, quoniam mihi sit necessarium à te uiro doctissimo, atq; amplissima prædito dignitate dissentire. Quam tamen rem eò æquiore animo ferre debes, qui sis in ea inclyta ciuitate Venetiarum natus atque educatus, in qua nemo Cæsar, nemo perpetuus Dictator, à cuius sententia prouocare non liceat.

Ego

Ego quidẽ sic existimo, quanto aliquis magis opibus atq; honoribus præstet, tanto se in literario certamine æquabiliorem præstare oportere, ne quod rationibus sit obtinendũ id ui extorquere uelle uideat. NICOLAVS V Pontifex summus, atque idem in suo Pontificatu literarũ patronus eximius, cuidã theologo ipsi familiari, quẽ aliquando ad disputandum de theologia solebat inuitare, hanc semper largiebatur ueniam, ut ei non tanquam Romano Pontifici, sed magistro Thomæ de Sarzana, hoc enim illi fuerat antequam ad Pontificium culmen ascenderet nomen, sine ulla reuerẽtia, aut sacrosanctæ potestatis formidine responderet. An non tu quoque Pontifex Aquileiensis in calce tui operis hortaris omnes literatos, ut libere de tuis scriptis pronuntient? Quod si tu uel tui quoq; taxandi potestatem cunctis concessisti, quanto ego æquius ea in meis defendendis uti potuerim? Quare ut iam eo iure tecum agã, quod tum cæteris, tum mihi præcipue, qui abs te fui ante notatus, permisisti, singula Plinianæ defensionis capita eodem ordine, atque ijsdem ferè uerbis quibus à te scripta sunt in medium adducentur, & nunquid sufficienter Plinium ab erroribus uindicent eruditorum iudicio subijcientur.

DE CISTHO ET HEDERA.

Non uidetur tibi Plinius libro XII iure reprehensus, qui cisthon herbam, ex qua fit ladanum, hederam nominauerit, quoniam, ut inquis, Paulus Aeginita cisthon hanc etiam cisson, id est hederam nominet, & Dioscorides eandem cissaron, id est hederulam uocari tradat? Ego quod cũ ueniæ præfatione dicere liceat, doctissime Hermolaẽ, nusquam reperi apud Paulum aut Dioscoridem, herbã illam ex qua cõficitur ladanum, de qua nobis est disputatio præsens, cisson, id est hederam, uel cissarion, id est hederulam

nuncupari, sed potius cisthum, aut ledon, siue ladona: hæc enim sunt Pauli uerba quarto sui de medicina libri uolumine, in quo agit de simplicibus medicaminibus: λάδανον ἀπὸ τοῦ λιωσοῦ τοῦ λάδανος λεγομένης γίνεται, id est, ladanum ex cistho ladone appellata fit. Sic Galenus medicamentum id quod ladanum appellatur, ex cistho, non autem ex cisso fieri attestatur. Neque Aëtius, his ætate aliquanto posterior, non tamen exiguæ apud Græcos autoritatis medicus, alia usus est in eadē herba quàm cisthi appellatione: alterā tamē huic nō longe dissimilē sub qua nascitur hipocistis, nō cissaron, sed cistharum duo isti nobilissimi medici nuncuparunt. Dioscorides uero alterum cisthi genus, sub quo nascitur hipocistis, tam cistharum, quàm etiam cissarū à quibusdam scribit nominari: alterum uero ex quo fit ladanum, non cissaron sed ledon tantum à quibusdam inquit uocitari: Quo fit ut cissari nomen, quod latine hederulam recte dici posse arbitraris, non ei herbæ ex qua ladanum generatur, sed illi potius sub qua nascitur hipocistis, etiam Dioscoride teste conueniat: quæ etiam herba ladanifera, si nomine à cisso uel hedera diuerso diceretur, λίωσος potius quàm λιωσὸς pronuntiaretur, faciendi gratia inter ipsam atque hederam saltem ex accentu differentiæ. Quare ἀπὸ τοῦ κισσοῦ uox diminutiua formata, nō hederulam, sed proprij generis herbā significaret, quod etiam sit de altera, sub qua nascitur hipocistis, statuendum. Quanquam & Plinius ipse cisthum non idem cum hedera nomen, sed uicinum tantum sortitam esse insinuauit. Vicinum autem nomen uel κίσθος fuerit, uel κίσσος, à quo per diminutionem κισσάριον, sicuti ἀπὸ τοῦ κισθοῦ κισθάριον. Neq; uero hanc ipsam plantā, ut etiam tibi cōcesserim facta ἀπὸ τοῦ κισσοῦ diminutione à Græcis cissariū nuncupari, puto à Latinis recte hederulam posse nominari, quoniam non sequitur, ut si κίσσος uel κισσάριον multa significent apud Græcos, plantam

tam scilicet sub qua nascitur hipocistis, & hederam uel hederulam, si qua inter hederæ species alijs minor existit, qualis est ea quæ à Theophrasto elice, non autem cissarum nominatur, idcirco & hedera, uel hederula totidem habeat apud Latinos significatus, tanquam is frutex qui arbores scandit ac circunuoluitur, quàm etiam alter suffrutex sub quo nascitur hipocistis: Quæ duæ plantæ inter se non solum genere atque natura, sed etiam colore atque figura plurimum distant, hederæ uocabulo comprehendantur. In hoc sanè, quemadmodum in multis alijs, errore, fuit autor Pandectarum, qui uolens, ut arbitror, Auicennam tueri æque ac Plinium medicinam utranque confundentem, hederæ nomen aliquanto etiam quàm cæteri fusius accepit: adeo ut omnem herbam qua capræ libenter uescuntur, ab edendo hederam appellari posse putauerit. At tibi homini literatissimo, quem crassa Minerua dedecet, scio hanc rationem non probari: Atque ideo non parua me cepit admiratio, quo pacto unquam in animum inducere potueris, ut hederæ nomen apud Latinos plantam, ex qua fit ladanum, significare posse credideris, cum nusquam inueniri possit huiusmodi significatus exemplum, quando & Plinius ipse libro duodecimo dubitare uidetur, utrum sit hedera uel lada, quam hirci depascentes medicamen id quod ladanum nuncupatur, barbarum uillis adglutinent. Non te sanè latet, uirum tam græca quàm etiam latina insignem literatura, pleraque apud Græcos uocabula multipliciter dici, quæ tamen apud nos non seruant eandem significatus multiplicitatem: Nam φιλέω uerbum apud illos significat amare, & osculari: Amare autem pro osculari nunquam, ut arbitror, in nostro sermone reperies. Sed ut ab ipsis de quibus agitur plantis sumatur exemplum: σχῖνος in Græcorum lingua φιλέω. σχῖνος.

& lentiſcum arborem, & id cepe genus quod ab ipſis σχίλλα, à Latinis ſcilla appellatur, ſignificat: non tamen in noſtra lentiſci uocabulo aliud quàm arbor deſignatur. An non tu Theodorum Gazam, quem tamen in Themiſtij editione præ cæteris imitandum tibi propoſuiſſe fateris, in hoc tamen Plinianarum caſtigationum opere carpis, quod nimiũ linguæ latinæ amplificandæ ſtudioſus, id genus raphani agreſtis, quod à Græcis ἄγριος uel ἰσχίας appellatũ: quoniam ἄγριος apud illos etiam pirum ſignificat, latine dixerit pirum? Quid enim aliud innuere uolebas, niſi non eſſe piri apud Latinos æqua atque apud Græcos τοῦ ἀγρίς duplex ſignificatum? Ego uero Theodoro Gazæ in hac parte patrocinari non uerebor, quẽ puto ἄγριον etiam pro raphano agreſti pirum recte conuertiſſe: quoniam id raphani genus idcirco tale nomen apud Græcos ſortitum uidetur, quod piri effigiem ſua figura repræſentat. Quare ob eandem ſimilitudinem etiam à noſtris commode pirum diceretur. Græci ſanè uel ruſtici, qui eiuſdem raphani uſum, quem & Theophraſtus & Dioſcorides retulerunt, habent experientia compertum, quod ſcilicet pars eius ſuperior uomitum faciat, inferior uero aluum citat, nunc etiam chamæpidium, id eſt terreſtrem pirum uulgo uocare conſueuerũt. Multa tamen alia ſunt, in quibus iudico eundem Theodorũ Gazam minus recte latinis uocabulis uſum fuiſſe pro græcis: Nam hoc ipſum, de quo diximus, raphani genus, quoniã non ſolum ἄγριος, ſed etiã ἰσχὰς uocari à quibuſdã in græco Theophraſti codice legitur, idem nomen Theodorus caricã trãſtulit. Sed quãuis ita apud Theophraſtũ, cuius de plantis uolumina magna ex parte ſunt deprauata legatur, neque tu id uerbum in Plinio caſtigaueris, Dioſcorides tamen, cuius liber aliquanto emẽdatior quàm Theophraſti apud Græcos habetur, nõ iſchada, ſed iſchiada potius alio nomine idem medicamentum

Apion raphani genus.

dicamentum nuncupauit. Qui ſi etiam iſchas, ut apud Theophraſtum & Plinium ſcribitur, diceretur, non poſſe tamẽ caricæ uocabulum in lingua noſtra aliquam raphani ſpeciẽ, quæ nullam habeat caricæ ſimilationem, ſignificare. Iiſdem rationibus quas paulo ante de hedera attuli, auſim confirmare, ſimili errore, atque aliquanto ſanè maiore, Theodorus Gaza cẽtaurium maius fel terræ nominauit: Nam cum Theophraſtus libro IX de plantis ſcribat, centaurij radicẽ ad decem annos reſeruari, ac proculdubio centaurium maius intelligat, cuius radix, non autem folia, quemadmodũ contra minoris folia, non autem radix, ad uſum medicinæ adhibeat̃: hanc in utraq; centaurio differentiã non animaduertens Theodorus, ut qui apud Dioſcoridem, Galenum, & Plinium etiam forte non legerat, centaurij minoris radicem eſſe ſuperuacuam, atque ideo nullam eſſe ipſam reſeruandi neceſſitatem, ita illum Theophraſti locum eſt interpretatus: Publica uero omniũ radicum differentia, quod aliæ plus, aliæ minus temporis durant: helebori enim uel annis CCC utilis durat: malum terræ aut V, aut VI: uernilago XL: fel terræ XII. Pinguis hæc ſpiſſaq; admodum eſt. Iam uero hic error Theodori manifeſtus apparet, qui ſcribente Theophraſto, centaurij maioris radicem pinguẽ ac ſpiſſam, cuiuſmodi eam Dioſcorides & Plinius etiã ſcripſerunt, ſicuti minoris tenuẽ, ac nullius in medicimina uſus retulerunt. Ipſe tamen de minori ea ſcribi à Theophraſto putauit, quæ nullo pacto eidem conueniebant, atque ideo centaurium fel terræ uocauit: quo ſanè nomine centaurium minus ob eximiam amaritudinẽ conuenientius inſignitur: maius uero tantum abeſt ut fel terræ dici poſſit, ut multo rectius mel terræ uocaret̃: nam eius radix eſſe ſubdulcis à Dioſcoride traditur, & qui eandem norunt ita eſſe experientia comprobarunt. Ego ſanè ſcio ipſam ab omnibus ferè medicis

Centaurium maius.

dicis ætate noſtra ignorari. Conciliator quoque differentia centena, centaurium maius æuo ſuo incognitum fuiſſe teſtatur, licet milies ipſum, ut arbitror, uiderit, atque ad opera medicinæ frequenter adhibuerit: quod etiam noſtri temporis medicis frequentiſſime contigit. At quî fieri poteſt, aliquis inquiet, ut uel Conciliator, uel eo poſteriores medici id medicamentum ignorauerint, cuius uſum aliquando nouere? nam proculdubio hæc inuicem pugnantia uidentur. At ſi mihi more ſophiſtarũ loqui liceat, illud dicere auſim, centaurium quidem maius à medicis noſci, non tamen ab eiſdem noſci centauriũ maius: quemadmodum eupatoriũ agnoſcunt, non tamen agnoſcunt eupatorium, in quo ſanè minus quàm in centaurio maiore ſunt excuſandi. Nam licet hoc non ſolum peregrini, ſed etiam ſit ſoli itali germen, non tamen in multis Italiæ prouenit locis. At eupatorium in pratis, in uiridarijs, in uepribus, in planicie, in montibus paſſim naſcitur, & niſi conniueamus ubiq; ferè noſtros incurſat oculos. A Dioſcoride uero ac Plinio eius effigies ita deſcribitur, ut penè ante oculos poni uideatur. Hæ quales ſint herbæ, quo nomine à noſtris uulgo uocitantur, conſulto celari conſtitui, ne quod quidam mihi ſuis contra me ſcriptis, ut audio, obiecerunt, qui ſcilicet inter te ac me diſcordiam quæſiuerunt, tuum uidear expectatiſſimum de huiuſmodi rebus præripere uelle tractatum. Redeo ad Theodorum, qui & thrialidem bibinellam, & ſcolopendrium linguã ceruinã conuertit, eodem ſcilicet linguæ noſtræ amplificandæ ſtudio permotus, non ſanè improbando, modo rerum proprietas & natura ſeruetur: Nam ut de lingua ceruina taceam, quæ non eſt Græcis ſcolopendrium, ſed altera potius ab eiſdem hemionites nominata, illi quidẽ uiribus proxima, figura autem plurimum diſtans: Licet tu in tuis caſtigationibus tam ambas ſimiles ſcripſeris, ut difficile ſit interno ſcere,

Quædam medicis uſu nota, nominibus incognita ſunt.

ternoſcere. Vt, inquam, de iſta taceam, ob eam ſaltem quã habet cum ſcolopendrio poteſtatum ſimilitudinem, thrialis omnino differt ab ea quam uulgo bibinellam appellamus: eſt enim altera potius quam Græci tum phlomum, tum etiam thrialida uocant, hoc eſt elychnium, quoniam pro elychnio in lucernis utuntur, Latini uerbaſcum nominant, quidam recentiores taxum barbatum.

Pari errore Theodorus milon arborem taxon latine dixit, cum tamen taxos arbor non milos, ſed ſmilax à Græcis uocetur: De qua quidem ſmilace Theophraſtus tanq; arbore differente ſeorſum à milo tractauit. Quo etiam in loco Theodorus græcam ſeruauit appellationẽ, hoc eſt, ſmilacem dixit, ubi taxum potuit interpretari: ubi autem milon ſcribere oportuit, quoniã huic forte arbori nomen lingua latina non dedit, ipſe taxum nominauit: quo tamen in errore magis eſt Theodoro ignoſcendum, quoniam & Plinius noſter ſimili propinquitate deceptus, milon arborem inter meliæ, id eſt fraxini ſpecies libro XVI collocauit: quod facile eſt animaduertere, ſi quis quæ de milo arbore libro III Theophraſtus, quæ de uarijs fraxini ſpecibus ſcripſerit Plinius, diligentius inſpiciat. Vide quot nodi apud Theodorum, male aliquando Theophraſtum interpretantem, & Plinium etiam implicantur, qui, niſi tu eos doctorum doctiſſimus ſolueris, mihi ſanè uidentur inexplicabiles. *Milos arbor.*

Idem Theodorus chamædaphnem uincam peruincam apud Theophraſtum interpretatur, cum tamen chamædaphne alia ſit planta, cuius deſcriptio apud Dioſcoridem plurimum à uinca peruinca eſt aliena. Cuius etiam uincæ peruincæ naturã imaginẽq; accuratius contẽplantibus, illa eſſe uidebit quæ à Dioſcoride ac Plinio pariter clematidis atq; daphnoidos, & polygonoidis nominibus deſignatur. *Chamædaphne.*

Theodorus

Theodorus insuper aparinen lappam nominauit, cum tamen lappæ nomen communius appareat, ac sicuti per excellentiam personatiæ potius grandes lappas ferenti conueniat: hij tamen de uinca peruinca & lappa Theodori errores ex Plinij autoritate, ita easdem herbas nuncupantis, habuere occasionem: quemadmodum & ille haud paruí sanè momentí, quo æque ac Plinius Theodorus libro VI Theophrasti cisthum hederam transtulit, atq; eodem modo in marem diuisit & fœminam, & florem utriq; rosaceum ascripsit, in mare purpuram accedente. Idcirco autem superiora illa in Theodorí translatione errata notauimus, ut hoc postremum, quod plurimum meæ opinioní aduersabatur, exemplo aliorum magis confirmaremus. Iam enim quidã mihi Theophrastum obijcere moliti sunt libro VI, interprete Theodoro Gaza, non aliter quàm Plinium libro XVI hederam diuidentem, eundemq; illi florem deputantẽ: Quæ si pro ueris, atque fideliter ab utroq; autore scriptis recipiantur, nulla dubitatio relinquetur, cisthũ, id est ladam, posse etiam cissum, id est hederam, ut tibí uideo placere, uocitarí: & quæ de cistho Theophrastus cæteriq; autores Græci tradiderunt, eadem à Latinis de hedera absque ullo errore referrí. Quare cum in hoc totius controuersiæ nostræ cardo uertatur, liceat mihi hunc locum cum bona abs te uenia impetrata, diligentius examinare, quando & tibí non fuit indecorũ ad leuia ista nostratia legenda, & iudicio cognoscenda descendere. Hactenus quidẽ de solo nomine disputauimus, liceret ne cisthũ utranq;, tam eã scilicet quæ fert ladanum, quàm alteram sub qua nascitur hípocistis, hederam latine appellare. Sed esto hoc uerbum cissos apud Græcos tam de cistho altera planta, quàm de uera hedera proferat, sicuti uox ista Canis, tam de animalí terrestrí, quàm etiam de cœlesti sidere dicitur: at quemadmodum neq; canẽ cœlestem

lestem recte in marem ac fœminã diuiserimus, neq; utrunq; sexum habere latrandí naturam concesserimus: eadem, ut puto, ratione neq; Plinium hederam per maris ac fœminæ differentias iure partitur, neq; utrisque florem rosaceum cõuenientem assignat: quoniam hæc cístho, non autem cisso hederæ à Theophrasto & Dioscoride, & ab ipso Plinio libro XXIIII tribuuntur. Vt enim omittam illam hederarum in marem & fœminã libro XVI ab eodem Plinio positam diuisionem, quam forte quispiam omnium planè herbarum, fruticum, suffruticum, atq; arborum communem esse contenderet, quis unquã uidit rosaceũ in hederis florẽ? Tantí ne esse debet Plinij, aut Theodori Theophrastũ interpretantis autoritas, ut illis potius quàm oculis nostris credere debeamus? Magnus sanè philosophus Aristoteles tanti iudicium sensuum existimauit, ut ubí iste adsit uanum putet quærere rationem. Galenus omnium medicorum princeps, illos pro insanis habendos putat, qui cum ex sensibus possint habere probationes, eas ex demonstrationibus petendas censent. Auicenna eiusdem Galení, ut de seipso fatetur, interpres, eos qui sensibus credere nolint, igne exurendos, aut flagellandos iudicauit, ut dolorẽ sentientes sensuum iudicia uera esse perciperent. Et recte quidem hij uiri doctissimí sunt arbitratí: Cur enim nobis oculos, & reliquorum sensuum opificia natura concessit, nisi ut ad prospiciendã inuestigandamq; ueritatẽ propríjs possimus nitì subsidijs? Nõ debemus profecto ita nosmetipsos destituere, ut aliorũ semper uestigia sequẽtes nihil per nosmetipsos decernamus: hoc emi uere esset alienis oculis uidere, alienis auribus audire, alienis naribus odorari, aliena sapere intelligẽtia, ac nihil nos aliud quàm lapides esse statuere, si omnia aliorũ assertionibus cõmitteremus, nihilq; à nobis ipsis discutiendum putaremus: Quam tamen opinionem tum in

Sensuum iudicium certissimum.

omnibus alijs quæſtionibus, tum in hac præſertim de ciſſo & ciſtho debemus abijcere, ubi tanta inter hederæ florem, ac roſam ſylueſtrẽ apparet differentia, ut eiuſdem roſæ comparatione hederæ flos aliud potius, quàm flos, id eſt lanugo quædam uideat, qualis in uite, ac moro, populo, ac pleriſq; alijs plantis conſpicitur, quæ ita ab alijs diſcrepant flore, ut ne flores quidem ullos unquã procreare exiſtimẽt. Atq; ut iam ex ijs quæ ſenſu percipi poſſunt luce clarius oſtendamus, noluiſſe Theophraſtũ ciſſum, id eſt hederã, ſed ciſthũ potius diuidere in marem ac fœminam, ac roſæ ſylueſtri ſimilem florem utriq; ſubſcribere, quæ idem autor de hederæ flore ſcribat libro primo, differentiam plantarum per flores oſtendens, in mediũ afferemus. Hæc ſunt, ut tu optime noſti, Theophraſti interprete Theodoro Gaza libro quo dixímus uerba: Nunc illud exploratũ habemus per omnes partes, plures differentias uario modo exultare. Nam flores alij lanugínei, ut uitis, mori, hederæ: alij foliati, ut amigdali, mali, piri, pruni. Vt uero etiã euidentius quid ſit apud Theophraſtũ flos lanugineus intelligatur, alia ipſius Theophraſti uerba de eodẽ flore lanugineo ſubtexentur ex libro IIII ubi ita ſcribit: Huic plantago ſimilis conſtat, niſi quod flores non quemadmodũ illa particulatim edit, ſed per totam ſpicam tritici modo, ambobus tamen floſculus lanugineus exit, ſicuti frumẽto, & reliquis. Item Theophraſtus de eadẽ ita IX uolumine ediſſerit: Quin & floribus differẽtia tum natura, tum poſitu data eſt, de quibus ferè in hijs quæ in uniuerſum digeſſimus ſatis dictum exiſtimamus: ſcilicet quod alij lanugínei, ut omniũ ferè germinantiũ ſpicã: alij folijs cõſtant, ut leguminũ. Quod ſi quis adhuc etiam qualis ſit flos lanugineus, qualis ue ei oppoſitus foliatus ignorat, ipſo Theophraſto exẽpla non pauca ſuggerẽte, primũ quidem in uite, moro, plantagine, panico, milio: ſecundũ uero in

in amigdalo, malo, pruno, & leguminibus contempletur, neq; uel minimũ dubitabit, quin roſa ſylueſtris in altero genere florũ, quos Theophraſtus foliatos appellat, cõprehendatur, lanugineis ex aduerſo diſtinctos. Quare hederæ flos nõ magis roſæ ſylueſtris, quàm florimori, uitis, plantaginis, milij, panici ſimilationẽ continebit. Sed quoniam nõnulli ſunt qui mentis aciẽ longe clariorẽ quàm corporis iudicãt, atq; hebetis obtuſiq; hominis putant omnia ſenſus teſtimonio, nihil autẽ probare ratione, age & argumentis ex media ſumptis philoſophia apertiſſime demonſtremus, nuſq; Theophraſtũ illam de qua ſupra diximus in ciſſo, id eſt hedera, ſed ciſtho potius libro II feciſſe differentiã: quã tamẽ eius autoritatẽ aduerſarij contra nos adducentes, non aduerterunt ſimili alterius, Theodori ſcilicet male Theophraſtũ interpretantis, errore tueri. Illud mihi tecum nõ minus Platonica quàm Ariſtotelica diſciplina uiro conſpicuo primũ conueniat, non paruũ eſſe diuiſionis qua philoſophi utuntur artificiũ, quod Plato philoſophus excellẽtiſſimus adeo extollit atq; admiratur, ut qui multa in unũ recte collegerit, atq; unum in plura recte diuidere ſcierit, eius ueſtigia tanq; diui cuiuſdã ſectari in dialogo qui Cratillus inſcribitur, ex perſona Socratis dixerit. Eandem diligentiſſimæ diuiſionis ſcientiã Ariſtoteles adeo difficilem atq; operoſam putauit, ut in ſecundo de partibus animaliũ uoluminis libro, animalium genera in proprias ſpecies diuidere aggreſſus, quẽadmodum ei Galenus noſter obiecit, titubanti potius ac dubitanti, quàm aliquid affirmãti, aut aſſerẽti ſimilis uideat. De hac eadem diuidẽdi facultate apud Latinos Boëtius, apud Græcos Andronicus ac Theophraſtus libros accuratiſſime ſcriptos poſteris reliquerũt. Quis uero ſanæ mentis dubitauerit, quin ea quæ in eiſdẽ libris diuidendi præcepta tradunt ipſius artis præceptoribus notiſſima fuerint. Sunt aũt hæc ut

Diuiſionis artificium ſummum.

Galenus nõ minor penè philosophus q̃ medicus, in præfa tione artis curatiuæ ad Glauconẽ exposuit, summa atq; præ cipua artificiosæ diuisionis decreta, ex Platonicæ disciplinæ thesauris accepta, à primis supremisq; esse incipiendũ, dein de hæc in alia genera, species, differẽtias ue secandũ, atq; hæc ipsa rursus eodem modo partiendum, donec tandem ad eas peruenerimus species, quæ amplius diuisionem non admit tunt. Verum nunquid hanc diuidendi normam ac regulam obseruauerit ipse diuisionum magister Theophrastus uideamus. Si enim Plinio & Theodoro Theophrasti sententiam libro VI interpretantibus credimus, illa hederarum in duo prima discrimina, marem scilicet fœminamq; partitio, à Theophrasto libro III est omnino prætermissa: quo tamen in loco omnia hederarum genera ac species usq; ad specialissimas per proprias singula differẽtias partiri statuerat: deinde libro VI, ubi nulla erat de hederis narratio oportuna, si Theodorum interpretem sequimur, ponitur. Quod cum Plinio uisum esset absurdũ, libro XVI, ubi de omnibus hederarum generibus agere proposuerat, ab illa ipsa diuisione per marem ac fœminam censuit inchoandũ, cuius alibi meminisse, ac non ubi præcipua foret tractatio de hederis, magnam esse erroris partem existimauit. Nemo uero illud obijcere audeat, has maris ac fœminæ differentias eo in libro, in quo de hederis scribere accuratius instituerat Theophrastus, ab ipso tanquam inutiles fuisse neglectas, cum easdem differentias, ubi haberi possint, uel solas, uel maximas in syluestrium plantarum genere, qualem esse hederã constat, primas assumi oportere primo sui de plantis libro uoluminis idem autor affirmet. Sicuti uero omnia hederarum genera, seu species, sub uno communi genere, quod hedera appellatur continentur, ita & hederæ genus ad aliud genus superius refertur, quod frutex nuncupatur, quodq; ab ipso

ipso Theophrasto, qui omnes plantas quatuor distinguit generibus, arborum, fruticum, suffruticum, atq; herbarũ, ab alijs tribus ponitur natura distinctum. Liquet autẽ Theophrastũ libro VI nõ de fruticibus, sed de suffruticibus potius herbisq; tractare: Hæc enim ab ipso in eiusdẽ libri exordio scribuntur: De arboribus dictum iam est, nunc de suffruticibus & herbis doceamus. Consequitur: Et si quæ in hijsce alia genera comprehendũtur, illa quoq; annotemus oportet, ut fruges: nam hæ quoq; inter herbas deputari desiderant: Sed primum uerba de suffruticibus faciamus. Demum Theophrastus eo quo promiserat ordine prosequẽs ita de fruticibus loquitur: Sunt autem eorum genera quamplura summis differẽtijs discreta: cisthos, uel, ut Theodorus interpretatur, hedera, melotrum, rubea, cassia, origanum, satureia, lens, saluia, marubium, policaria, apiastrũ, cæteraq; huiusmodi, atq; etiam quæ minus similia sunt, sicet quæ ferulacea & neruicaulia constent, fœnicleũ, equifœnicleũ, ferulago, ferulaq;, herba muralis, siue muricidacea à quibusdã uocata, cæteraq; similia: Hæc enim omnia, atq; in totum ferulaceum suffruticum naturæ addixeris: Genera uero atq; discrimina singulis hijsce indicamentis habentur, alijs euidentiora, alijs occultiora. Cisthi nanq;, uel secundum Interpretem, hederæ, duo genera, masculina scilicet ac fœminina, quoniã altera maius, durius, pinguiusq; folium habet, floremq; ad purpurã inclinatum, ambabus tamen flores rosis syluestribus proximi, uerum minores & sine odore. Cum igitur Theophrastus & in ipso protinus sexti libri principio dixerit antea se egisse de fruticibus, iam de suffruticibus atq; herbis spondeat tractaturum, primoq; in loco de suffruticibus, in qua prima tractatione hederam, uel potius cisthum, ne errorem interpretis incurramus, melotrum, rubeam, ac cætera quæ sequuntur naturæ suffruticũ

censeat ascribenda, quis dubitauerit, hoc ipso in loco libri sexti nullam de hedera facere uoluisse mentionem, quã superioribus libris fruticũ generi addixerat: de qua præterea libro III arborum ac fruticum tractatione abunde asserue rat? Neq; uero quispiã ex eo decipiatur, ut quoniã hæc frutex atq; suffrutex apud Latinos uocabula una syllaba tantũ differunt, minimam quoq; existimet in rebus ipsis differentiam, quoniam eadem genera apud Græcos sunt tam uocabulo quàm etiam natura diuersa: alterum enim βάμνος, alterum φρύγανον idem Græci uocant. Quæ duo uerba cum non posset Theodorus commodius exprimere, fruticem atque suffruticem transtulit. Quare nisi uelimus Theophrastum summum philosophum, qui non modo de naturis rerũ, sed de dialectica, & diuidendi ratione atq; doctrina libros ornatius ac copiosius, quàm eius præceptor Aristoteles multorum iudicio conscripsit, tam pueriliter aberrasse, ut hederam aliquando in fruticum, aliquando insuffruticum genere collocaret, ut in ea quam fecerat libro III hederarum dictione, suæ doctrinæ præcepta negligeret, ac more quoque, ut Plato inquit, inepti, duo statim prima genera prætermittens, quodammodo membra disrumperet, ut hederam aliquando in fruticum, aliquando in suffruticum genere collocaret, ut sibijpsi pugnantia scriberet, atque contraria, hederæ florem nunc lanugineũ, nunc foliatum asserendo: ut denicq; ea quæ omnino sensui aduersantur in ea historia, in qua pleraq; usu magis quàm ratione dijudicari fatetur, affirmaret. Illud potius existimare debemus, Theodorum Gazam unà cum Plinio, qui Theophrasti libro sexto forte cissum pro cistho scriptum inuenissent, unius literulæ immutatione fuisse deceptos, ideóque illa hederæ tribuisse quæ Theophrastus de suffrutice longe ab hedera differente tradiderat: quo quidẽ errore cum Plinio libro XVI lapsum mani-

manifestissime uideamus, quid est quod dubitemus ipsum etiam libro XII itidem fuisse, ut tuo utar uocabulo, sæpius de hoc autore prolato hallucinatũ: quandoquidem ex Græci codicis mendo ita hic sicuti in prasso & prasio eadẽ erran di dabatur occasio. Equidẽ Theodoro Gazæ in Theophrasti translatione non raro aberranti ueniam puto impertiendã, quoniã ut in præfatione sui operis ipse cõqueritur, unicum tantũ eundemq; mendosum codicẽ habuit, nisi quod oportuit diligentem interpretem rerum naturam potius spectare quàm uerba. Qua diligẽtia si Plinius etiã usus fuisset, neq; tibi tot in eius libris proprias hallucinationes castigandi, neq; mihi tam multos errores notãdi necessitas foret adiuncta. Quoniã uero in hoc de cisso & cistho errato, quod erat tam Theodoro Gazæ, quàm etiam Plinio commune, longior fortasse fui quàm cuiquam necessarium uideretur, reliqua demum, quæ circa Plinium tantum disputantur, atque aduersus nos pro eodem Plinio abs te fuere defensa, pro nostra tuenda sententia quàm breuissima oratione potérimus confutare tantabimus.

DE CHAMAEDAPHNE.

In chamædaphne libro XV ueterem lectionem distinctiorem putas, si ita scribatur: Est & chamædaphne sylue stris frutex, & alexandrina, ut duo genera intelligantur. Alterũ chamædaphne, quã Latini laureolã, ut tuinqs appellãt: cũ tamen ea quæ hodie laureola latine dicit, nõ sit chamædaphne, sed daphnoides potius statim postea à Plinio descripta: alterũ, laurus alexãdrina, ex Plinio, Galeno, Dioscoride. Tu quidẽ Plinio hoc pacto excusas, ne uideat chamædaphnẽ uarijs in locis uarie designasse, cũ hoc in loco, libro scilicet XV laurũ alexandrinã tantũmodo pinxerit, sicuti libro XXIIII chamædaphnẽ. Sed duo remanẽt in Plinio scrupuli haudquaq; dissimulãdi: Cur cum Plinius cætera lauri gene-

ra

ra eodem libri XV loco descripserit, solam chamædaphnẽ inde scriptam reliquerit, cur cum alterũ genus non Alexandrina simpliciter, sed laurus Alexandrina à Theophrasto, Dioscoride atque Galeno, ab omnibus denique græcis autoribus uocitetur, Plinius propria appellatione prætermissa, sumptum à loco uel persona, cognomen tantummodo posuit, uel cum postea subiunxit, alij daphnem uocant, proprium nomen contra naturam postposuit, cum tamen uera huius fruticis appellatio non sit neque daphne seorsim, neque Alexandrina, sed hoc totũ, ut diximus, daphne Alexandrina.

DE ADARCE.

In adarce falli eos putas, qui uerbum, palustris, recto casu, non autem paterno capiendum putant, atq; ideo credidere non de salsilagine calamis adhærente, sub adarces uocabulo à Plinio agi, sed potius de palustri calamo adarce nominato: unde temere factum putas Plinio negociũ. At cum index capitis XXXII libro XVI agi de calamis, atq; fruticibus, non medicinis ea parte demonstraret, cum ipse præterea continens sermo de diuersis arundinum speciebus quibus adarce adnumeratur, cuiuis facile persuadeat, Plinio eo in loco putasse adarcem non esse salsilaginẽ, sed palustrem calamũ in Italia nascentẽ, nemo negociũ Plinio nisi
» ipsemet ipsi facessit. Quid enim sibi uult illa repetitio? Est
» enim obliqua arundo non in excelsitatem nascẽs, sed iuxta
» terrã fruticis modo se spargens, suauissima in teneritate animalibus, est & in Italia nascens adarce palustris, sub ipsa
» coma utilis dentibus, quoniam uis eadem est quæ sinapi.
Quid, inquam, uerbum, est, bis positum à Plinio insinuat? nisi ita esse adarcen ex arundinum genere, sicuti obliquam arundinem à quibusdam uocatam elegiam. Si etiam uerbũ palustris paterno casu capiatur, aspera nimis atque auribus absona

absona fiet Pliniana elocutio. Quod si præterea uerbũ arundinis, ut necessarium fore uidetur, supplendum sit, præscissa quodammodo atque defecta oratio uidebitur. Cur uero ea salsilago nasci in Italia à Plinio dicatur, cum in Galatia, nõ autem in Italia gigni illam Dioscorides scribat, ut mirũ uideri possit, te qui uelis Plinium de eadem loqui salsilagine de qua Dioscorides, uerbum illud, Italia, non castigasse, ac loco eius Galatia nõ posuisse: Cur etiam hæc medicina sub ipsa coma tantum utilis dentibus à Plinio iudicetur, quam Dioscorides, Galenus ac Paulus in omni parte calamorũ quibus hæret, quamuis ad alios usus quàm dentium, probauerunt. Nam & Plinius ipse libro XXXII, ubi adarcen quid sit nõ aliter quàm prædicti autores exponit, nasci illam circa arundines tenues, nulla facta de loco sub coma mentione, simpliciter protulit, neq; in paludibus, sed ubi spuma aquæ dulcis ac marinæ se miscent. Quod maximum est argumentum, hic quidem, libro scilicet XXXII, de adarce salsilagine fuisse locutum: libro uero XVI de altera, quã esse arundinis speciẽ falsa sibi opinione persuaserit, de qua etiã
» intellexit libro XX, ubi ita scripsit: Sinapis naturam ha-
» bere traditur adarca, inter syluas tacta cortice pleniore, sub *Restituitur locus Plinij.*
» ipsa coma nascẽs. Ita enim ego hunc locum puto legendũ paucioribus syllabis quàm in tua castigatione mutatis. Nã & id uerbum pleniore si ita iaceat eandem sententiam exprimit, quàm supra libro XVI posuerat, efficaciorem scilicet esse dentibus adarcen sub ipsa coma. Vel possumus ex uno uerbo duo facere, atq; ita legere: Cortice planè ori sub ipsa coma nascens: Quasi eam nasci ad utilitatẽ oris, cuius dentes sunt non minima pars, uelit insinuare. Quod pariter hijs quæ libro XVI de eiusdem medicinæ ad dentes usu testatus fuerat mire conueniet. Illud quoque pro nostra facit sententia, quod Plinius nusquam adarcen esse salsilaginem, nisi

libro XXXII monstrauit, ubi eam calamachnem nominauit: quamuis uitio codicis id uerbum corruptum sit in calamochnũ. Quo etiam in loco eosdem illi subscribit effectus, quos medici ueteres salsilagini tribuunt, alios ab illis quos libro XVI in adarce retulerat. Neq; uero hoc postremo libro quicquam meminit se in præcedentibus de eadem adarce scripsisse, sicuti libro XX cum de ipsa uerba faceret eandem se inter syluas tetigisse testandum existimauit. Hæc enim omnia manifestissime probant, Plinium uarijs in locis uaria de adarce sensisse, quam aliquando calami speciẽ, aliquando salsilaginem calamis inhærenrem significat.

DE AERA ET AEGILOPE.

In æra ac ægilope nescio an magis accusandus sit Plinius, qui in rebus adeo uulgatis, quibus nomina latina non deerant, græcis utendum censuerit: an potius quoniam de eisdem herbis græca appellatione monstratis illa affirmauerit, quæ sensus falsa esse deprehẽdit. Tu uero de æra hoc pacto pro Plinio respondes, quod cum Græci traderẽt loliũ strangulare circunligando se triticũ, neq; id in Italia magnopere foret compertũ, tutius esse cogitauit græca uti uoce quàm latina, æram id dicendo non lolium. Laudarem Plinij consilium, qui Græcorum mendacia, si qui forte fuissent qui tam insigniter mentiri uoluissent, ut scriberent loliũ circunligando se triticum enecare, rem neq; in Græcia, neq; in Italia compertã sub græcæ uocis obscuritate occultare studuisset, nisi æra uocabulum adeo esset in eorundem Græcorum lingua usitatum, ut eius significatus neminẽ lateat, qui uel parum literas græcas degustauit. Vt tamen Græcos autores uiros sanè doctissimos, qui de plantis scripserunt, atq; inter cæteros Theophrastum, quem præcipue de agricultura scribens Plinius imitatur, tãti erroris suspicione liberemus, hic

Plinius in agricultura Theophrastũ imitatus est.

nusquam de æra seu lolio scripsit, quod triticũ circunligando se enecet, sed solum auferendo alimentum, quoniam tritico adnascitur. Hæc enim sunt eiusdem Theophrasti
» uerba libro tertio de causis plantarum: Quippe orobanche uocata eruum enecat amplexu, compressuq; suo, &
» linodorum fœnumgræcum interimit protinus radici adnascens, & alia cladem alijs inferunt, ut quæ cum singulis frugibus simul proueniunt, ceu lolium atque auena tritico
» atque hordeo, & lappa lenti, & alia alijs. Omnia autem id circo interimunt, quia pabulum tollunt. Ex hijs Theophrasti uerbis, quorum magna ex parte sententiam Plinius libro XVIII, ubi agit de uitijs frugum, studuit exprimere, facile ostenditur Pliniani erroris in æra ac ægilope origo. Quia enim paulo supra Theophrasti fecerat de orobanche mentionem, quæ amplexu suo eruum strangulat, inde enim illi apud Græcos nomen, existimauit eandem esse æræ & ægilopi, quorum alterum lolium, alterum auenam Theodorus conuertit, interimendi rationem. Atque ideo post factam de orobanche mentionem, quæ circunligando se eruum enecat, postea Plinius subiũxit triticũ simili modo æra, hordeũ festuca, quæ nominatur ægilops, cum tamen Theophrastus, quem ut uidere est de eisdem rebus Plinius scribens, quantum potuit studuit imitari, cum Theophrastus, inquam, licet omnia de quibus eo differit loco, idcirco uicinas herbas scribat interimere, causa illa generali, quod pabulum tollunt, uarijs tamen hoc illa modis facere doceat. Nam orobanchen quidem quia eruũ amplexatur & cõprimit: linodorum uero, quia fœnugræci radici adnascitur: loliũ autẽ atq; auenã, quia cũ tritico atq; hordeo proueniũt, ceu aparinen, quã nescio an recte Theodorus lappã interpretat, cũ lente. Nullã uero ex illis tribus habere se uinciendi ac circunligãdi naturã, quicunq; eas nouerit minime dubitauerit

dubitauerit, nisi quod de aparine forte possit cõcedi, quam Galenus libro primo de alimentis ita se lentibus circumplicantem, neque aliter angentem ac strangulantẽ, quàm orabanchen eruum describit.

DE AEGILOPE.

Cur ægilopen potius quàm auenam eodem in loco dixerit Plinius eam rationẽ affers, quod cum Græci duo auenæ genera facerẽt, bromũ scilicet & ægilopen, hoc uero discrimẽ nemo reddidisset in Italia, ob id Plinius libro XVIII cum auenam inter uitia frumenti collocasset, paulo post de festuca, quæ uocatur ægilops, edisserit: non quod nesciret auenæ id esse quoddã genus, ut nonnullos cauillari inquis, me scilicet innuens, quem licet aperte non nomines, hijs tamen qui meũ libellum legerint facile das agnoscẽdum, sed quod alterũ quoq; fastigiũ celebrari nouisset bromos nomine. Hæc tu pro Plinio. Ego uero ut cauilli crimen, cuius me notasti, deprecer apud te, cui magis uelim meos mores probari, quàm doctrinã, nusquam Plinium per calumniã reprehendi, quod nescierit ægilopen esse quoddam auenæ genus, sed ob id tantum incessui, quod eodẽ capite modo græca, modo latina uoce in eodem auenæ genere uti uoluerit. Nam quod scribit Plinius libro XVIII auenam esse frumenti uitium, & hordeum in eam degenerare, hoc idẽ Theophrastus libro VI de plantis, & Galenus libro II de alimentis, de ægilope etiam testantur. Quod uero etiam paulo post Plinius ait ab ægilope hordeũ necari, idipsum Theophrastus libro V de causis plantarũ, licet alio modo quàm Plinius ægilopi tribuit. Alterum quoq; fastigium Plinius, si non eodem capite, saltem libro, aliquando bromum, aliquando auenã nominauit: ut inexplicabilis ratio uideatur cur Plinius in eisdem generibus nunc græcam, nunc latinã proferat uocem, bromum ex Oriente aduectã libri XVIII capite

capite X Plinius refert, sed eandem bromum eiusdem libri capite VII antea auenam fuerat interpretatus ibi ea scribit: Tunicæ frumento plures, ordeum maxime nudũ, & Alica, sed præcipue auena calamus altior frumento, quàm hordeo, arista mordacior hordeo. Hæc ferè omnia sunt ex Theophrasti libro VIII, quamuis corrupte pleraq; translata: Nam Theophrasti de eisdẽ rebus scribentis uerba sunt ista: Ἅμα δὲ ὁ μὲν ἐν χιτῶσιν πολλοῖς, ἡ δὲ γυμνὸν, μάλιστα δὲ ἡ γυμνοσπέρματον, ἡ κριθὴ πολύλοβον δὲ, ἡ τίφη, καὶ ἡ ὁλήρα, καὶ πάντα τοιαῦτα, καὶ μάλιστα πάντων, ὡς εἰπεῖν, ὁ βρόμος, ἔστι δὲ καὶ ὑψηλότερον ὁ κάλαμος τοῦ πυροῦ καὶ τῆς κριτῆς, καὶ τὸν σάχον ἀπηρτημένον ἔχει τοῦ φύλλου ὁ πυρὸς, ἥδιον δὲ τὸ ἄχυρον τοῦ κριθίνου τὸ πύρινον. Hoc est, ut Theodorus interpretatur: Ad hæc triticum tunicis integitur multis, hordeum nudum consistit, id enim omnium maxime caret tegmento: Tipha quoq; & siligo, & omnia huiusmodi multiplici folio includunt: ast omniũ maxime, ut ita loquar, auenã natura operuit: quin etiã culmus altior tritico quàm hordeo est, spica plus discreta à folijs emicat, palea quoq; plus suauior qua ex tritico q̃ hordeo. Si qs cõferat Plinij uerba supra posita hijs quæ de libro VIII Theophrasti subiũximus, nõ puto dubitabit, quin Plinius sicuti tunicas frumẽto plures, contrà hordeũ maxime nudũ ad Theophrasti scripsit imitationẽ, ita etiã in cæteris sequendo Theophrastum βρόμον πολύλοβον, id est auenã maxime opertam, ueluti interpretatur Theodorus, dicere uoluerit. Cur uero sensu contrario maxime nudam scripserit non magis scirem reddere rationem, quàm cur idem Plinius ægilopen circumligando se hordeum dixerit interimere, cum nulla auenæ species quæ id faciat agnoscatur, sicuti neque lolij, quod tuam alteram in æra destruit defensionem, ideo scilicet Pliniũ æram dixisse non lolium, quare ipsi plus lolij speciem, quàm lolium significare uideatur. Nam æque ignoratur ubi terrarũ talis lolij species oriatur, quæ circumligando se triticum enecet. Sed cur Plinius in hijs adeo apertis

erroribus tam operose defenditur abs te præsertim, qui scias hoc ipso in loco, ubi Plinius æræ atq; ægilopis naturã peruertit, in tantum fuisse hallucinatum, ut teramnum & ateramnum, quæ duo uocabula coctile atq; incoctile legumínum affectus pleriscq; in locis apud Theophrastum significant, ipse pro herbis noxijs acceperit: quarum altera, ateramnos scilicet, circa Philippos in pingui solo interimit fabã, teramnos uero in macro, cum quidã uentus afflauerit. Quẽ quidem adeo crassum Plinij errorẽ nescíens aliter excusare, locum esse uitio codicis decurtatũ suspicaris: qui etiã libro IX, capite XVI mirari te dicas, Plinio eosdem pisces modo græce, modo latine nuncupare: quod & in rebus alijs, ueluti in herbis Plinium plerunq; facere non diffiteris, nihil testantẽ eædem ne sint an diuersæ. Si hoc idẽ in alijs genus erroris Plinius admisit, cur nõ etiã in æra ac lolio, ægilope & auena potuit admittere? Vel si in hoc Plinius nõ errauit, cur tibi dedit in alijs similibus de se admirandi occasionem?

DE GLASTO, ISATIDE.

Si ubi de isatide inter lactucas sponte nascentes libro XX scribitur pro syluatico glastum, ut tuid uerbum castigandũ opinaris, legatur, non adeo nos elidemur, qui Plinium hoc in loco indiligentiæ accusauimus, quantum Plinij lectio quodammodo uiolabitur: quoniam à syluatico ad glastum longinquus est transitus. Quare uel nihil immutandũ est, sicuti uideri in manu scriptis codicibus asseris, aut si glastum loco uerbi Syluaticũ, quamuis uiolenter intrudatur, iure Plinium à nobis fuisse reprehensum, nisi hæc castigatio adhiberetur, iudicasti. Quantum uero rectius totus iste locus in Plinio emendabitur, si ita legatur: Alterum est genus quod Græci isatim uocant. Vbi uerbum Esopus, quod neq; græcum est, neq; latinum, si pro aliquo lactucæ genere accipiatur

accipiatur, tuam subterfugisse censuram non parum sumus admirati. Tertium est genus in syluis nascens, syluestrem isatim uocant. Hic enim diligenter aduertisti ex manu scriptis codicibus, nisi ita legatur locum fore defectum. Erit igitur secundum lactucæ sponte in aruis nascentis genus non esopus, sed isatis simpliciter appellata, tertium quod in syluis gignitur syluestris isatis. Quartum uero genus, quo infectores lanarum utuntur, non syluatica isatis, hæc enim est secundo generi adiuncta differentia, sed potius satiua dici debet. Differt autem hoc quartum genus à secundo, quoniam istud seritur, illud in aruis sponte nascitur. Si itaque glastum, ut rationabilius apparet, nullo modo interponatur, iam nulla dubitatio relinquetur, ita in hac herba, sicuti in pleriscq; alijs, familiarem sibi errorem Plinium incurrisse, quando eam sub uarijs nominibus quasi essent duæ, non una, in locis adeo distantibus designauit. Pari enim incuria atriplicem holussatiuum, atque etiam sponte nescens, modo latina, modo græca appellatione tanquã herbas differentes enarrauit. Vnde etiam illud est consecutum, ut effectus aliquando contrarios utrique subscripserit. De atriplice siquidem, atq; eius proprietatibus, cum libro secundo disseruisset, eãq; ex autoritate Pithagoræ morbos regios & pallorem facere tradidisset, mox de eadem sub chrysolachani uocabulo libro XXVII scripsit fuisse aliquos qui traderent, illam alligatam regium morbum habentibus ita ut spectari posset sanare id malum, quem etiam effectum de semine si bibatur cum melicrato, autor grauissimus Dioscorides, & plerique alij medici testificantur. Esse uero eandem herbam à Romanis atriplicem, à Græcis autem chrysolachanum nominatam, tibi probare supersedemus, ne id agentes Græcorum prouerbio subijciamur: Sus Mineruam. Aliter enim alijs, qui ausi sunt

Atriplex.

supra

supra calceum ascendere, aliter tibi Hermolaë eruditissime, non solum magnarũ, sed etiam minutissimarũ rerum scientia prædito, scribendum iudicauimus: Tibi, inquã, qui Plinium in uerbi prasion ambiguitate sæpe hallucinantem notauisti: quæ forte hallucinatio causa fuit, ut de balote libro XXVII scriberet, quam Plinius libro XX sub marubij nigri nomine notificauerat. Taceo mille alios huius generis apud Plinium errores, ne multa quæ tu in tuis castigationibus lectores commonuisti, nunc te uelle docere uideamur.

DE PERSONATIA AC PERSOLATA.

Ego Plinium in meo libello notandum putaui, quod libro XXV eodem capite bis personatiam descripsit, quam sicuti Græci utroque in loco arctium nominauit: altero tamen personatiam, altero persolatam, ut tibi uideo placere, dici latine insinuauit. Quam distinctionem nominũ à Plinio cognitam ais à quibusdam non fuisse perspectam, ob eam, ut puto, rationem, quod ego libro XXV altero in loco ubi de arctio fit mentio, pro persolata personatiã scribendum putaui. Sed cum tu quoq; fatearis persolatæ uocabulum à persola esse deductum, quod nomen apud Latinos, teste Placidio grãmatico, qui de Plautinis nominibus scripsit, personam significat siue personatiam, siue persolatam altero in loco legeris, nihilo magis ab errore Plinius eximitur, qui bis eandem herbã modo sub personatiæ, modo sub persolatæ uocabulo, eodem etiam capite pinxit. Sed tu forte non adeo Plinium defendere quantum me accusare uoluisti, qui Placidium grammaticum non uiderim. Ego uero id crimen in homine nulli rei minus quàm uerborum studio incumbente, non multum puto inexpiabile, sed una aquæ guttula ablui expurgariq; posse. Illud aliquanto difficilius in Plinio excusari queat, quod ex tantilla nominum

Placidius grãmaticus.

uarietate

uarietate rem diuersificari, hoc est, aliam esse herbam personatam, aliam personatiam iudicauit.

DE ECHIO ATQVE ALCIBIO.

Non reprehenderemus Plinium scribentẽ libro XXVII, se qualis esset alcibios apud autores scriptum non reperisse, nisi ipse Plinius libro XXV eandem alcibium sub echios nomine eodem quo Dioscorides modo pinxisset, adeo ut Plinius putasse uideatur, aliam esse echin ab alcibio, quam tamen non differre in nostro libello probaui: quoniam eosdem effectus tam de echi, quàm de alcibio, & Plinius ipse, & cæteri autores prodiderunt: qui etiam autores non seorsim de echi, seorsim uero de alcibio, quẽadmodũ Plinius, sed de echio tantum, quam alio nomine uocari alcibiadium testantur, tractauere. Cum uero tibi uideatur ea quæ dicatur echios, atq; alcibiadium diuersam esse ab altera, quam Nicander echin atq; alcibium appellat, ego me fateor hanc apud Nicandrum distinctionem non agnoscere. Illud satis habeo exploratum, in libro Dioscoridis uel Pauli nullam huiusmodi nominum, ac multo minus rerum differentiam deprehendi: quando quidem de echio atq; alcibiadio solum agentes, non alias illi uires ascribũt, quàm echi atq; alcibio Nicander. Vt uero proximius sit non differre, siue echis, siue echios, siue alcibium, siue alcibiadium eadem herba à diuersis autoribus nominetur, quemadmodum qui eam alcubiacum, non autem alcibiadium uocant, rem planè eandẽ non diuersam intelligunt.

DE HELIOTROPIO.

Vbi de heliotropio scribit Plinius, ais quibusdam uideri eundem autorem heliotropium cum cichorio confundere: quoniam & heliotropium cœruleo flore describat, & cibo gratum esse dicat, quæ duo cichorio conueniant. Ego uero & alia adiunxi quæ de heliotropio scribit Plinius, cichorio

pariter congruentia, ut quod ſemipedalem altitudinem nō excedat, & nō niſi pingui cultoq; ſolo naſcat: quæ omnes notæ aggregatæ cichorium manifeſte deſignant. Tu uero priores duas ita refutas, quod nihil impedit ueſcendo eſſe tam heliotropium quàm cichorium: nec conſtat in Dioſcoride, λευκὸν ἄνθος, id eſt candidum, an γλαυκὸν, id eſt cæruleū ſcribere oportuerit. At ut ad utrunq; reſpondeam, & de cichorij radice quod eſui ſit, & de flore quod cæruleus ſit, ſenſu atq; experientia probatur, quæ de heliotropio non audes affirmare, quando etiam in dubium reuocas, qualis heliotropij flos à Dioſcoride deſcribatur, cæruleus an candidus. Ego autem illud certe ſcio, multos quos uidi, & quidē antiquos Dioſcoridis codices, λευκὸν, non autem γλαυκὸν ſcriptum habere: & niſi mea me fallit opinio, puto te eandem ſcripturam in tua translatione ſecuturum.

DE LASINE.

Quoſdam ais, uerbum laſinem corruptum eſſe neſcientes, Plinium culpare, quaſi hanc herbam libro XXIIII inutiliter repetierit, laginem uocando non laſinē. Tu uero pro laſine iaſionem cenſes legendum ex Theophraſto, tam libro Plinij XXI, quàm etiam XXII: atque ideo aliam ſtatuis à lagine, de qua idem Plinius agit libro XXIIII. Demum ut meæ modeſtiæ conſulam, mihi putas recantandū: quoniam non ſit tanta inter laginem atque iaſionem affinitas, quantam tibi uiſus ſum exiſtimare. Quaſi uero ego in noſtro libro tenuem tantum uocis ſonum ſecutus, ac non multo magis naturæ proprietates, eandem eſſe cum laſine laginem apud Plinium iudicauerim. Quoniam quæ de laſine libro XXII ſcripſerat Plinius, eadem ferè in lagine libro XXIIII repetijt, ut quod phtiſicos iuuet, quod lactis uberta-tem faciat, quod infantibus illita capillū alat, quod in cibis placeat, quod uentrē ſtimulet. Sed uide quantū mihi contu-

lerit

lerit cū te homine doctiſſimo de huiuſmodi rebus diſputatio. Ea em̄ quā tu adduxiſti autoritas Theophraſti lōge me fecit ad ea quæ pridē ſcripſerā cōfirmāda audentiorē, nedū mouerit ad recantandū, niſi recantare pro eandem repetere cantilenam accipiatur. Suſpicari me in meo libro ſcripſi, q utrobiq;, & libro ſcilicet XXII, & libro XXIIII pro laſine uel lagine, & elxine & euſine legi deberet: Adeo nō neſciui quod tu mihi obijcis, uerbum laſinē eſſe corruptū, ut etiam quo pacto caſtigandū eſſet admonuerim: cuius caſtigationis illa ratio fuit, quoniā Plinius eodē libro ſcilicet XXIIII, non modo laginē, ſed etiā echitem, & tenue ſcamoniū eandem herbā à quibuſdā uocari teſtaretur. Ego uero non agnoſcerem plantā, quæ proprie tenue ſcamoniū dici poſſet, præter illā quā Dioſcorides ſub elxines, euxines, & ciſſampeli quoq; nominibus pinxit foliis hederæ ſimilibus omnibus, ſeq; inuenerit circunuoluentē: ob quā etiā naturā ſicuti Dioſcorides ciſſampelū, ita Plinius cōuoluolū alibi nominat. Sed de quo antea tantū ſuſpicabar, nunc certā ex Theophraſto habeo notitiā: in cuius codice, quē ſcis etiā Plinianis eſſe corruptiorē, ſic pro iaſione elxinem uel euſinē, ueluti apud Plinium pro lagine uel laſine puto ſcribendū: nā de laſine Plinius libro XXI ita ſcribit: Laſine unū foliū habet, ſed ita implicatū, ut unū cumſit plura eſſe uideantur. Theophraſtus aūt à quo, ut par eſt, Plinius accepit, de flore iaſionis libro I de hiſtoria plantarū eadē quæ Plinius de flore laſines tradit in hæc uerba: Nōnulli folio uno emergūt, deſcriptionē tamē pluriū oſtendentes, ut flos in iaſione. Nónne hæc flori eius herbæ, quā Græci elxinem atq; ciſſampelum, Plinius, ut dixi, conuoluolum alibi uocat, mire conueniūt? Eſt enim hic flos, ut Plinius inquit, rudimentū naturæ lilia facere condi ſcentis: & cum unū foliū tantū habeat, quibuſdā tamē quaſi inciſuris ita diſtinguitur, ut uideatur in quinq; diuiſum.

Tenue ſcamonium.

Ciſſampelos.

Conuoluolum.

Eadem autē herba dicta latine cōuoluolum, ſicuti hoc in lo
co, libro ſcilicet primo de hiſtoria plantarum, apud The/
Elxine. ophraſtum pro elxine uel euſine uitio codicis Iaſione no/
minatur, ita libro ſecundo de cauſis laſine æque corrupte
uocatur: quod tamen uerbum ueluti diuinans Theodorus
uolucrum uertit. Quare cum Dioſcorides atque Galenus
multo ſint, ut te non latet tam accuratæ doctrinæ uirum, in
lingua græca emendatiores quàm Theophraſtus in eadem,
uel Plinius in noſtra, quid eſt quod dubitemus laginem &
laſinem apud Pliniū, Iaſionem autē & aſinem apud Theo
phraſtum nomina itidem deprauata, ex uerioribus codici/
bus caſtigare? cum præſertim quid ſit Græcis elxine, uel eu/
ſine, quidue Latinis conuoluolum, uel ſenſu ipſo mōſtran
te noſcatur. Quid autem ſit eiſdem Græcis Iaſione aut aſi/
ne, ſeu Plinio laſine uel lagine, ab illis etiam qui ſe omnia
in Plinio ſcire profitentur ignoratur.

DE SIO ET SILAE.

Male me Plinium accuſantē, quaſi duas herbas fecerit
quæ ſit una, in tuis primis defenſionibus notauiſti, quoniā
tibi non uideatur Sium eſſe criſiones, ſed tantum ſimilis her
ba. In ſecundis contra me latam ſententiam penè reuocaſti:
nam ſilaum uerbum eſſe corruptum in Pliniano codice, &
lauer potius eſſe legendum iudicaſti. Cuius deſcriptionem
tu quoq; fateris ad eius oleris naturam proxime accedere,
quod Græci ſium uocant. Et quoniam Dioſcorides ait ſi/
um à Romanis lauer appellari, quam tu etiā concedis eſſe
illam herbā, quam uulgo criſiones appellant, ita tandē me/
cum, & cum Dioſcoride ſentis, quod ſium quidē ſit lauer,
ſed lauer odoratum: quandoquidem ſium herba eſt odora/
ta teſte Dioſcoride, lauer ſiue criſiones minime. Sed cum
idem Dioſcorides duo ſij genera faciat; alterum odoratum,
ob quam naturam iuncus aromaticus alio nomine dicitur:

alterum

alterum inodorum, quod quia naſturtij refert ſaporē, ideo
etiā cardamine à Græcis uocatē: cur ſicuti duplex eſt ſium,
atq; ut tu quoq; inſinuaſti, lauer, odoratum ſcilicet & carēs
odore, non etiā criſiones quidam eſſe inodori, quidam odo
rati dicantur? Quo quidem admiſſo mea ſtabit ſententia,
ſium eſſe eam herbam quam criſiones nominamus: quam
cum bis deſcripſerit Plinius, & ſub ſij, & ſub ſilai, ſiue ut tu
legendum putas, laueris nomine, iure eſt à me incuriæ, ne di
cam inſcitiæ accuſatus, qui quæ una herba erat duas fecerit,
ſicuti ob id etiam merito poſſit reprehendi, quod duo ſij ge
nera in unam naturam confuderit. Nam quæ de ſio ſcribit
Plinius, quod latius ſit apio, atq; in aquis naſcatē pinguius,
nigriusq;, quod calculos frangat, quod dyſentericis & mu
lierum mēſibus proſit, hæ omnes ſunt ſij odorati apud Dio
ſcoridem proprietates. Quod autem naſturtij ſaporem red
dat, quod lentigini & mulierum uitijs in facie illitum nocte
momento cutem emendet, ut de ſio pariter ſcribit Plinius,
hoc non de eodem genere, ſed altero potius inodoro, quod
ut diximus, à ſapore quem reddit, cardamine à Græcis nun
cupatur, Dioſcorides retulit.

DE SIGILLO LEMNIO.

Venio ad ſigillum lemnium, quod ego autore Galeno
medicorū omnium longe doctiſſimo rectius terram, quam
milton, id eſt rubricam nominari monſtraui. Tu contrà Ni
candrum affers, ac Celſum: quorum alter id terræ genus
miltum, alter minium uocat. Sed cur non etiam Andromā
chum medicum antiquiſſimum allegaſti, qui in ſuæ theria
ces compoſitione terram lemniam milton appellauit? Præ/
ſtat autem, inquit Galenus, in eiuſdem compoſitionis ex/
poſitione, non milton ſed terram potius dicere, eam, ut pu
to, cauens confuſionem, quam uiſus eſt feciſſe Plinius, ter
ram lemniam inter rubricas & colorum genera libro V &

III numerans, cum tamen, ut idem Galenus inquit, aliud sit lemniæ terræ genus, quo fabri lignarij pro rubrica utuntur, quod uerius miltos nominatur, picturæ potius quàm medicinæ accommodatum. Ego igitur non adeo de nomine, quàm de re ipsa à Plinio dissensi: Nam etsi & cinnabaris, & minium, & pleraque forte alia æque medicis ac pictoribus seruiant, utrunq; tamen usum lemnio sigillo contingere neq; traditur à Dioscoride, diligentissimo alioquin in huiusmodi rebus explorãdis autore, à Galeno autem rubricam à terra lemnia plane distinguente negatur.

DE CINNABARI.

De cinnabari non putas eam opinionem, quam secutus est Plinius, à Dioscoride improbari, quoniam idem Dioscorides simpliciter scripserit: putauerunt quidam sanguinem draconis esse cinnabarim: non damnans, sed referens aliorum de cinnabari existimationem. Sed qui defendi possit, huiusmodi de sanguine draconis opinionem non iudicari à Dioscoride falsam, qui de cinnabari non libro II inter medicinas ex animalium sanguine sumptas, sed potius V inter metalla tractauit? De cinnabari quoque metallo in Hiberia & Colchis nascente, ut te non latet, agit Theophrastus. Et si contra te cognomine tantum Barbarum, autorem lingua & natione barbarum licet allegare, Auecois pariter in suo Colliget, nõ aliter de cinnabari, quàm de metallo scripsit. Galenus etiam medicus nobilissimus sui de simplicibus medicaminibus libro uoluminis XI, cinnabarim metallis adnumerauit. In altero autẽ de eisdem medicaminibus ad Paternianũ tractatu, eorum aperte sententiam improbat, quam Plinius comprobauit, ita scribens:

» Cinnabaris non est sanguis draconis, ut quidam putant.
Galeni duo fuerunt. Siue autem hæc sint uerba Galeni, Pergameno Asiæ ciuitate oriundi, siue alterius eodem nomine insignis medici, satis

tis constat tantorum uirorum iudicio, ea quæ de cinnabari prodidit Plinius, esse fabulosa: non tamen ob id, ut nobis obiecisti, Plinium irrisimus: Absit enim à nobis tanta temeritas, ut hunc celebris nominis autorẽ, tam de humano genere benemeritum, ludibrio habeamus. Sed neque tanti fecimus, ut nefas putauerimus ipsi aliquando non credere, ut quod quidam legulei, qui solis nituntur autoribus, à nobis exegerunt, Plinij autoritatem sine ratione rationem esse censuerimus.

PERORATIO CVM LAMENTATIONE MORTIS HERMOLAI BARBARI.

Vix hæc in mei defensionem responderam, cum luctuosus sanè nuntius hominum perculit aures, insignem illam ac singularem doctrinam, illud immortalitate dignum ingenium, illam diuinam potius quàm humanam Hermolai uirtutem nobis immatura morte præreptam. O uana hominum studia, ô labores irritos, ô inanes lucubrationes, quæ sæpe in medio cursu interrumpuntur. Multa ille dum uixit omnimodæ doctrinæ opera, dum nihil aliud diebus ac noctibus meditaretur, nisi quod rem latinam amplificaret, in lucem ediderat. Sed multo plura inchoata atque imperfecta reliquit, quæ nisi mors occupasset propediem erat absoluturus. Quis non de crudeli fato atque impio conqueratur? quod nobis tot, quos prior Hermolai uita germinauerat, fructus antecq; matureſcerent intercepit? Vix ille Plinianas castigationes emiserat, opus non minori ingenio quàm studio compositũ, cum heu tãtis inuida cœptis, ne quotidie maiora pullularẽt, fors illũ studiosis inimica damnauit. Plinijũ sanè Hermolai cura ac diligẽtia renatũ omnes literati cõfitentur. Expectabant proxima genitura Aristotelem eiusdẽ luculẽta interpretatione reuicturũ, sed omniũ bonorũ autore atq; parente amisso, clarus sua lingua Philosophus in pri

stinis

ſtinis tenebris demergetur. Quis enim Barbaro adempto, qui inde nomen uidebatur adeptus, quod tetram illam barbariem, quæ iam omnes bonas artes obſcurauit, ſolus poſſet abolere, philoſophiã in lucem antiquã reuocabit? Quis noſtræ ætatis iuuenibus, quos recta ſtudia delectant, inſtrumenta ſuggeret oportuna? Quis, ut ad ea ueniam quæ inter nos inciderãt, ſtudioſæ potius diſputationis, quàm emulæ contentionis certamina tantas in Plinium lites, quas uideor penè quodam mentis furore ſuſcitaſſe, ea qua Hermolaus eloquentia ac grauitate componet? An rabulæ quidã, qui doctiſſimorum uirorum cauſam aliter defendere neſcientes, cœlum ac terras uociferando concutiunt? Clament iſti licet, & tumultibus omnia compleant, hijs tamen ſemper noſtræ aures obſtruentur: quoniam talium uirorum furioſam maledicentiam, neque imitari ſi uelim poſſim, neq; ſi poſſim uelim. Si quis forte Hermolai doctrina ac moribus ſimilis, harum quæ mihi cum illo erant diſſensionum ſe iudicem fecerit, uel ſi aduerſus me pro Plinio atque Hermolao, Plinij defenſore pronũtiet, ille, ut Plato dicere ſolet, omnia non inimicus obtineat.

NICOLAI

NICOLAI LEONICENI VINCENTINI DE PLINII, ET plurium aliorum medicorum erroribus, ad præſtantem medicum Franciſcum Tottum Lucenſem nouum opus.

EFflagitaſti me quotidianis penè literis, ut tibi ſuper quibuſdã Plinij erroribus iampridem à me notatis reſponderẽ, quos quidam medicus, tibi & mihi communis amicus, non in autorem, ſed in nouos codices impreſſos formulis, uel manu ſcriptos potius reijciendos duxerit, ex alterius codicis uetuſtioris, quem tibi Venetijs oſtendit, autoritate. Meam autem de hijs reſponſionẽ non modo tu, ſed & ille idẽ medicus Plinij defenſor, ut tuæ literæ mihi ſignificabant, præcipue deſiderare uidebatur. Ego uero in hunc uſq; diſtuli diem & tuæ petitioni, & illius deſiderio ſatisfacere: quoniam non libenter patiebar me ad antiquũ ludum reuocari: Vt enim uerum fatear, mihi ludus quidam uidetur de Plinij erroribus diſputare, cum ſint multi alij in libris medicorum magnæ noſtra ætate exiſtimationis errores, ex quibus multo plus uita periclitatur. Pauciſſimi enim ſunt qui Plinium propter medicinas legant, plures propter uocabula, & diuinam, quod negari non poteſt, elocutionem. Quare circa illos magis, qui ſua poſſunt apud homines noſtri ſeculi autoritate nocere uitæ, puto à medicis laborãdum, quàm circa Plinium, qui à multis non in medicorum, aut philoſophorum, ſed hiſtoricorum potius atq; oratorum numero habeatur. Tu qui multa mea conſilia legiſti, quibus ſcilicet ægrotantium ſaluti conſulo, cum ad ſimplicia uenio medicamenta, ſcis quàm multos Gentilis, Bartholomei, Montegnanæ, atq; aliorum recentiorum in hijs errores ape

Plinius quam obrem legendus.

m riam,

riam, qui non aliunde, quàm ex Auicennæ ac Serapionis libris, quibus nimium nostra credit ætas, habent occasionem. Quare tu Franciſce Totte caueto, ne tantiſper in uitam pecces, quantiſper aliud te impellente facio, quod minus poſſit generi humano prodeſſe. Sed tu forte illa uerba reſpondebis, quæ medicus Plinij patronus ſcribit circa ſuæ præfationis initia, ueluti ſe excuſans, quod homo medicus literatorum officium in Plinij codicibus emendandis, & eodem diuino autore contra calumniantes propugnando uſurpauerit: iuſtam eſſe rationem inquiens, ut de natura rerum, medicinæq; effectibus Plinij libros Phyſici quoque recognoſcant: Hac enim ratione Plinij patronus ſe ait impulſum, ut poſt Georgium Merulam, & Hermolaum Barbarum ipſe quoque conatus ſuos in his quæ ad effectus medicos pertinerent oſtenderet. Quaſi uero, ut de Merula taceam, qui forſan merus grammaticus cenſeri poſſit, Hermolaus Barbarus, uir omnium bonarum artium ſcientia clariſſimus, non ſatis ſuo ſit functus officio, in ea parte quæ ad medicinam attinet in Plinianis codicibus caſtiganda. Sed de hoc poſtea uideri-mus, nunc quod inſtat agamus. Hanc medici Plinium emendantis, atque una defendentis excuſationem ego libentius acceptarem, ſi non in æra, ac lolio, ſed in alijs herbis, ac ſimplicibus medicinis, magis ad uſum medicinæ neceſſarijs, in quibus etiam fuit à me Plinius notatus, eiuſdem Plinij defenſionem ſuſcepiſſet: Veluti in ſtachy, atque balote, polio atque tripolio, empetro, quam alio uocabulo praſſoidem Galenus uocat, ſarxiphage, herba betonica, parthenio, muralio, ſeu parietaria, ariſtolochia, cyclamino, heliotropio, pentaphyllo, lemnia ſphragide, ſeu ſigillo lemnio, quod terram ſigillatam uocant, ciſtho herba ladanifera, à ciſſo. id eſt hedera diuerſa, iſatide, cum glaſto

Georgius Merula.

glaſto eadem, licet Plinius hanc diuerſam à glaſto, illam eandem cum ciſtho, nominis propinquitate deceptus, aliquando putauerit, nardo celtica, & ſaliunca, quas etiam male Plinius diuerſificauit: Si, inquam, in his & plurimis alijs medicinis, quarum frequens eſt uſus etiam apud noſtri temporis medicos, ſicuti apud eoſdem de æra ac lolio non ad medendum, ſed tantum ad euitandum, eò quod in pane capitis uertigines facit, aliquando fit mentio, medicus contra medicum pro Plinio diſputaſſet, non alienam ab eius officio diſputationem pro Plinio tuendo ſubijſſe iudicarem. Verum in æra tantum Plinium aduerſus me conatus defendere malorum medicorum, quod pace eius dixerim, imitatus eſt morem, qui dum capiti mederi debent reduuias curant. Sed neque in æra ſatis Plinio patrocinatur, adeo ut præuaricator uideri poſſit, non patronus: Stat enim adhuc noſtra reprehenſio, ſi modo reprehenſio dici debet, quæ potius iuſta fuit de Plinio homine latino admiratio, licet Plinij patronus eam ingentem calumniam, ipſe uere calumnians nominauerit. Verba mea de Plinio potius admirantis, quàm per calumniam, ut eius patronus obijcit, reprehendentis, hæc ſunt: Super æra & ægilope in libro de Plinij, atque aliorum medicorum erroribus inſcripto, æram dici à Græcis granũ illud quod à noſtris lolium appellatur, ſcribit Dioſcorides libro ſecundo, ac præterea teſtantur hij, qui ab Ariſtotele in libro de ſomno & uigilia, atque à Plinio libro XVIII de eadem ſcribuntur effectus, quod ſcilicet capitis grauedinem & uertigines facit. Plinius tamen eodem libro, atque eodem capite æram deſcribit, & lolium quoq; tanquã ab æra differat ſeparatim nominat. Nam ſi idem putauit & lolium & ærã, mirum quod ſicuti in pleriſq; alijs frugibus, atq; earũ uitijs, in quibus nomina latina non deerant, ſicuti in tritico, hordeo, & auena

græcis utendum non censuit, non idem quoq; in lolio statuerit, tam præsertim apud omnes usitato uocabulo. Quam quam similis quoq; de auena error in eodem libro & capite legatur: Nam cum in principio uitia frugum exponit, scribit hordeum in auenam degenerare: paulum uero infra scribit hordeum necari à festuca, quæ ægilops nominatur. At si Dioscoridi credimus, quæ ægilops à Græcis dicitur, à Latinis auena nuncupatur. Galenus quoq; in primo sui de alimentis libri uolumine, cum in tritico atque hordeo generatio minus prospere cesserit, alterum in æram, alterum in ægilopen frequentius conuerti testatur. Quod & maximũ est argumentũ, æram idem esse quod lolium. Hæc ego in meo libro ad literam, non tam Plinium accusans, ut dixi, uel per calumniam reprehendens, ceu eius patronus obijcit, quàm de homine latinissimo admirans, cui ubi non oportuit græca uocabula libuit usurpare. Vnde enim hæc græcitatis affectatio, ut quispiam modo siton, modo frumentum, modo arton, modo panem autor latinus scribat? nisi lexica, id est uocabularia scribat? Nam par est quod à Plinio scribitur, aliquando æra, aliquando lolium, aliquando ægilops, aliquando auena. Sed uideamus quid ad hæc Plinij patronus pro Plinio respondeat in sua ad ciues Veronenses uiros clarissimos præfatione. Post multas Plinij laudes, quem linguæ latinæ nos quoq; autorem nunquam satis laudari posse iudicamus, tandem in illos inuehitur medicos, qui Plinium per calumniam in æra reprehenderunt, me scilicet innuens, licet non nominet, sed tam significans quàm si nominaret, imò quasi digito ostendẽs: quandoquidẽ nullus alius medicus, præter me unum est, qui Pliniũ in æra notauerit. Inuehẽs autem in amicum grauius forte quàm debuerat, scribit hæc
» uerba: Exemplum unũ ingentis calumniæ afferam de æra
» quæ medicos nõnullos ad calumniam tanti autoris inuitauit,

» uit, in qua Pliniũ errasse non dubitant cum Hermolao Bar
» baro: Arbitrantur enim æram & lolium ab ipso separatim
» describi, sed falsò, codicis errore manifesto, libro VIII, in
» quo æram tantum diffinit, sicuti inter medicos effectus, hoc
» est libro XXII lolij remedia & uires duntaxat denarrat: tri
» ticum simili modo: non æra legendum est, sed herba ex uetu
» stissimo codice, ac Theophrasti libro octauo: quoniã enata herba triticum strangulat: de qua in eodem libro, ubi Ni
» li in Aegypto mẽtio habetur: Nec terra, inquit, ipsa herbas
» gignit, quæ triticũ enecãt. Itẽ: Runcatio cum seges in articu
» lo est euulsis inutilibus herbis. De faba inquit: Runcari nõ
» gestit, quoniam euincit herbas. Item: Siccitas cohercet her
» bas: Herba enim circunligando triticum & eius radices ene
» cat. In quo mendosis pariter codicibus, hoc modo legitur:
» Aera nonnunquam in macro solo. Vbi de ateramno superiori fit mentio, ubi non æra, sed ea legendum. Sed autor
» hijs peractis mox de æra sic incipit: Aeræ granum minimũ
est. Hæc est Plinij in æra defensio, in qua Plinij patronus sibi adeo placuit, ut more galli à certamine desilientis sibi quodãmodo applaudat, & apud ciues suos hijs uerbis quæ
» statim subiunxit exultet ac glorietur: Hac unica defensio
» ne multorum intempestiuum clangorem sedauimus, & ci
» uem uestrum ab ingenti calumnia absolutum retulimus, ut
» de cætero diligentius perlegere ac discutere tantum autorẽ
» perdiscant. Quæ uerba postrema in ipsum Plinij patronũ reijciemus, atq; hominem admonebimus, ut tantum autorem defensurus, & eiusdem autoris, & aliorum, quos in ipsius defensionem adducit, uerba diligentius examinet, & quid illi ab aduersarijs obijciatur melius perscruteẽ, ne aliud defendens quàm illud cuius accusatur, reus causam prodere uideatur. Quo quidem crimine Plinij patronus in hoc primo suscepto aduersus medicos pro Plinio de æra patro-

cinio, liquidò apparet laborasse. Nusquam enim Plinio errori datum est, quod æram ac lolium separatim descripserit, quando neq; apud dialecticos error putatur, si duæ aut plures etiam eiusdem rei descriptiones afferantur, sed quod eodem libro, atque eodem libri capite, ubi æram descripsit, lolium quoque nominauit, fuit à nobis in Plinio notatum, quasi nescierit idem æram esse quod lolium. Nam si idem putauit, cur, ut obiecimus, sicuti in alijs frugibus, atq; earum uitijs, quibus sua nomina erant in lingua latina, græcis utendum non censuit, non idem in lolio seruauit, lolium dicendo, non æram? At non æram, inquiet, sed herbam scribit Plinius circunligando se triticum enecare, quod ex pluribus alijs tum Theophrasti, tum ipsius Plinij uerbis, Plinij patronus nititur demonstrare. Sed incassum laborat, quandoquidem & ipse Plinij patronus, & in sua præfatione, & in ipso Plinij libro à se emendatiore edito, fatetur Plinium æram describere, & non lolium, libro scilicet XVIII, capite XVII, sicuti postea ait libro XXII, eundem Plinium lolij remedia & uires duntaxat enarrare. Sed quæ est ista sortitio, ut lolium quidem sub græco uocabulo æra à Plinio describatur, sub latino autem eiusdem grani medici effectus denarrentur? An Latinis græcam ignorantibus linguam lolij cognitionem Plinius inuidit? remedia autem & uires duntaxat docere uoluit? Frustra tamẽ si herba ignoretur aut granum. Sed neque uerum est, quod Plinius lolij tantum medicos effectus doceat & non æræ: Siquidem Plinius si non libro XXII, saltem alibi, scilicet libro XXIX de æginea farina in usu medico meminit, quam loliaceam dicere latine debuit, si lolij duntaxat remedia & uires, ut ait Plinij patronus, denarraret. Quare iam ipse discat, si uelit Plinium omni ex parte tueri, totum Plinium diligentius perlegere. Quid enim iuuerit Plinium semel in uno

in uno sui codicis loco æram uerbum græcum in herbam latinum mutasse, si concedatur multis alijs in locis idem uerbum græcum à Plinio inutiliter usurpari? Tentauit quidem & Plinij patronus Plinij errorem in æra libro XVIII, capite XVII ex toto corrigere, æram alio eiusdem capitis loco in hederam conuertendo, atque ita legendo: Hederæ granũ minimũ in cortice aculeato in pane capitis uertigines facit: Nam & talem ipsum probare lectionem tuæ mihi literæ significarunt. At tam absurdam Plinianí codicis castigationem, quam tibi priuatim laudauerat, non ausus est uel in sua præfatione, uel in Plinij codice edito emendatiore publicare: Quæri enim ab eo potuisset, ubi unquam uel ipse experientia didicisset, uel apud grauioris autoritatis medicum, siue philosophum legisset, hederæ granum æque atque æræ in pane capitis uertiginem facere. Sed quoniam huius quæstionis scopulos quantum potuit euitauit, nos alijs ipsum interrogationibus fatigabimus, quæ sit illa herba interrogantes, quæ triticum circunligando se enecet: quod nomen uel apud autores græcos, uel latinos, uel saltem in uulgo habeat: nos æram græce à Plinio, non sine errore tamen, diximus appellari, ut habet cõmunis codicis scriptura, latine loliũ. An orobanche quidẽ quæ eruũ, ægilope quæ hordeũ, herba securina græce dicta pelecinos, quæ lentẽ simili modo, hoc est circunligãdo se necãt, sua habuere tum apud Græcos, tũ apud Latinos nomina, sola tritici pestis, quæ tamẽ tanto debuit esse nobilior, quãto triticũ magis omnibus alijs expetit̃ frugibus, atq; idcirco plus ab iniuria defendit̃, remãsit ἀνώνυμος, id est carẽs nomine? Hanc uocabulorũ inopiã, si qs linguæ nostræ ausit ascribere, Græcis certe non tribuet, qui ita πυρόγχην, hoc est triticum strangulantem, sicuti ὀροβάγχην dicere potuerunt, si aliud nomen non habuissent herbæ, simili modo triticum se circunligando

do necantis, quo ὀροβάγχη eruũ. Adde quod ſolet Plinius ſpeciales herbas, quæ habent aliquam inſignem uim, ſi carent nomine, per ſimilitudinem aliquam nobis indicare: ue luti eodem libro XIX, & capite XVII herbam albam panico ſimilem naſci ait, occupantem arua, pecori quoq; mortiferã: aut ſi non ſolum nomen, ſed ſimilitudinẽ etiam ignorat, ſaltem earum nomen ignotum eſſe hominibus teſtatur, ut libro etiam & capite allegatis, ait peſtem à milio atq; panico ſturnorum paſſerum ue agmina abigi, herba cuius nomen ignotum eſt. Quod etiã feciſſet in herba circunligando ſe triticum enecante, ſi non æra hoc in loco, ſed herba, ut uult Plinij patronus, ſcriberetur. Exempla autem quæ Plinij patronus affert, ubi uel Theophraſtus, uel Plinius de herbis frugibus noxijs loquuntur, partim falſa ſunt, uel male intellecta, partim nihil ad præſentem attinent locum. Primum enim Theophraſtus libro VIII de plantis perperam allegatur: nuſquam enim in eo libro ea uerba legũtur quæ Plinij patronus adducit: quoniam enata herba triticũ ſtrangulat. Si qua uero ſunt quæ talem ſenſum uideantur habere, hæc nihil ad præſentem attinent diſputationem, in qua quæritur, nunquid ſit herba aliqua quæ circunligãdo ſe triticũ enecet. Theophraſtus ſanè libro VIII de plantis hæc
» uerba ſcribit: Imbres enim tum aliâs contrarij ſunt, tum
» ſemina ſæpe corrumpunt: quod ſi minus, herbæ quidem lu
» xuriam mouent, ut ſata ſtrangulentur, atque omne alimen
» tum amittãt. Hæc autem uerba non id ſibi uolunt, de quo Plinij patronus contendit, ſata à quibuſdam herbis ſe circunuoluentibus ſtrangulari: ſed ſenſus eſt, quod ſata aliquando nimium in herbas excreſcentia ſua luxurie ſtrangulantur, atque alimento priuantur. De quo ſatorum uitio etiam Virgilius meminit in Georgicis:

Luxuriem ſegetum terra depaſcit in herba.

Sed

Sed & Plinius ipſe libro XVIII, capite XVII, de eo
» dem uitio ſcribit in hunc modum: Inter uitia ſegetum &
» luxuria eſt, cum nimia ſua fertilitate procumbunt. Hoc au
tem uitio non modo ſegetẽ, ſed etiam aliquas arbores ſtran
gulari teſtatur Theophraſtus libro V de cauſis plantarũ,
» ubi ita ſcribit: Arborum autem genus etiam aliquod for
» taſſis eſt, cui corruptio ſecundum naturam ſponte, nec ullo
» pacto afflictato, ſed bene uigenti eueniat, ut pino, cum ra
» dices mutatæ in tædam fuerint: ita enim fit ex nimietate nu
» tritionis: cumq; per tædam tranſmittere pabulum arbores
» nequeant moriuntur: quod proximum illi uidetur, quod
» animalibus quæ extra modum craſſantur atq; pingueſcũt:
» Cum enim auram attrahere nequeant, nec ullo pacto ſpiri
» tu uti poſſint, propter obeſitatem condenſationemq; ſtran
» gulantur. Quamobrem non inepte ruſtici hoc uocabulum
» de pino uſurpant: Pinum enim ſtrangulari aiunt obeſitate
» atque pinguedine, quippe omnia ſpiritum deſiderant ali
» quem, uel ſolutionem, uel meatuũ libertatem. Ergo cor
» ruptiones huiuſcemodi potius naturales eſſe putauerim.

Hæc Theophraſtus. Ex cuius uerbis apparet, plantas duplici ratione ſtrangulari: Vel quia aliæ plantæ ipſis circũuoluuntur, quomodo eruum ab orobanche, & ſimili ferè modo lentẽ ab aparine ſcribunt ſtrangulari, & Theophraſtus libro VIII de plantis, & Galenus libro primo de alimentis: Vel non aliena iniuria, ſed ſui ipſarum luxuria atq; obeſitate, quod de Satis libro allegato Theophraſtus, de arboribus autem libro V de cauſis teſtatur. Debuit ergo Plinij patronus, id quod alijs medicis in ſua præfatione ſuadet faciendum, Theophraſti uerba uel fidelius citare, uel eadem examinare diligentius: quod etiã in uerbis Plinij ipſum facere oportuit: Nuſquam enim ea uerba ſcribit Plinius quæ Plinij patronus adducit: herba circunligando triticũ & eius

radices enecat, nisi in hoc de quo disputamus loco, ubi ipse codicem non emendat, sed deprauat, æram in herbam commutando. Alia etiam Plinij uerba, quæ ex locis uarijs Plinij patronus adducit de inutilibus herbis triticum enecantibus, de runcatione segetis aut fabæ, nihil ad præsentem pertinent disputationem: in qua non quæritur, nunquid sint aliquæ herbæ inutiles, frumēta enecantes atque legumina, ad quarum euulsionem runcatio sit necessaria: quis enim de hoc tam rei rusticæ imperitus dubitarit? non, inquam, hoc quæritur, sed illud potius, nunquid sit aliqua herba specialis, quæ præcipue triticum se circunligando enecet. Vt enim scribit Theophrastus libro VIII de plantis: & si sint quædam herbæ quæ communia omnium frugum uitia putantur, quæ tamen plus inter aliquas ualeant, propria earū uitia putantur. Exempli gratia: orobanche erui, aparine lentis. De quibus etiam uitijs, quæ quibusdam sunt propria, paulo supra uerba iam tacta idē Theophrastus in hunc modum scripserat:

» Genus autem quod totū transire in aliud aptum sit nullum præterquam tiphen, & semen comperies, sicuti inter primas disputationes proposui, nec non lolium tritico & hordeo corruptis enascitur: uel si id minus, nasci quidem inter triticum solitum esse nulli dubium est, ut etiā pontícum illud triticū, atrum cognominatū, & semen bulborum, & ea quæ nasci inter alia semina solent. Nam & auena magis in hordeo exire uidetur, & in lente aracus res scabra & dura, in aphacis autem securina securi similis.

Hæc omnia Theophrastus, interprete Theodoro Gaza, qui quidem interpres æram lolium conuertit. De quo idem Theophrastus neminem dicit dubitare inter triticum solere nasci: Licet Plinij patronus uideatur asserere, quod non sit æra uitium tritici propriū, sed magis herba. Idem Theodorus ægilopen auenam latine dixit, quæ est ita proprium hordei

hordei uitium, sicuti tritici lolium. In eandem sententiā de uitijs quibusdam segetum peculiaribus scribit Galenus, ut supra tactum est, libro primo de alimentis, qui potuit uideri à Theophrasto accepisse quæ scribit, nisi patrem allegaret suum in hunc modum scribens:

» In tríticis quidem æræ, id est lolia sæpius inueniuntur: inter hordea uero nascuntur quidem, sed pauca, plurima autem quæ ægilops, id est, auena nominatur: In hijs uero quando uel primum incrementum, uel generatio minus prospere cesserit. Genitor autem meus ætate iam in senium uergente, captus amore agriculturæ triticum aliquando seruit & hordeum, cum summo studio omne aliud diuersi generis semen intermixtum exemisset, explorandi gratia, si ex transitione eorum in alia & auenæ generentur, uel propriam habeant etiam semina ista naturam. Natis uero inter purgata semina lolijs quidem forte plurimis inter triticum, paucis autem inter hordea, sed auenis abundantibus, etiam de alijs seminibus conatus est pariter facere inquisitionem. Inuenit itaque & in lentibus eodem modo ex ipsarū in aliud transitione natos aracos duros, & orobos, & pelecinos, semina esui minime idonea. Aparinem autem non modo esui non idoneam, sed etiam inter nascendum se lentibus circumplicantem, atque ita angentem ac strangulantem, ac proculcantem, sicuti orobanche orobos.

Hæc omnia Galenus non multum dissona ab illis quæ libro allegato scribit Theophrastus, in hoc cum eo maxime congruens, quod duas tantum herbas facit amplexicaules, suo complexu necantes: Orobanchen quidem eruum, aparinem uero lentes. E diuerso Plinius non solum has, sed & æram, id est lolium, & ægilopen, id est auenam, & pelecinon, id est herbam securinam, quamuis sensu ipso, & rerum natura repugnāte, cum sint herbæ rectícaules, amplexícaules describit.

Duæ herbæ amplexicaules.

describit: Alioqui non posset neq; æra, id est lolium triticum, neq; ægilops, id est auena hordeum, neq; herba securina lentem se circumligando necare, nisi herba recticaulis eadem fieret amplexicaulis: cui rei & sensus ipse, & omniũ parens natura aduersatur, quæ herbas se alijs circunuoluentes, à rectis quibus circunuoluuntur, non solum specie, sed etiam genere separauit. Quare recte Plinius, & Theophrastus, ac Galenus consone uitia frugum peculiaria denarrauit. Male autem, atq; ab eisdem autoribus dissone, modum quo pleraq; earum fruges interimant, recitauit, ac magis postea sua conclusione asseuerauit, cum ea uerba subiũxit:

» Et hæ quidem omnes suo amplexu necant. Verius enim & magis ad imitationem Theophrasti, quem ubiq; de naturis plantarum scribens uidetur uelle Plinius æmulari, licet multa eiusdem autoris sensa peruertat, ita scripsisset: Et hæ quidem omnes idcirco interimunt, quia pabulũ tollunt: Talibus enim uerbis utitur Theophrastus libro quinto de causis plantarum, ubi de pestibus proprijs fata necantibus

» differit ita scribens: Neces quoque ab alijs accidunt proprias, ceu in minoribus patet: quippe orobãche uocata eruũ necat complexu compressuq; suo: Et linoderum fœnugræcum interimit protinus radici adnascẽs: Et alia cladem alijs inferunt, ut quæ cum singulis frugibus simul proueniunt, ceu lolium & auena tritico atque hordeo, & aparine lenti, & alia alijs: omnia tamen idcirco interimunt, quia pabulũ tollunt, tam quod terra ministret, quàm quod à sole & aëre ueniat. Atque eorum quidem ratio manifesta est, quia uidelicet habent interimendi uim: talem enim sensum uerba statim subscripta manifestant: Oleum autem & pix, atque pingue: nam hæc quoq; necandi uim habent, & reliqua. Ex hijs Theophrasti uerbis facile unicuiq; potest liquere, æram, id est lolium, & ægilopen, id est auenam, talia enim uerba

Plinius Theophrastũ peruertit nonnunquam.

uerba in græco codice habentur, hac ratione habere uim, alteram necandi triticum, alteram necandi hordeum, non circumligando se, sed pabulum auferendo: quando & orobanche, & aparine, quæ hanc habent se circumligandi naturam, non tamen hanc communem rationem subterfugiunt, quin & ipsæ quoq; pabulum tollendo interimant, tam quod terra ministret, quàm quod à sole & aëre ueniat: qd' uisus est hoc in loco insinuare uoluisse Theophrastus, aparinen non orobanchæ, ut in libro octauo, associando, sed lolio & auenæ. Quanquam & idem libro octauo diligentius considerantibus significauerat, ita de orobanche

» & aparine scribendo: Nonnulla etiam manifeste commu
» nia plurium erumpunt: sed quoniam plus inter aliqua ua
» leant, propria eorum putantur, exempli gratia: oroban
» che erui, aparine lentis, quod altera eruum potissime uin
» cit causa imbecillitatis, altera inter lentem maxime coale
» scat. Quasi uelit dicere Theophrastus, quod etsi orobanche eruum causa imbecillitatis suo amplexu atq; compressu potissimo uincat, tamen & pabulum auferẽdo enecat: Aparine uero lentem pabulũ auferendo potissimo, quoniã ipsa inter lentes plurimo abundat alimento: Hoc enim significat uerbum ὑπηροφεῖ, quo hic utitur Theophrastus, pro quo interpres retulit, maxime coalescat. Hoc uero in loco (ut nos ipsos excusemus, hoc est eius culpæ, cuius Plinij patronum accusauimus, falsæ scilicet allegationis Theophrasti, suspicione liberemus, apud illos præsertim qui Theophrastum non græcum, sed latinum legerunt) hos censui eosdem lectores admonendos, me ubi Theodorus in translatione Theophrasti apariren lappam uertit, in hoc Plinij secutus errorem, qui sæpius in libris suis, ubi Theophrastus apariren nominat lappam latine, dicit maluisse græco uti uocabulo aparine, quo Plinius nihilominus in uarijs lo

Theodoro imposuit Plinij autoritas.

cis librorum suorum non raro utitur, dans multis aberrandi, sicuti in æra & lolio occasionem, ut pariter aliud putent esse apud ipsum Plinium lappam, aliud aparinem. Libuit autem nobis in hac herba græcũ seruare uocabulũ, quoniã nomen lappa in ea à Plinio & Theodoro nimiam aliquando Plinio fidem adhibenti usurpatũ, potius arctio grandes lappas ferenti, quàm aparinæ congruat. Sed & aliud hoc ipso in loco subijciendum existimaui, quod non ad nostri, sed ad Plinij facit defensionem: Ego enim semper fui ita animatus, ut ubicunq; possim Plinij autoritatem foueam atque sustentem: sicuti ubi non possum, puto, ut philosophum decet, ueritatem in honore præferendam. Præter ea quæ supra nos Plinio obiecimus de herbis, quæ non circumligando se, sed potius alimentum auferendo enecant fruges, quispiam & de herba securina, græce pelecino dicta, possit obijcere, quod non sit aphaci, id est lentis, sed potius aphaces: sic enim de pelecino scribit Theophrastus, quod sit aphaces uitium peculiare, adeo ut dubitet Hermolaus, ne aut lectio corrupta sit in Theophrasto, aut uicinitas nominis Plinium in errorem traxerit. Sed neque lectio Theophrasti corrupta est, qui libro VIII de plantis scribit aperte in lente aracum, in aphace pelecinon nasci frequentius, neque propterea Plinius errasse conuincitur, quem Galeni possumus tueri autoritate, qui inter malas herbas nascentes in lentibus nõ minus pelecinos quàm aracas nominat. Vtinam idem Plinius tam bene in ateramno defendi posset, quam herbam putauit circa Philippos in pingui solo, qua faba necatur, sicuti teramnum alteram, qua in macro solo, cum quidam uentus afflauerit: quo in loco nescio an rideam, an magis miseram Plinij conditionem deplorem, tales sortiti defensores, qui putant mutato uerbo æra in ea, quod uerbum æra hic esse uitio codicis scriptũ non

Defensio Plinij.

Error Plinij in teramno & ateramno.

non negamus, sicuti & sequens: non qui putent, inquam, tam leui unius uerbi dissyllabi mutatione Plinium à maximo, quem ipsi non animaduertunt, errore uindicare. Hoc sanè ulcus non tam facilem habet curationem, qualem forte milia illa, quæ se iactat Plinij patronus persanauisse, quin potius ex illorum numero est, quæ & ipse fatetur neminem potuisse adhuc ad cicatricem perducere, licet se credat & hoc egisse, ita nunc uerbum æra in ea, sicuti prius in herbam commutando, magna sanè castigandi licentia, si non alia quis nitatur ratione, nisi quia ita in libro suo uetusto scriptum inueniat: quasi & codices Pliniani uetustissimi non plurimis scateant erroribus, qui ad nouos, uel manu scriptos, uel formulis impressos defluxerunt. Sed ea, inquit, uerbum hoc loco pro æra scriptum refert ateramnum, de qua statim antea fit mentio. Ego uero Plinij patronum alia interrogatione uexabo: ubi unq; apud aliquẽ autorem legerit, siue græcum, siue latinum philosophum, aut medicum, uel de re rustica scribentem, de herba hac ateramno nominata, circa Philippos in pingui solo fabam necante, eademq; nonnunquam in macro, cum quidam uentus afflauerit. An apud Theophrastum? Hunc enim uidetur Plinij patronus citare autorem aduersus Hermolaum in huius loci emendatione. Verum Theophrastus teramon & ateramon libro octauo, & pluribus alijs in locis non pro herbis accipit, sed pro quibusdam leguminum affectibus peculiaribus, quæ nos coctilia, & incoctilia dicimus. In quem etiam sensum eadem uerba græca, τέραμον, ἀτέραμον, id est coctile & incoctile, ubique apud Theophrastum uertit Theodorus. Verba ipsa Theophrasti libro octauo de plantis græce subijciam, ut omnibus luce clarius appareat Plinij in ateramno errorem nulla posse codicis emendatione defendi. Sunt autem hæc:

Τὸ δὲ τέραμον καὶ ἀτέραμον λέγεται μὲν ἐπὶ τῶν ὀσπρίων μόνον, οὐχ ἀλόγον δὲ καὶ ἐπὶ τῶν σιτωλῶν παραπλήσιον ἢ τὸ ταυτότι συμβαίνειν, ἀλλὰ διὰ τὸ μὴ τὴν αὐτὴν εἶναι χρείαν οὐχ ὁμίως ἐμφανὲς ἐπεὶ οὐδ' ἐπὶ τούτων ἁπάντων ὁμίως, ἀλλὰ μάλιστα ἐπὶ τῶν κυάμων λέγεται, καὶ φακῶν, εἰτοῦν καὶ μάλιστα πασχόντων, εἴτε δὲ καὶ διὰ τὴν χρείαν φαινομένων· γίνεται γοῦν πλέον, πολλακῶς γὰρ τόποι τινὲς εἰσιν οἱ ἂν φέρουσιν τεράμονα, καὶ ἄλλοι πάλιν ἀτεράμονα· τὸ δὲ ὡς ἐπὶ πᾶν οἱ λεπτόγεω μᾶλλον τεράμονα· καὶ ἄερος κατάστασις τὶς ποιεῖ τοιαύτην παραλλαγὴν, σημεῖον δὲ ὅτι τοιαῦτα τὰ χωρία καὶ ὁμίως ἐργασθέντα φέρει ποτὲ μὲν τεράμονα περὶ Φιλίππους δὲ ὁ κύαμος λιχμώμενος, ἐὰν ὑπὸ πνεύματος ἐγχωρίου λιφθῇ τηράμων ὢν ἀτεράμων γίνεται.

Hoc est, ut Theodorus transtulit: Coctibile autem & incoctile de leguminibus tantũmodo dici solet, ueruntamen & in frumentaceis idem aut proximum, quod euenire nõ absque ratione putaueris. Sed quoniam usus non idem sit, neq; percipi potest, neq; in omnibus leguminibus ex æquo sentitur, sed præcipue in faba, & lente, seu quod hæc maiorem in modũ affici nata sunt, seu quod hæc propter frequentiorem usum magis appareãt. Largius itaq; fieri solet: sunt enim loca permulta, quæ semper coctibilia ferãt, & alia quæ incoctibilia, sed omni quasi ex parte loca tenuia coctibilia potius reddunt. Cœli quoque conditio mutationem huiusmodi afferre nimirum potest argumentum, aliâs coctibilia, aliâs incoctibilia reddũt. Faba apud Philippos cum uentilatur, si ab afflatu incola perfletur incoctibilis est. Hæc Theophrastus græce, atque latine Theodoro Gaza, uiro & græcarũ & latinarũ quoq; literarum doctissimo, interprete. Ex quibus omnibus Plinij error hic luce clarius manifestatur, qui fabæ effectum ateramnon, id est incoctibile, apud Philippos ab afflatu incola eidem fabæ aduenientem ipse sub longe alio, quàm Theophrastus, uel Theophrasti interpres retulit sensu, ita hunc totum Theophrasti locum perperam imitando. Circa Philippos autem ateramnon nominat in pingui solo herbam, qua faba necatur teramnon, qua in macro: sic enim scribendum existimo ad Theophrasti, qui teramnon & ateramnon libro VIII, licet in alio quàm Plinius

Plinius, ut dixi, nominat sensu, imitationem, cum quidam uentus afflauerit. Equidem doleo hanc mihi necessitatem impositã, adeo pudendos in tam celebri autore errores aperiendi, quos uelim, si possim, potius obtegere: nisi quod licentis calumniæ à Plinij patrono accusatus, non possum aliter hanc in me culpam excusare, nisi Plinium ostendam, non modo in æra & lolio, sed in pluribus alijs eiusdem libri ac capitis locis, ubi de æra scripsit, aberrasse, & male in eo uerbo Plinianum codicem fuisse bis ab eius patrono emendatum. Et iam poteram receptui canere, & meæ super æra defensioni finẽ statuere, nisi quod Plinij patronus non contentus hijs quæ aduersus medicos, me præcipue notans, scripserat antea de æra, rursus in quodam suæ præfationis loco, ubi Hermolaum Barbarum intemperanter lacerat, quoniã & ipse Plinium immerito, ut ille inquit, accusat, iterũ medidicos in bromo & auena taxat, in hijs inquiens & priores medicos unà cum Hermolao aberrare. Quare mihi uideo alteram additam esse necessitatem, me pariter atq; Hermolaum in hijs quæ ad medicinam attinent defendendi. Nam reliqua, in quibus Plinij patronus damnat Hermolaũ, literatoribus defendenda relinquo, quorũ officium est, de uocabulis potius, quàm de rebus ipsis disputare. Quid tamen in bromo & auena, uel Hermolaum, uel me Plinij patronus innuat aberrasse, nõ intelligo: Vt enim pro me ipso primum respondeam, nihil de bromo contra Plinium scripsi, quamuis potuissem, si uoluissem, ita Pliniũ in bromo, quæ est auenæ species, sicuti in ægilope notare. De qua bromo Theophrastus libro VIII de plantis scribit hæc uerba, Theodoro Gaza interprete: Ad hæc triticũ tunicis integitur multis, hordeum nudum consistit, id enim omniũ maxime caret tegumento, tipha quoque, & sigillo, & omnia huiusmodi multiplici folio includuntur. Ast omnium maxime,

» ut ita loquar, auenam natura operuit, quin etiam culmus al
» tior tritico q̃ hordeo est, & spica plus discreta foliis emicat,
» palea quoq; plus suauior ex tritico q̃ hordeum. Quem Theophrasti locũ uolens Plinius libro XVIII, capite VII, ut conijcere licet interpretari, bromon, id est, auenam, sic enim hoc uerbum non modo Theodorus hoc loco, sed etiã Plinius interpretatur, maxime nudam esse dixit, quã Theophrastus pollylobon, id est, ut idem Theodorus transtulit, maxime opertam descripsit. Cui rei etiam sensus adstipulatur, cum auenam intueri liceat multis contectam tunicis, ut scribit Theophrastus, non autem nudam, ut Plinius male Theophrastum interpretando retulit. Et ne quispiam suspicetur, me per calumniam Plinium reprehendere, subijciam eiusdem autoris libro & capite supra allegatis uerba, sunt
» autẽ hæc: Tunicæ frumento plures, hordeum maxime nu
» dum, & alica, sed præcipuæ auena, calamus altior frumento
» q̃ hordeo, arista mordacior hordeo. Quis non uideat Plinium de eisdem ferè satis, de quibus Theophrastus loquentem, paria uoluisse dicere, nisi quod in auena deerrauit? nã uerba Plinij, tunicæ frumẽto plures, respondent illis Theophrasti, triticum tunicis integitur multis. Item hordeum maxime nudum, est illud quod Theophrastus ait: hordeum maxime caret tegumento. Calamus altior frumento quàm hordeo, arista mordacior hordeo: Verba Pliniana eandem habent sententiã cum uerbis Theophrasti, culmus altior tritico quàm hordeo, palea plus suauior ex tritico, quàm hordeo. Reliqua autem, scilicet alicam, quàm uidetur Plinius pro tipha uel silligine posuisse, esse nudam, sed præcipue auenam, sunt Plinij errores, qui eas & Theophrasto, & sensui consone multiplici folio includi, seu maxime operiri dicere debuit. Sed si & extra XVIII librum euagari liceat, nónne etiam Plinius libro XXXII in ægilope errasse conuincitur?

ubi

ubi male imitando Theophrastũ scribit hæc de ægilope uer-
» ba: Mirum, lotum herbam, & ægilopem non nisi post an-
» num ex semine suo nasci. Aliter enim de hisce herbis libro
» VII scripsit Theophrastus in hunc modum scilicet: Sed bul
» bo peculiare datur, quod nõ simul ex omnibus seminibus,
» sed partim anno primo, partim secundo, ut etiam de auena traditum est: Sic enim uerbum ægilopem hoc loco, sicuti & in alijs omnibus uertit apud Theophrastum Theodorus, unde Plinius, ut diximus, errasse conuincitur, scribens ægilopen non nisi post annum ex semine suo nasci, cum more bulbi partim anno primo ex suis seminibus nascatur, partim anno secundo, ut ait Theophrastus. Vt autem ex Plinij uerbis habetur, neque tota auena ex seminibus, neq; etiam pars una primo anno nascatur, sed tantũ secundo. Hij sunt duo Plinij in bromo & ægilope, duabus auenæ speciebus errores. In quo autem Plinij patronus medicos unà cum Hermolao de bromo & auena aberrasse uelit, non ausim asserere, quandoquidem neque ipse ausus se aperto certamini exponere, tantum me aberrasse dicit, & errorem non explicat, dubitans ne si palàm protulisset, ipse potius errare deprehenderetur, & forte in me tempus expectans, quod etiam in Hermolao expectauit, ne possim ad omnia respondere. Quod enim crimen in sua præfatione obijcit medicis, qui Plinij manibus negotium facessere studuerunt, ueluti laruas ad pugnam irritam euocantes, ipse uere est eidem crimini obnoxius, qui post mortem Hermolai tot doctissimi hominis errata, si modo sunt, ut ipse opinatur errata, publicauit, quorum neque unum ipso uiuente esset ausus efferre. Quod de me erga Plinium dici non potest, qui non uixi eadem ætate qua Plinius, sicuti Plinij patronum cum Hermolao in eadem ciuitate magnam suæ uitæ partem egisse constat, & ipso tempore quo Hermolaus Plinianas

 cudebat

cudebat caſtigationes, & ſuis dictabat familiaribus, in qua-
dam uetuſti codicis inſcriptione legiſſe Plinium Nouoco-
menſem, quod erratũ contumax Hermolai, ſic enim ipſum
Plinij patronus in ſua præfatione nominat, & ſe ab Hermo
lao, uel eius familiaribus audiuiſſe non diffitetur. Cur cum
illa dictabat Hermolaus nõ tentauit refellere? An tutius pu
tauit calcare mortuos, quàm uiuos iritare crabrones? Verũ
ad propoſitũ reuertentes, cum non poſſimus habere explo-
ratum, quid nam illud ſit in quo de bromo atq; auena medi
cos dicat Plinij patronus aberrare, ſi diuinare liceat, & co-
gitatus hominum quoad fieri poteſt aſſequi coniectura, ſic
puto Plinij patronum ſua mente concepiſſe: Qui Plinium
medici in ægilope reprehenderunt, unà cum Hermolao Bar
baro decipiuntur, credentes ægilopen idem eſſe quod aue-
nam, cum bromos potius ſit græcis auena, ægilops autem
feſtuca, uel herba ab auena diuerſa, de qua ſæpius Plinius
inter uitia ſegetum, ſub nomine ægilopis nõ auenæ tractat,
quam & aliquando medicatam facit, ut libro XXV, capite
» XI, ubi ait: Et ægilopas ſanat herba eodem nomine quæ
» in hordeo naſcitur, tritici folio ſemine contrito, cum farina
» permixta impoſitaq; uel ſucco exprimitur, hic è caulibus, fo
» lijſq; pergrandibus dempta ſpica, & in trimeſtri farina dige
» ritur in paſtillos. Verum ſi Plinij patronus uelit obſtinate
contendere, ægilopen nõ eſſe auenam, neq; auenæ ſpeciem,
doceat ipſe quæ herba ſit ægilops, ſicuti nos eam eſſe auenã,
tum ex Dioſcoride, tum Plinij ipſius qui eam deſcribit mo
do, quo Dioſcorides, eundemq; tradit in medicina uſum: ac
præterea hoc in loco, ſcilicet capite XI, libro XXV, eam in
hordeo naſci teſtat, ſicuti prius libro XVIII, capite XVII,
hordeũ in auenam degenerare teſtatus erat. Poſſumus auto
ritatibus demonſtrare, atq; inſuper Theodori Gazæ, homi-
nis in Græcia nati, & non minus latinarum, quàm etiam
græcarum

græcarum doctiſſimi literarum, qui ubicunq; ægilopen ſcri *Theodorus*
ptum inuenit apud Theophraſtum, ut etiã retro diximus, *Gaza.*
auenam uertit. Barbari præterea autores, quibus maior æta
te noſtra quàm uel Græcis uel Latinis in medicina fides, ea-
dem de deuſir, id eſt auena ſcribunt, quæ de ægilope Dio-
ſcorides, Galenus & Paulus pariter tradiderunt. Lexica etiã
omnia, tam græca quàm latina, ægilopen, id eſt auenam ex-
ponunt: quæ qui uelit negare, uidetur quodammodo prin
cipia negare: ſiquidem omnis noſtra cognitio pendet ex co
gnitione terminorum. Quanto ſimplicius fuerit fateri Pli
nium non magnam habuiſſe græcarum literarum cognitio-
nem, atq; eo defectu omnia illa quæ ipſi obiecimus in ſuis
ſcriptis errata reliquiſſe, quæ morte præreptus non potuit
emendare: Sed quod de ſe Naſo poëta dicit, alterum lin-
guæ latinæ ornamentum:

Emendaturus, ſi licuiſſet, erat.

Ego ſanè hanc unam Plinij errorum excuſationem puto
omnibus alijs defenſionibus præferendam, quæ non ſunt
defenſiones, ſed grauiores, ut ſæpe oſtendimus, & magis
etiam oſtendemus, accuſationes. Nam ſicuti Plinij patro
nus, contra quẽ nunc agimus, forte putauit ægilopen aliud
eſſe quàm auenam, ita alter conceſſerit ægilopen idem eſſe
quod auenam, non tamen id latuiſſe Plinium, ſed ductum
ratione probabili, maluiſſe uti uocabulo græco quàm lati-
no. Si quis hoc dixerit, ſiue Plinij patronus, cũ quo nunc
eſt nobis negocium, ſiue alius, non uidet quantam inſcitiã
rerum etiam uulgatiſſimarum Plinio ſit adſcripturus: Pli-
nio inquam, qui de naturali hiſtoria ſcribere profiteatur, &
tamen uideatur exiſtimaſſe, ægilopen, id eſt auenam, eſſe
herbam amplexicaulem, quæ circumligando ſe triticũ ene-
cet. Quam exiſtimationem pueri ruſticorum, qui quotidie
recta modulantur auena poſſint irridere. Quare tutius iu-

dico, si alterum Plinio sit detrahendum, græcarum potius literarum adimere cognitionẽ, quàm rerum è terra nascentium, tam præsertim uulgo notarum, eidem adscribere ignorationem. Neq; magnum hoc Plinij dedecus futurum existimo, si ei græca eruditio detrahatur, cum multo maiora illi literarum latinarum ornamenta relinquantur, quibus omnes alios linguæ latinæ autores adeo superexcessit, ut si Musæ lingua Romana loqui uoluissent, non puto Plautina, ut quidam sentiunt, sed magis Pliniana fuissent locutæ. Sed utinam tantam habuisset in corde sapientiã, quantam habuit in lingua patria eloquentiam. Quod homines eruditi Plinianam elocutionẽ diuinam iudicent, eamq; præcipue imitandam censeant, non equidem improbo, sed magis laudo, & quibus ista non sapiat, eos planè fateor desipere. Sed illos uicissim puto esse in altero desipientiæ genere, qui Plinio tantam tribuunt diuinitatem, ut nullo pacto in animi eorum captum uenire possit, Plinium in aliqua sui operis parte deerrasse, siue de imaginibus herbarum, atq; natura, siue de terræ ac maris ambitu, siue de siderum magnitudine loquatur. Nuper me quidam amicus Ferrariæ monuit, ingressum se forte scholam puerorum, audiuisse ludi magistrũ magna uoce aduersus me pro Plinio ac quodam leguleo Plinij patrono, de sole ac luna pronuntiantẽ. Tum ego ad amicum inquam: Et quid ille ludi magister de sole ac luna pueros docebat suos? An solem esse masculini generis, lunam fœminini? Neque enim putabam ludi magistrum ausum fuisse supra calceum ascendere. Non hoc, amicus inquit, sed aliud maius: Plinium enim probabat idem quod alios mathematicos de luna sensisse, ipsam scilicet terra esse minorem: Quoniam ubi Plinius scribit libro secundo de naturali historia: Non posset quippe totus sol adimi terris intercedente luna, si terra maior esset quàm

Eloquentia Plinij.

quàm luna: Magister hoc in loco uerbum, terris, licet in plurali numero proferatur, habere tamen singularis significatum, & partem terræ, non omnes terras significare contendebat. Risi hominis uanitatem, & uicem illorum condolui puerorum, qui satis intempestiua, ne dicam inepta disciplina per numerum pluralem ac singularem ad astronomiæ traherentur sublimitatem, ad quam neque ipsi propter ætatem, neq; eorum magister propter ingenij hebetudinem possent ascendere. Hanc quoque cum dictarem epistolam, accepi ab amicis quos habeo Venetijs literas, quæ me admonebant, esse alterum grammatistam græcum, meæ quantum potest apud suos discipulos existimationi detrahentẽ: nisi quod iste aliquanto prudentius, non mecum de astronomia, seu alia philosophiæ parte, uel medicina contendit, sed tantum de grammatica græca, hoc est de ea quã profitetur arte. Quod si uelim hominem aduersus me satis, ut audio, petulanter in sua professione exultantẽ, auscultare, uideo me ad ea studia quæ iampridem in schola puerorum didici, ætate iam cana non sine magna mea infamia relabi. Nam cũ diuisæ sint professionũ uices, quis ferat grammatistam de philosophia, aut philosophum de grammatica disputantẽ? Sed cum idem amici mei, qui me primi de hoc græco grammatista, non cessante quotidie meum nomen dehonestare, monuerunt, etiam me cogant, ut pro meo honore tuendo ei super hijs, quæ mihi in grammatica græca obijciuntur, respondeam, eum obseruabo modum, ut neq; in minimis meã famã neglexisse, neq; me sponte, sed inuitũ in hanc de cõstructionibus disputationẽ, quæ magis puerili ætati cõueniat, uidear demississe. Nã quod mihi à grãmatista græco obiectat hoc est, me male emẽdasse locũ Aristotelis libro VII de historia animaliũ, in quo de morsu canis rabidi scribit hæc uerba: λυτ]ῶσιμ ἁπάντα τὰ ἄμχθίντα ὠλὴμ ἀνθρώπε. In quibus

ego

ego nõ πλὴν, sed πρὶν magis censui legendũ, ne si dictio exceptiua retineatur, mendacium insit apertissimum, omnia animalia morsa à cane rabido rabire, & mori, excepto homine, cum æque homo ac reliqua animalia ex morsu canis rabidi & rabiant, & moriantur. De quo tamen tam manifesto mẽdacio Aristoteles si ita scripsit, ut in codice græco scriptum inuenitur, & Theodorus sua translatione confirmauit, nihil audio grecũ grammatistam in Aristotelis aut Theodori dicere detensionem. Sed ut qui uelit naturæ potius, quàm suæ artis legibus aduersari, nullo modo permittit, ut πρὶν aduerbiũ temporis cum genitiuo casu construatur, sed πλὴν legendũ censet, ut habet scriptura græci codicis. Nec ꝙ ueretur, ut dixi, naturam uiolare, quæ uoluit ita morsum canis rabidi esse homini noxiũ, sicuti reliquis animalibus, ut suæ artis decreta seruet incorrupta. Ego uero hominem antiqua mihi amicitia deuinctum, licet, ut tandem resciui, simulata: quoniam à me sæpius apud magnos uiros, quorũ ope uitam traducebat, collaudatus non eadem refert grata mente præconia, sed magis ingrata conuicia: hominem inquam, siue uerum, siue fictum amicum, ita compellabo: Amabo, ὁ amice, si alterum Aristoteli sit detrahendũ, aut doctrinam philosophiæ, aut grammaticæ græcæ eruditionẽ, utram adimendam censeas? Tu forte tuæ fauens professioni potius censueris Aristotelem malum esse philosophum, ut bonum probes grammaticum. Tu quidem ita grammatista græcus. At non idẽ Porphyrius summus philosophus de Aristotele philosophorum principe iudicauit, quin minus malum putauit, eundẽ Aristotelem lingua quàm mente σολοικίζειν. Cum enim de natura diffinitionem ab Aristotele assignatam, quæ ait: natura est principiũ motus & quietis: non posset Porphyrius aliter pro uera defendere, quoniam cœlestia corpora habent naturam, & tamen nunquã quiescunt,

quiescunt, sed perpetuo motu cientur, dicere non dubitauit, & pro uel ab Aristotele fuisse transumptum. Atqui ὦ græci grammatistæ, cumquibus doleo impositam mihi esse necessitatẽ de uestra grammatica, à qua iam pridem fateor me esse feriatum disputandi, uestræ regulæ dicunt solœcon esse, cum coniunctio ponitur pro coniunctione: quẽadmodum Aristotelis Porphyrius καὶ ἀντὶ τοῦ ἢ, hoc est, & pro uel planè posuisse confitetur. Sed quia forte sit nefas Aristoteli, uiro non minus uerborum facundia, quàm rerum scientia prædito, tale uitium sermonis, quale est solœcon, adscripsisse, illud potius dicendum est quod scribit Quintilianus, multa in antiquis autoribus tum uetustate, tum autoritate defendi, ubi præsertim subsit aliqua ratio, ut in eo loco Aristotelis, in quo πρὶν ἀνθρώπου scribendum censui: Nam si πρὶν ἀντὶ τοῦ πρώτερον, ὃ ἀντὶ τοῦ πρωτοῦ, καὶ ἀντὶ τοῦ ἕως οὗ sæpissime ponitur, ut græci autores probati sentiunt, πρώτερον autem & πρωτοῦ construitur alterum cum genitiuo, alterum cum uerbo infinitiuo habente uim casus genitiui, cur non & πρὶν ἰσοδυναμοῦν, si etiam πρὶν suam habet derivationem ἀπὸ τοῦ πάρος παρίημι, καὶ συγκοπῇ πρὶν; cur non possit πρὶν in constructione sui aliquando primitiui seruare naturam? Quia non est consuetum, inquient, apud idoneos autores talem fieri constructionem. Nam potissima ratio grammatistarum est consuetudo, sæpius tamen falluntur: Neque enim omnes legere probatos autores, neque etiam libri omnes antiquorum inueniuntur, sed multi uetustate interciderunt. Qui autem error est apud Latinos, eundem etiam puto apud Græcos posse contingere, hac præsertim ætate, in qua studia græcarum literarum defloruerunt. Gellius apud nos literator eximius existimauit non inueniri in libris Ciceronis uerbum Nouissimum pro extremis, & tamen falsa fuit existimatio: Siquidem in epistola eiusdem Cice

Nouissimus in Cicerone.

ronis

ronis ad octauium, quam fuisse ex ultimis puto, quia pro-
„ scriptus eam scripsit, hæc uerba leguntur: Nam ut or-
„ diar ab initio, & perducam ad extremum, & nouissima cō-
„ feram primis, quæ non posterior dies &c. Laurentius Val
lensis ob librorum latinorum penuriam, qua sua ætate labo
rauit, multos sermones putauit esse à latinitate abhorrentes
qui nostro æuo in latinis autoribus postmodum in lucem
proditis frequentes reperiuntur. Sed quid opus est cū grā-
matista græco, uetere præsertim amico, tam operosa dispu-
tatione cōtendere? cum possimus ambo facile redire in gra
tiam, atq; in unam reuocari concordiam, Aristotelem bo-
num philosophum, & non malum grammaticum faciētes,
ita prima uerba eius loco de quo disputamus legentes:
λυττῶσιν ἁπάντα τὰ δηχθέντα πρὶν ἄνθρωπος, ut subaudiatur λυττῇ, uel
πρὶν ἄνθρωπον, subaudiendo λυττᾶν: neq; enim negabit aduer-
biū πρὶν tam cū indicatiuo, quàm etiā cum infinitiuo iungi,
nisi suæ uelit artis negare regulas: sic & in secunda clausula:
ἀναιρεῖ τὸ νόσημα τοῦτο τάς τε μύνας καὶ ὅτι ἂν δηχθῇ ὑπὸ λυττῶσης πρὶν τὸν ἄνθρωπον,
subaudiendo ἀναιρεῖ. Ego tamen magis probauerim in pri
ma clausula casum accusatiuum, & subauditionē uerbi infi
nitiui, tum quia constructio magis usitata, tum quia maior
est inter ν & υ literas græcas similitudo, & ideo ab una ad
alteram lapsus facilior. Sed omissis grammatistarum, siue
latinorū, siue græcorū crassis admodum subtilitatibus, iam
ad medicum Plinij patronum reuertamur: de quo non satis
queo admirari, quod medicus atq; philosophus non modo
meo, sed aliorū quoq; iudicio doctus, se etiam passus fuerit
trahi in hæresim grammatistarū, Plinium esse omnis erroris
expertem, in hijs etiam quæ partim ad philosophorum, par
tim etiam ad medicorum attinent disciplinas. Nam inter
cætera, in quibus in sua scribit præfatione, Hermolaum
Plinium immerito accusare, hunc quoque uidetur Hermo

Laurentius Valla.

lai

lai errorem annotare, de solis, lunæ, ac terræ magnitudine.
Sed cur in hijs ab Hermolao dissentiat, qui mecum con-
tra Plinium sentit, non intelligo, quandoquidem Plinij pa
tronus neque in hac parte, sicuti neque in pluribus alijs su-
am pro Plinio sententiam aduersus me atque Hermolaum
nondum aperuit. Nos uero quantum ad hunc attinet locū
quid nobis uideatur aperte pronuntiabimus, Hermolaum
recte cum Ptolemæo, ac reliquis probatissimis mathemati-
cis, lunam terra esse minorem statuisse, & Plinij cauillum
contraria probantem reprobasse, nisi quod non recte, neq;
Ptolemæo consone, terram ter tantum, & duabus quintis
ferè partibus scribit luna esse maiorem: Nam inter diame-
tros seu dimetientes terræ ac lunæ, non autem inter globos
ipsos est ista proportio. Ratio autem geometrica probat,
globos suarum diametrorum proportionem habere tripli-
catam. Ex qua ratione colligitur, terram luna maiorem
esse non ter, & duabus quintis ferè partibus, ut scribit Her
molaus, sed trigesies nouies, & una ferè tertia parte. Quē
quidem Hermolai errorem si Plinij patronus uoluit innu-
ere, ubi de solis, lunæ, terræq; magnitudine Hermolaum no
tat, hominem non modo medicum, sed etiam mathema-
ticum exosculabimur. Sed quoniam etiam in sole eundem
carpit Hermolaum, in quo nullam hic præbuit erroris uel
minimam suspicionem, ueremur admodum ne nota hæc po
tius grammaticam, quàm mathematicā sapiat subtilitatē,
quandoquidē etiam grammatistæ audēt de astronomia per
numerū singularem atq; pluralem, de historia autē naturali
per casum genitiuū uel ablatiuū disputare. Sicuti aūt in lunæ
ac terræ magnitudinibus partim cū Hermolao sētio, partim
dissentio, ita in herba fraga ferente, in lysimachio, in phalan
gio, myrmetio, omnino Hermolai accedo sententiæ, Pliniū
errore non paruo herbā fraga ferentē, quæ sit trifolia, fecisse

Herba ferens fraga.

 quinque-

quinquefoliam, uel ſenſu ipſo, qui in hijs eſt certiſſimus arbiter, illud quod nos dicimus indicante. Quod ſi Plinij patronus ſe herbam quæ fraga fert uidiſſe aliquando quinq; habentem folia teſtabitur, nos uiri grauis teſtimonio credemus. Sed ſciat nos non de eo quod perraro fit, & monſtri loco habeatur, ſed de naturæ numero quem ſeruat in plurimis, cum Plinio in hac herba contendere. In lyſimachio herba pariter, quam Dioſcorides flore aureo, Plinius purpureo deſcribit, uiſum ſenſuũ omnium acerrimum iudicẽ appellabimus, ubi prius fuerit declaratum, quæ herba fuerit antiquis lyſimachion, & quo nomine ætate noſtra apud uulgus cenſeatur: Quod Plinij patronum facere oportuit, antequam diceret florem lyſimachij eſſe uulgatum, alioqui ſciat ſe repugnantia dixiſſe. Qui enim poſſit flos uulgo eſſe cognitus, ſi herba ipſa de qua naſcitur flos ignoretur? Vt certe eam ſcio non modo à uulgo, ſed etiam à medicis noſtræ ætatis, ut pleraſq; alias quæ in uſu medico fuere apud priſcos, ignorari: Si tamen more ſophiſtarum, non elegantium, ſed barbarorum loqui uelim, poſſum dicere, & uulgus, & medicos herbã lyſimachiũ noſſe, non tamen noſſe herbã lyſimachiũ. Sed minime puto Plinij patronũ, medicũ non ſolum peritũ, ſed etiam eruditũ, ita fuiſſe locutũ: ſi tamẽ ita fari liceat, erit ſermo ſophiſticus uerus: Nam herbã quã priſci dixere lyſimachion, hoc æuo uulgus corneolã nominat, ſub hoc nomine notiſſimã omnibus, licet plures neſciant priſco uocabulo uocari lyſimachion, quod nos nũc primũ luce clarius ſumus demõſtraturi. Huic herbæ uulgo corneola nominatæ, quam infectorum præcipue officinæ noluerunt, ea enim ad inficiendos uiridi colore pannos utunt, omnes illæ adſunt notæ, quas tum Dioſcorides, tum etiã Plinius pariter lyſimachio adſcripſere: Nam & in aquoſis naſcitur, ut ſcribit Plinius, uel in paludoſis, & iuxta aquas, ut

Lyſimachion.

Corneola.

ut Dioſcorides. Ego ſanè teſtor me frequenter uidiſſe herbam corneolã in Ferrariæ paludoſis, uel in ripa Padi natam. Huic præterea folia tenuia, uiridia, qualia ſalici germinant, quæ ſi comburantur, acrem fumum emittunt naribus mordacem, & quod damnat Plinium, non purpureo, ſed aureo flore inſignita cõſpicitur. Cogitur autem & Plinius fateri, aureũ eſſe herbæ lyſimachij florem, niſi uelit cognominem lapidem lyſimachum, aureis inſignem uenis, ut ipſe deſcribit libro XXXVII, capite X, temere idem nomen fuiſſe ſortitum. Quanquam idem Plinius non tantum in colore floris, ſed etiam in herbæ odore notari poteſt, quem grauem ſentiri ſcribit, & non acrem, ut Dioſcorides: nec quomodo talis ſentiatur oſtẽdit, ſuffitu ſcilicet herbæ combuſtæ. Quæ omnia Dioſcorides diligentiſſime eſt executus, & uſum præterea herbæ in medicina docuit, quod hoc in loco ubi lyſimachion deſcribit Plinius facere prætermiſit. Lyſimachiũ autem eſſe herbam infectiuam, non equidem memini me legiſſe apud aliquem autorem græcum uel latinũ, niſi quod de ea ſcribit Plinius libro XXVI, capite XVI, quod capillum flauum facit. Dioſcorides autem lyſimachium alio nomine ait lytron appellari, quam appellationem ſuſpicor aut apud Dioſcoridem, aut apud Plinium eſſe deprauatã, qui de lutea herba infectiua meminit libro XXXIII, capite V, quam dicit cæruleo ſubtritam pro chryſocola induci. Forte enim lytron, non luteam eandem herbam debuit nominare: nam & Victruuius non luteam ſed luteum uocat, inquiens: Qui non poſſunt chryſocolla propter raritatem uti, herba quæ luteum appellatur cæruleũ inficiunt, & utuntur uiridiſſimo colore. Talis eſt ferè etiã ætate noſtra lyſimachij herbæ, ſiue lytron, ſiue luteum alio nomine appellatur, apud infectores uſus: nam colori cæruleo, quẽ guadum uocant, eam ſuperinducunt, & uiridem colorem tingunt.

Lutea herba infectiua.

Mirum autem uideri possit, si lutea uel luteum nominetur, cum non luteum sed uiridem faciat colorem, nisi quod & luteum seu flauum facit, si per se adhibeatur, & nõ cæruleo subteratur: nam & Plinius scribit, ut diximus, lysimachium capillum flauum facere: uel lytron forte non à colore quem tingit, sed à flore potius lutea fuit nominata. Nam & Auicenna Fen XVI tertij capite de excoriatione ulcerum, de quadam herba meminit, quã herbam tinctorũ & citrinam nominat, cuius succũ bibitum & clysterizatum scribit prodesse ulceribus intestinorũ. Neq; puto ipsum aliam herbam innuere, quàm lysimachium, cuius pariter foliorũ succum, aut epotum, aut per clysterem iniectum dicit Dioscorides prodesse dysentericis. Antiquus autẽ Auicennæ expositor, siue Gentilis, siue alius, cuius expositiones in locũ allatũ habentur impressæ, ut qui magis studeat uerba Auicennæ scindere in partes, primã ibi, secundam ibi, tertiã ibi, quàm eorũ sensum, quod magis foret ex usu medicorũ, declarare: neq; hanc herbam tinctorũ citrinam, neq; alteram quam statim postea tanquam eundem habentẽ effectum Auicenna subiungit, & pedem alacohen dicit à quibusdam uocari, se autẽ existimare quod sit pes corui, quamuis alij ante eum, ut ipse testatur dixissent Hippocratem per alacohen folia ficus intelexisse: neutram, inquam, harũ herbarũ quæ uidentur fuisse apud ueteres in usu medicinæ celebres, atque ideo cognitu necessariæ, sua studuit doctrina Gentilis illustrare, sed tanq; essent notissimæ, aut parum afferret earum noticia utilitatis, sua intactas expositione præterijt. Nouus autem Auicennæ expositor non uisus est omnino ista negligere, uerũ ex eius expositionibus lector est incertior quàm antea: Nam herbã tinctorũ memitem esse dicit, cuius succo utuntur tinctores, de qua etiã memite dicit testari Principem, quod est frigida & sicca in primo, & quod multã habet stipticitatem, & exponi in

poni in sinonymis Auicennæ quod est chelidonia, sed non esse uerum teste Simone Genuensi: Nónne hic Expositor ignotum per ignotius, aut saltem æque ignotũ nobis ostendit, cum herbam tinctorum memitem esse dicit, non autem quid sit memitẽ, sed quid non sit magis edocuit? Scio enim uerã memite, quã Dioscorides glaucium uocat, & ad uitia oculorũ laudat, à nostræ ætatis medicis ferè omnibus ignorari, qui pro ea utuntur herba altera simili quidem, sed non eandem habẽte uim, quã græci μήκωνα κερατίδα, id est, papauer cornutum appellant: sed fac ueram memitẽ, aut uerũ glaucium esse, notum non tamen: aut autores arabes de memite, aut græci de glaucio, q; sit hæc herba tam in usu infectorum quàm etiam medicorũ, quicquã retulerunt: neq; quia Auicenna scribat, memitẽ esse frigidam & siccam in primo, hoc satis efficax est argumentũ ad probandum memitem esse herbam tinctorũ, de qua Auicenna facit mentionem Fen XVI tertij capite de excoriatione intestinorum: Plures enim sunt herbæ tales habentes qualitates, quas tamen propterea non dicimus easdem esse cum herba tinctorũ atq; citrina ab Auicenna nominata, neq; etiã eosdem habere in medicina usus existimamus. De secunda herba, pede alacohen ab Auicenna uocata, idẽ Expositor scribit existimare quod sit herba à medicis uocata pes corui, de qua dicit secũdo huius capite, de pede coruino, quod radix huius herbæ cum decoquitur confert solutioni antiquæ, sed radicem huius herbæ, quã nostri herbolarij uocant pedem corui, esse causticam, ulcerativam, & de ista nõ loqui Principẽ. Hic quod deinceps dicit, quod aliqui dixerũt, quod per alacohen Hippocrates intelexit folia ficus, quæ in nullo seruiunt casui præsenti, quia pungunt & excoriant per lacticinium occultatũ in eis, hæc omnia ad uerbum ferè nouus expositor Auicennæ, qui sua expositione non magis hanc, q; etiã priorem nobis herbam declara-

Memitẽ herba.

Pes alacohe.

declarauit. Forte autẽ sit illi minus pudendũ hanc secũdam,
Pes coruinus. scilicet pedem coruinũ, de quo Auicenna loquit, ignorasse, quando & ipse Auicenna, tantus alioquin medicinæ magister, uel dubitauit, uel etiam nescíuit quid esset, ut planè in multis alijs herbis ipsemet suam fatetur inscitiam, ut etiam secundo canonis de hac ipsa herba, quæ pes coruinus nominatur, non modo ambigua sed etiã contraria loquitur, sunt
» autem hæc Auicennæ de pede coruino inibi uerba: Pes
» coruinus membra expulsionis, radix eius herbæ confert so-
» lutioni antiquæ, & dixerunt Paulus & alij, quod confert co-
» licæ, & efficit operationem hermodactylorum absque nocu-
» mento. Ego autem nescio quomodo radix pedis coruini
possit prodesse solutioni antiquæ, & facere operationẽ hermodactylorũ, qui sunt satis in soluendo potentes, nisi forte Auicenna uult hoc loco solutionem curare solutione, qui tamen alibi præcipit non esse faciendam solutionem super solutionem. Fen autem XXII tertij capite de solutione podagræ, & ischiadicorum, pedem coruinum non colicæ, sed podagræ potius, ex eiusdẽ Pauli autoritate Auicenna pro-
» desse testatur, ita scribens: Et dixerunt quidam quod pedi
» coruino inest operatio hermodactylorum, & non est eius
» nocere stomacho. Quæ uerba exponens etiã nouus expo-
» sitor Auicennæ, in hunc modum scribit: Dicit aliquos as-
» seruisse, quod pes coruinus operatur, & purgat sicuti hermo-
» dactyli, & non nocet stomacho sicuti ipsi: Et pes iste corui-
» nus est herba cuius radix ponitur in opere, de qua scribit se-
» cundo huius capitulo de ea: Dixerunt Paulus & alij, quod
» confert colicæ, & efficit operationem eorum absque nocu-
» mento: Deinde subiungit: Radix pedis coruini quẽ nos hic
» habemus, ab extra apposita rodit, & pluries hanc feci super
» pedem illius quassari, qui habebat in inguine bochium epi-
» demille, & protinus illic surgebat ampulla, qua rupta exibat
uirus

» uirus uenenosum, unde aliqui sanabantur. Sed hanc dare
» per os nunq; ausus sum, licet scią aliqua quæ foris adhibita
» uesicant, & ulcerãt, & comesta noceãt, ut allia, & cæpe. Hæc
ille: qui licet uereatur, ut sanè debet uereri, dare per os radicem pedis coruini quæ uenenũ est, ut postea declarabimus, per uerba tamen postrema uidetur innuere, quod si etiã daretur per os, cum aliqua tamen ratione daretur, & non sine Principis autoritate. Ioannes uero Matthæus de Grado, alter nouus Auicennæ expositor, in huius radicis expositione
» magis audaculus scribit hæc uerba: Intellige, quod cũ au-
» tores utuntur pede coruino, in casu etiã isto semper utuntur
» radice eius, & non foliis: ita etiã dominus Auicenna secundo canonis ponit iuuamẽta radicis eius. Quæ uerba Expositoris nobis indicant ipsum huius herbæ timuisse folia non radicem, quia dominus Auicenna eiusdem radicis usum, & non foliorũ secundo canonis præcipue probauisset. Miseret me humanæ uitæ, quam uideo quotidie sub Auicenna non tanquam principe, sicut medici iuniores appellant, sed tanquam sæuo tyranno periclitari: nam si radicem uenenatam uel intra corpus iusserit adhiberi, eam quidam medicorũ in ægrotantibus adhiberi non dubitant: Contrà, si radicem salutarẽ, & uenenis aduersantem dari uetuerit, tanq; medicinam pernicioſam, illam medici etiam celebres non audent dare. Radicem pedis coruini habentem uim exulcerandi, & tanquam uenenũ, præterq; si extrinsecus apponatur, in usu medicinæ fugiendam, alter nouus Auicennæ expositor nõ ueretur † dare etiam intus assumendam, fretus Auicennæ † *dicere*
& secundo canonis, & XVI tertij, qui eam hermodactylis præfert autoritate. Ego uero testor deum me nouisse medicum, qui ex eadem radice quibusdam alijs adiunctis pilulas cõficiebat, & eas podagra laborantibus propinabat, nõ sine magno quorundam qui eas accepere periculo, donec tandẽ

à me ſui erroris admonitus, à tam periculoſa abſtinuit medi
cina. Nónne idem Auicenna, ſi qui tam fatui ſint qui ei ue-
Napellum. lint in omnibus credere, ſcribit ſecundo canonis, napellum
eſſe uenenũ pernicioſum? & tamen potari ſuadet, cũ poſtea
,, ſubiungit: Delet albaras linitum & bibitum. Venenũ
autẽ quod noſtra ætate napellum ab herbarijs nominatur,
aconitum à Græcis atq; Latinis uocatur, de quo Vergilius:

Miſcent aconita nouercæ.

Vt iam appareat Auicennam non tam tyranni, quàm etiam
nouercæ imitari mores. Contrà Galenus aconitum laudat,
ſi abſtergendum ſit aliquid ex corpore, ſed cauendum eſſe,
inquit, ne aut in potu aut in cibo ſumatur. Idem Auicenna
radicem pentaphylli à Dioſcoride cõmendatam ad uenena
mortifera, ipſe ſecundo canonis ſcribit eſſe medicinã perni-
cioſam, adeo ut Michaël Sauonarola medicus, ſuo et noſtro
quoq; tempore propter ſcripta quæ de medicina edidit cla-
rus, non auſit eam in quartana dare, non aliam ob cauſam,
niſi quia damnetur à Principe. Tantã habet, ut nuper dice-
bam, Auicenna apud medicos noſtri temporis autoritatem,
ut medicinam mortiferã faciat ſalutarem, ſicuti pedem cor-
uinum: ſalutarem autem pernicioſam, ueluti radicem penta
phylli uel eius ſuccum. Nam & Iacobus de Dondis, cogno
mento Aggregator, huius radicis ſuccũ inter uenena perni
cioſa ex Auicennæ numerat autoritate. Forte autem quan
tum ad pedis coruini attinet radicem, non tam Auicenna,
quàm medici ipſi non recte Auicennã intelligentes ſunt re
prehendendi. Quis enim eos cogit putare herbam, quã her
barij noſtræ ætatis pedem coruinũ nominant, eſſe illam quã
ueteres medici, Paulus ſcilicet & Dioſcorides, ſub eodem
nomine celebrarũt? Quaſi uero ſit neceſſariũ, ut quæ nunc
ſunt nomina herbarũ, etiam priori ſeculo fuerint. Eos autẽ
quos ſupra notaui Auicennæ Expoſitores, illud oportuit di-

diciſſe

diciſſe, aliam eſſe herbam à priſcæ ætatis hominibus pedem
coruinũ nominatam, aliam à noſtris: nam ſi id ſcijſſent, neq;
tam multa de pede coruino dubitaſſent, neque etiam aliqui
eorum unquam in animũ induxiſſent, herbã pedem corui-
num à noſtris dictam, poſſe ſine periculo aut in pilulis, aut
alio modo intus aſſumi: Hæc enim eſt illa quã Dioſcorides
βατράχιον, & apium ſylueſtre nominat. Vnde & medici iunio
res non ſolum pedem coruinũ, ſed etiam apium raninũ no
minarunt, à gemina ſcilicet animalis, & herbæ alterius ſimi
litudine. Huius herbæ Dioſcorides quatuor facit ſpecies, & *Batrachij quatuor ſpecies.*
unam ex hijs inter uenena collocat. Omnium autem folia,
& caulem, ſi apponantur humano corpori, uim ait habere
exulcerandi, & eſcharam faciendi. Quare nullo modo ſuſpi
candum eſt, illos qui dixerunt pedem coruinũ in medicinæ
capitulis excoriationis inteſtinorũ, quos Auicenna allegat
XVI tertij eodem capite de hac pede coruino, quam ueteres
βατράχιον, à rana cuius effigiem repræſentat, nominarunt, in-
tellexiſſe: ſed neq; Auicenna ſecundo canonis cum ſcribit
radicem pedis coruini conferre ſolutioni antiquæ, de hac po
tuit intelligere. Ideo quantum ad hoc forte non eſt error
Auicennæ, ſed male exponentium Auicennam, & neſcien
tium quid duobus in locis, ſcilicet & ſecunda canonis, &
ſexta decima tertij per pedem coruinũ Auicenna intellexe-
rit, ſi modo & ipſe quid eſſet intellexit: nam XVI tertij etiã
uidetur hæſitare. Secundo autem canonis omnino Auicen
na aberrat, illam oſtendens quam ſupra tetigi in radice eiuſ
dem herbæ contrarietatem, quod conferat & ſolutioni anti
quæ, & faciat operationem hermodactylorũ abſque nocu-
mento. Quibus uerbis poſtremis ſimilia etiã ſcribit XXII
tertij, ſupra etiã à nobis allegata. Verum utrobiq; male Pau
lus & alij ſuper hac medicina, quæ facit operationem her-
modactylorum, ab Auicenna citantur: neque enim Paulus

uſquam herbã coronopoda, ſic enim græci pedem coruinũ nominant, hermodactylis comparat, in iuuando podagricos, ſed compoſitionem quæ nominatur apud græcos διὰ τοῦ κορωνοπόδος, id eſt, per pedem coruinũ, alteri præfert, quæ apud eoſdem græcos δι' ἑρμοδακτύλων, id eſt, per hermodactylos nominatur, quarũ utranq; deſcribit Paulus libro VII, in quo de ſimplicibus et compoſitis agit medicinis, proprijs ambas inſcriptionibus notans.

Primæ compoſitionis inſcriptio, atq; deſcriptio hæc eſt.

Podagrica per Hermodactylum.

Hermodactyli oñz. III. anneſi, cymini æthiopici, ameos, corymborum thymi, piperis longi, zinziberis, obolos tres, epithymi unciam mediã, doſis oboli IIII aut VI, datur mane cum condito uel hydromele. Secundæ autem cõpoſitionis per pedem coruinũ inſcriptio, atq; deſcriptio talis eſt.

Per pedem coruinũ compoſitio, quæ facit ad ea, ad quæ & altera per hermodactylon, ſtomacho utilis.

Zinziberis oboli duo, piperis oboli tres, agarici obolus unus, cinci interioris oboli quatuor, radicis pedis coruini oboli ſex, doſis oboli octo. Hijs autem quibus uenter non facile ſoluitur ſiliquæ XXIII, facit omnino ſeptem, uel octo ferè alui deiectiones. Harum duarũ compoſitionũ Paulus libro ſui de medicina uolumine tertio ſecundam, per pedẽ coruinum nominatam, dicit ex Alexandri autoritate prima eſſe meliorem, ut quæ eandem faciat euacuationẽ, & æque ſedet dolorem, cum hoc quod nihil obeſt ſtomacho. Quorum uerborum ſententiam male Auicenna duobus in locis antea allegatis, de ſolo pede coruino ſcribit, ipſum hermodactylis comparando, quaſi radix pedis coruini, de qua loquitur Paulus, ſit parienda aluo radici hermodactylorũ, & non habeat potius adſtringendi facultatem, quemadmodum de ea ſentit Dioſcorides, qui ipſam cœliacis prodeſſe teſtatur,

teſtatur, ſicuti & ipſe Auicenna primo canonis eandem dicit radicem prodeſſe ſolutioni antiquæ, & etiam XVI tertij teſtatur nonnullos eam nominaſſe inter medicinas ad ulcera inteſtinorum facientes, quoniam cœliaca diſpoſitio eſt morbus ſimilis lienteriæ, quæ prouenit etiam ex ulceribus inteſtinorum. Quare Auicenna hæc omnia de radice pedis coruini non male ſcribit. Illud uero non recte, quod faciat operationem hermodactylorũ. Si quis uero miretur, quomodo tota compoſitio per pedem coruinum nominata, eandem poſſit facere euacuationem, quam altera per hermodactylos, cũ pes coruinus uel radix eius uim aſtringendi habeat, hermodactyli autem magis purgandi, ſciat dictã per pedem coruinum compoſitionem non habere uim purgatoriã ex pede coruino, ſed ex agarico & enico, quod cartamum medici recentiores appellant. Purgat autem æque atq; altera compoſitio per hermodactylos nominata, quoniam doſis eius eſt dupla ad doſim alterius, & in durum habentibus uentrem maiorẽ multo quàm duplam habet proportionem, ut ex hijs quæ antea ſcripſimus, ex Pauli ſententia patere poteſt. Neq; uero quiſpiã miretur, compoſitionẽ purgatiuam ex medicina uentrem aſtringente ſuam ſortiri appellationẽ: quoniã in podagricis doloribus, atq; iſchiadicis non minus quærimus humorũ fluxum ad loca dolentia reprimere, quàm eorum qui iam fluxere euacuationem. Vnde & apud Paulum inuenitur alia compoſitio ad podagras, quæ percorallium nominatur, in quam tamen ueniũt rhabarbarũ, & ariſtolochia medicinæ euacuantes. De eiſdẽ duabus compoſitionibus, quas ſupra ſecundum Paulum annotauimus, etiam Auicenna meminit Fen XXII tertij capite de ſolutione podagricorum & iſchiadicorũ. In quibuſdam tamen medicinis, ſed præcipue in põderibus medicinarum, à Paulo euariat, ut quas ſcribit Auicenna cũ hijs

quas Paulus antea notauerat,cõferre uolentibus uideri po
teſt. Hic uero occurret aliquis, ac mihi obijciet id,quod &
ipſi Auicennæ,atq; eius Expoſitoribus antea obiectaui,nõ
haberi ex eorũ expoſitionibus, neq; quid ſit herba tinctorũ
ſiue citrina,neq; quid ſit pes coruinus,de quo Paulus,quã
tumuis male ab Auicẽna allegatus,intellexit: Liquet enim
ex hijs quæ antea diximus, eſſe herbam pedem coruinum à
ueteribus dictam, ex cuius nomine cõpoſitio tota ſuam ha
buit appellationem:nondum tamen quæ,aut qualisnam ſit
fuit declaratum. Cum ergo &quænam,aut qualis ſit herba
tinctorũ ab Auicenna dicta, & quo nomine apud ueteres
fuerit inſignita,antea docuerimus,quod etiam de herba fe
cimus,quã noſtri herbarij pedem coruinũ nominant. reſtat
ut quid ſit pes coruinus ueteribus & Dioſcoridi, & Paulo,
atq; Auicennæ doceamus: quando quidẽ &ipſe Auicenna
eam ſcripſit compoſitionẽ, cuius pes coruinus eſt pars, ne
qui uolunt totã facere compoſitionẽ in pede coruino dubi
tent, ueluti quidam Auicennæ expoſitores hæſitarunt, aut
Coronopus. ſicuti alij radicem pernicioſam pro ſalutari recipiant. Coro
nopus,hoc eſt pes coruinus, inquit Dioſcorides, herba par
ua eſt,oblonga,humi ſtrata,folijs fiſſis: hæc quoq; pro ole
re elixatur: aliqui amnones, aliqui aſtrium, Afri atorſum,
Romani caciatricẽ,nonnulli ſtillago,nõnulli ſanguinari uo
cant: huius radix in cibo ſumpta facit ad cœliacos: naſcitur
in locis incultis, & in dumetis, & in uijs. Omiſſis in hac her
ba barbaris appellationibus,de qbus nõ poſſumus, ſint ne
recte an perperam ſcriptæ dijudicare, Romana nomina dili
gentius inſpiciamus, ut ſi qua eorũ ſint deprauata corriga
mus,atq; inde ad eius quã quærimus herbæ notitiã peruenia
mus. Caciatrice ſanè uidetur dictio corrupta:neq; enim eſt
græca,neq; latina: quare puto galitricẽ eſſe legendum, uel
Galitrice. quod magis græcæ appellationi reſpondeat,galli crus,ut ſi
cuti

cuti ideo apud Græcos hæc herba coronopus eſt nominata,
quoniã coruini pedis effigiẽ repræſentat,ſimili ratione apud
Romanos galli crus fuerit nũcupata: Eſt enim herba apud
autorẽ de ſimplici medicina,quem aliqui putant fuiſſe Apu
leium, galli crus, atq; etiã ſanguinaria nominata: quod etiã
nomen uitiatum eſt,ſeu decurtatũ apud Dioſcoridem:nam
ſanguinari pro ſanguinaria in multis codicibus legitur: De *Sanguinaria.*
hac autem herba idem autor de ſimplici medicina, quicũq;
ſit, refert eadem quæ de coronopode Dioſcorides, quod ui
delicet in locis aſperis, & circa uias: addit autem & rationẽ
cur tam galli crus, quàm etiam ſanguinaria nominetur, eò
quod ſcilicet naribus impoſita ſanguinem fluere facit, &
habet,ut inquit,in ſummitate pedem galli. Hæc autẽ herba
ipſa, ſi quàm ſit uulgo nota, & ſimul eius nomen uulgare
manifeſtauero,uereor ne Auicennæ, atq; eius Expoſitori
bus magnam pariam ignominiã, qui in re notiſſima pueris
hæſitarint. Verum iſta cælare non eſt tam parcere antiquis,
quàm uitam neglígere, quæ ut antea diximus, ſub Auicen
næ atq; eius Expoſitorum autoritate periclitatur. Hæc pro
culdubio illa eſt quam partim ſanguinariam ab effectu iam
dicto, partim capriolam uulgo appellamus, Plinius unam
ſpeciem graminis facit, & gramen uocat aculeatum, quo
niam ei in acumine aculei ſint plurimi, quos ut idem Pli
nius inquit, conuolutos naribus inſerunt, extrahuntq; ci
endi ſanguinis gratia. Quæ licet uerba ſcribat Plinius libro
XXV de ſecunda graminis, ut diximus, ſpecie,ipſam ni
hilominus libro XXI inter herbas aculeatas, ſub græca
appellatione coronopodis numerauit, neſciens, ut arbi
tror, eandem eſſe herbam quam Græci coronopoda, &
Romani gramen uocant aculeatum: quoniam ut in æra &
lolio, ægilope & auena, aparine & lappa, nuperrime au
tem in lyſimachio, & lutea manifeſtauimus, plurimarum
herbarum

herbarum, quas latinis nominibus nouerat Plinius, græcas nomenclaturas ignorauit: quam Plinius inscitiam etiam in isatide & glasto, elxine & conuoluolo, oxymirsine & ruscо, nardo gallica & saliunca, in altero nostro libello, de Plinij atque aliorum erroribus edito, demonstrauimus. Quia uero ex tam crebro, & in omnibus Plinij libris passim errore reperto, hæc inter me ac Plinij patronum disputatio habuit occasionem, quem tamen errorem hic se putauit unicacodicis emendatione, æram scilicet in herbam mutando fustu lisse, nunc mihi libet eidem Plinij patrono copiosius ostendere, quàm multas alias Pliniani codicis emendationes eũ oporteat excogitare, si errorem quem dixi, pro quo inter nos est orta dissensio, ex toto Plinij codice uelit extirpare: Neq; enim in herbis tantum, atq; omni plantarum natura, sed etiam in animalibus atque metallis hunc ipsum errorẽ Plinius admisisse frequentius deprehenditur, ut per singula genera summatim ostendemus.

ERRORES PLINII DE ANImalibus, & metallis.

PLINIVS libro XX marrubium nigrum scribit à Græcis prasion nominari, melius autẽ melan prasion scripsisset: quoniam prasion nomen est cõmune ad nigrum & album. Postmodum libro XXVII de eodem marrubio nigro sub ballotes nomine agit, nesciens tamen eandẽ herbam, quam Romani marrubiũ nigrũ appellabant, à Græcis ballotẽ nominari. Argumentũ inscitiæ, quod balloten alia nuncupatione porrum nigrum, & non marrubium nigrũ Plinius à Græcis uocari eodem loco testatur. De quo Plinij errore quo sæpius prasson, id est porrum pro prasio, id est marrubio scribit, nominum uicinitate deceptus, etiam in altero libello fecimus mentionem.

De

De atriplice Plinius multis scribit in locis, sed libro præcipue XX, ubi uires eius ac proprietates explanat, hoc tamen olus ex aureo colore dici à græcis χρυσολάχανον uidetur Plinius nesciuisse, cum libro postmodum XXVII agat de chrysolachano, tanquam de herba penitus ab atriplice differente, adeo ut huic contrarias omnino illis quas antea atriplici adscripserat uires assignet: Libro siquidem XX atriplicem morbos regios, ac pallorẽ facere ex Pythagoræ tradit autoritate. Postmodum libro XXVII de chrysolachano agens, ait fuisse aliquos qui hanc herbã dicerent alligatam regium morbum habentibus, ita ut spectari possit sanare id malum, ad quem pariter effectum de chrysolachani semine si bibatur Dioscorides autor grauissimus testificatur. Eandem uero herbam significari à Græcis nomine chrysolachani, & à Latinis atriplicis, præter Dioscoridis idem asseuerantis autoritatem, color etiam herbæ atriplicis aureum colorẽ repræsentantis, unde illi à Græcis inditum nomen chrysolachanũ, manifestissime indicant. Sambucum Plinius libro XXIIII inter arbores collocat, eius deniq; effectus in medicina præcipuos exponit, deinde eandem arbusculam libro XXVII sub acteæ nomine pingit, graui florum odore, caulibus asperis, geniculatis, semine nigro, ut hederæ baccas molibus, nascicq; opacis, asperis, & aquosis autumat: quæ omnia indicia sambucum demonstrant, cum etiam eandem acteã, sicuti sambuci radicem, ad interiores fœminarũ morbos dari Plinius præcipiat. Neque uero poterit illud Plinij patronus pro Plinio respondere, Pliniũ sub acteæ uocabulo ebulum intelligere, atque ita non de eadem planta, sed diuersis sub uarijs nominibus, altero græco, altero latino in locis tractasse differentibus. Non potest, inquam, hoc pro Plinio dicere, quoniã græci sambucum non acten, sed chamæacten potius, id est, terrestrem sambucum nominant. Et hæc

Sambucus.

Acten.

r quidem

quidem quantũ ad plantas attinet dicta sufficiant, quas Plinius uisus est non modo nomine, sed etiam natura putasse diuersas. Autor autem eius libri, qui Cornucopia inscribitur, miratur de Plinio, tantæ doctrinæ atq; autoritatis uiro, qui in genere animalium dasipodem à lepore diuersum fecerit, cum tamen, ut inquit, unũ idemq; animal sit. Miratur inquam, ut qui non animaduerterat, multos alios eiusdem autoris similes, etiam in alijs rebus, & non in lepore tantum errores: & multis argumẽtis conatur ostendere, dasipodem à lepore non esse differentem, tum ex ratione nominũ, tum ex hijs quæ de dasipode scribit Aristoteles lepori congruentibus, tum etiam ex cõmunibus græcis atque latinis, tam de dasipode, quàm etiam de lepore adagijs. Quæ omnia argumenta ego, qui ubi possum Plinij autoritatẽ perlubens defendo, possum ea ratione refellere, quod nihil impedit duo animalia proximi generis inueniri, quibus propter naturæ affinitatem eadẽ omnia, quæ ille autor adducit possunt conuenire, ueluti leporem atq; cuniculum, quem puto à græcis dasipodem nominari. Sed si huius erroris ita Plinius excusetur, alteri tamen sibi familiari omnino erit obnoxius, quoniam & de dasipode, & de cuniculo in suis libris faciat mentionem, qui tamen unum idemq; sunt animal, sicuti de caprea & de dorcade, de uespertilione atq; nycteride, siluro & glani, passere & pstitta, quæ animalia modo græce, modo latine nominat, neq; lectorem admonet eadem ne sint, an diuersa, ut planè uideatur ipse putasse, non eadem. Sicuti inter metalla argentũ uiuum ab hydrargyro diuersum esse existimasse Plinius planè conuincitur: nam cum libro XXXIIII argenti uiui naturam exposuisset, mox de hydrargyro suo se loco dicturũ pollicetur. Atqui omnes, qui etiam paucis græcantur, idem metallum significari apud græcos hydrargyri nomine, quod apud nos argenti uiui, minime ambigunt,

Dasipodem esse cuniculũ.

gunt, quando ea etiam, quæ de argenti uiui natura scribit Plinius, ut quod uenenũ omnium est rerum, ac omnia uasa exedat, atque perrumpat tabe dira, de hydrargyro pariter græci autores, ac præsertim Dioscorides tradunt, qui etiam idem propè artificium, quod Plinius conficiendi hydrargyrum ex minio docet: ne quis forte argentum uiuum esse natiuum, hadrargyrum uero factícium opinetur, atque ea ex causa Plinium in eis uarijs nominibus usum fuisse arbitretur: quoniam ut diximus, tam arte, quàm à natura factum, uno nomine à Græcis hydrargyros, sicuti á Latinis argentũ uiuum nuncupatur. Hos atque alios idem genus errores, hoc est similes illi, quem de æra ac lolio in altero nostro libello adscripsimus Plinio, si Plinij patronus sciuerit excusare, melius tamen quàm in sua fecerit præfatione, æram in herbã conuertendo, fatebor illum iure apud ciues suos posse gloriari, & corona ciuica meritum coronari, pro restituta suo ciui pristina dignitate. Alioquin ex sola super æra defensione sciat se de una tantum festuca triumphasse, si modo & de festuca triumphauit, quam nos male fuisse in herbam mutatam, multis antea rationibus aduersus Plinij patronũ demonstrauimus. Non multum absimilis, imò propè germanus hijs quos nuper tetigimus, est error Plinij in phalangio myrmecio, quẽ Hermolaus lapsu memoriæ contigisse opinatur. Nos uero eandem habuisse putamus occasionem quam & superiores, græcæ scilicet eruditionis in Pliniũ defectum, quo cum nesciret quid uerbũ myrmecion significaret apud Græcos, plura cũ oportuerit libro XXIX phalangiorũ genera enumerauerit. Nam quãuis IIII eiusdẽ libri capite ita scripsisset: phalangiũ est Italiæ ignotũ, et plurium generũ, unũ formicæ simile, sed multo minus ruffo capite, et reliqua: paucos tamen uersus infra, ueluti dicti prioris immemor, idem genus frustra repetijt, ita scribẽs: myrmecion formicæ

Argenti uiui natura.

Plinius græce non satis doctus fuit.

simili capite, aluo nigra, guttis distinguentibus. Non differre autẽ hoc à superiori, qui græcos autores, & præcipue Nicandrum atq; Galenum, & inter recentiores Actium, de generibus phalangiorum scribentes legerit minime dubitabit. Quod & medici, qui græca nesciunt, uel ex Auicenna potuerunt discere, qui libro IIII ubi de rutelis agit, Galenum, & quosdam alios citat autores de multis scribentes generibus rutelarum, & tamen de uno tantũ meminit, quod formicæ habeat similitudinem. Phalangion autem Græcis, & rutela Arabibus est id araneorum genus, quod uulgo tarantulam dicunt, ut multæ indicant proprietates, quas de phalangijs prisci autores tradiderunt, & nos quoq; nostro seculo in eisdem conspicimus, sicuti in terræ dehiscentis cauerniolis domicilio, & prolis numerositate, quæ parentes ubi emerserit enecat. Casus etiam qui hominem à tarantula tactum excipiunt, stuporem uidelicet, genuũ labefactationem, et totius corporis tremorẽ, nato uel inde prouerbio, ut homines qui in uno loco nequeunt consistere, dicamus à tarantula morsos: Vt alia non omnibus adeo nota signa præteream, quæ de phalangiorum ictu ueteres prodiderunt, & de tarantulis nostri temporis medici uera esse experientia magistra didicere, qui plura etiam quàm ueteres de huius reptilis natura animaduerterũt, ut quod hominem talibus afficit imaginationibus, qualibus ipsum inhærentem cum mordet inuenerit: Quo fit, ut si quis seregẽ esse cogitauerit, tunc cum mordetur seu icitur, post talem ictum in eadem cogitatione usq; perseueret, nec quis illi facile persuaserit, quamuis humilis cõditionis homini, quod regia dignitate nõ potiatur. Equidem miror Plinĩ de hoc animali, cuius ictus tam uarie hominem afficit, quod suis temporibus fuerit Italiæ ignotum prodidisse, nisi quispiam suspicetur fuisse homines sequentibus annis adeo maleficos, qui uenenum istud peregre aduectum

Phalangion.
Tarantula.
Rutela.

A Tarantula morsus.

uectum in Apuliæ campis tanquã frumentũ seminare studuerint. Verum, ut rem istam magis errori Plinij, quàm hominum tribuã malignitati, mouent unus aut duo huic ferè germani errores Pliniani, qui sui de naturali historia libri uolumine XXVI, statim circa initia Lichenas morbum, ut ipse ait, grauissimum, non Italiæ modo, uerumetiam uniuersæ propè Europæ incognitũ fuisse scribat æuo priore, cum tamen Hippocrates, autor Plinio uetustior, & in Græcia natus, Europæ parte nõ parua, in suis libris, & præcipue in eo qui inscribitur Aphorismi, crebrã faciat de lichenibus mentionem: quod non feciſſet, si eius ætate totius ferè Europæ hic morbus fuisset incognitus, quem nos putamus, ut in libro nostro de morbo gallico scripsimus, etiam ante Tiberij Claudij Cæsaris principatum, Italiæ fuisse cognitum, licet non multis, quia carebat nomine, donec medici Græci, qui urbem Romanam frequentare cœperunt, eundem morbũ suæ linguæ uocabulo lichenas nominantes, fecere illustriorem, sicuti ijdem Græci dolorem intestini laxioris primi colicum, quo nomine nunc quoq; utimur uocitantes, fuere in causa, ut Tiberius etiam princeps primus id malum in Italia sensisse à Plinio scribatur. Idem puto in phalangio contigisse, huius scilicet uocabuli significatũ potius Plinij ætate fuisse Italiæ ignotum, quàm uenenum, siue reptile uenenatum: Nam & hoc ipsum magis quàm aliud suspicandi plurimã mihi dedit occasionem quorundam ætatis nostræ, uel qui paulo ante hanc uiguerunt insciti medicorũ, quæ me aliquando derisui fecit obnoxium. Nam cum sermo haberetur inter medicos, è quorum numero ego quoq; unus eram, licet tunc essem cæteris iunior, atq; ideo minoris autoritatis, coram uiro grauissimo atq; eodem potentissimo, qui à pueritia in aula Alphonsi illustrissimi regis Aragonum fuerat educatus. Cum, inquam, sermo incidisset de reptili uenenato,

nenato, quod Apuliam maxime infestat, uulgo tarantula nominato, cunctis alijs qui aderant medicis senioribus adseuerantibus, nullam fieri de hoc animali apud ueteres mentionem, me autem uno contradicente, atq; id à Græcis priscis phalangion nominari contendente, ab arabicis autoribus rutellam, uisus sum penè delirare, palàm uiro quem dixi, rerum fortunæq; potente, corã quo hæc disputatio agebatur, contra me ferente sententiam: quoniam se suis auribus dicebat audisse, medicos quoq; Alphonsi regis Aragonum asserentes, antiquos medicos nihil in suis libris de tarantula scriptum reliquisse. Quæ sanè assertio medicorum multo plus habet erroris quàm Pliniana: Siquidem hæc Italiæ tantum, illa uero omnibus terris superiori ætate tarantulam facit incognitam: alioqui de ea sub uocabulo aliquo uel græco, uel barbaro mentio apud priscos haberetur, quã tamen illi fuisse habitam uisi sunt omnino pernegasse. Quidam uero medici etiam ex recentioribus, qui de uenenis suos tractatus inscriptos reliquerũt, de rutellis, phalangijs, ac præterea tarantulis meminere: uerum tarantulas non ad Caput De rutellis, sed potius De scorpionibus referũt. Vnũ tamen scorpionum genus, quod tertium numero ponunt, etiam tarantulam à Rasi uocari testantes, ab Auicenna uero sebel, uel sebegi. At, ut dixi, quæ hodie tarantula nominatur, apud Græcos phalangij, apud Arabes rutellæ nomine celebratur: argumento, quod omnia ferè quæ Græci de phalangijs, eadem scribat Auicenna de rutellis, Galenum insuper citans de speciebus rutellarum scribentẽ, quæ idem autor scripserit de generibus phalangiorum. Sed ad Plinijũ reuertamur, à quo libenter ad medicos celebres facimus digressionem, ut eius errores multo leuiores aliorum comparatione faciamus: nisi quod & huic Plinij in phalangio errori, quẽ supra tetigimus, alter sanè grauior annecti potest, quo

quo uidetur ipsemet à seipso in suis scriptis dissentire Plinius: Siquidem libro XI tractans de generibus araneorum, inter quæ primum phalangia connumerat, superuacuã tamen eorum censet commemorationẽ, ob magnam illorum ut inquit, notitiam, ut uideatur pariter Plinius eius quod dixerat libro XI oblitus, postmodum libro XXIX phalangia Italiæ ignota scripsisse. Dicet fortassis quispiam ea phalangia, quæ hoc in libro scribit Plinius esse Italiæ ignota, diuersa ab illis, quæ libro XI ponit inter genera araneorum. At hoc commentum tum omnibus aduersatur autoribus, qui de omnimoda phalangiorum uarietate scripserunt, tum præsertim est ipsi Plinio contrarium, qui id genus phalangiorum, quod à similitudine formicarum græce myrmecion nominatur, & inter alia Italiæ ignota libro XXIX numerauit, & inter araneorum genera libro eodem pariter collocauit. Aeque Aristoteles libro de historia animaliũ VIII araneorũ & phalangiorũ genera una diuisione partitur, ut non possint hæc esse uulgaris notitiæ, atq; ob id nec dictu necessaria, si Italiæ fuerit phalangiorum genus, quemadmodum libro allegato Plinius scribit, ignotum. Sed iam herbis reptilibusq; relictis uenio ad alteram disputationẽ, quæ etsi de nominibus esse uideatur, ad duas tamen medicinæ attinet partes, quarum altera anatomice, altera pathognomice à Græcis nominatur: In quibus optarem Hermolaum ita sicuti in altera, quæ herbarum doctrinam continet, fuisse exercitatum. Non tamen mihi eadem deerit pro amplissimo uiro excusatio, qua etiam Plinium aliquando circa herbas errantẽ excusauimus, minus mirũ uideri debere dicẽtes, Plinijũ, uirum in reip: Romanæ administratione occupatissimũ, illa ignorasse, in qbus etiã Auicenna, qui medicinæ princeps ætatis nostræ medicis fuisse uideatur, non parũ errasse deprehenditur: Cur enim non possim Hermolaũ, non minorem

norem dum uixit in republica Veneta uirum, quæ ferè Romanam magnitudinẽ æquauit, simili ratione, in aliena præsertim professione defendere? sicubi in hijs quæ ad medicinam attinẽt, uel falsò putasse aliquid, uel inepte alios errantes excusasse à Plinij patrono reprehenditur, ueluti in epigloſſe, arteria, & gula, & in lactibus, in quibus Theodorum Gazam conatur protegere Hermolaus, in argemis & albuginibus, in strumis & pluribus alijs: quæ licet & ipsa uideantur ad artem medicam pertinere, quia tamen quæstio est magis de nominibus, quàm de rebus ipsis, ueluti quæ sint curæ minutioris, à me indefensa cõsultò relinquentur. Cur uero in epigloſſe, arteria & gula, putet Plinij patronus errasse Hermolaum non intelligo: quoniam de hijs neq; in Plinianis castigationibus, neque in gloſſematis ad Alexandrum Pontificem, quicquã ab eo reperi scriptum: nisi forte Plinij patronus Hermolaum culpat, tanquam indiligentem Pliniani codicis castigatorẽ, quod locum illum libri XI, capite XXVII, ubi Plinius inter alias humani corporis partes de epigloſſi, arteria ac gula facit mentionẽ, inemendatũ reliquit, quẽ Plinij patronus putet se recte emendauisse, ita scribendo: Sub ea minor lingua, quæ nulli ouagenerantium, opera eius gemina duabus interpositæ fistulis: Interior earum appellatur arteria, ad pulmonem atque cor pertinens, hanc operit in epulando epigloſſis spiritu, ac uoce illac meante, ne si cibus ac potus in alienam deerraueritramitem torqueat. Altera exterior est, appellatur sanè gula, qua cibus atq; potus deuoratur: Tendit hæc ad stomachum, inde ad uentrem. Sic quidem legendo uerba codicis putat Plinij patronus uerum sensum Plinio restituisse: neq; uidet quantum adhuc ipsa uerba ita correcta errorem contineant. Vt enim illud taceam, quod etiam in æra ac lolio Plinij errori tribuimus, non decere Plinium, hominem latinissimũ in eodem penè uersu eandem rem modo latine, modo græce nominare. Alterum in hijs habetur erratum, & quidem maximũ, quod etiam Plinij patronus in sua Anatomice posuit, adeóque nullum ipse habet excusationis locum in eo errore, cui nõ modo in Plinij emendatione uisus est consentire, sed præterea etiam in suo opere proprio confirmauerit, in quo pariter ad Plinij, uel Pliniani codicis male à se emendati imitationem, ex duabus fistulis arteriam quidem ad cor atq; pulmonem pertinentem posuit interiorem, gulam uero qua cibus & potus deuoratur exteriorem, contra naturæ positum, qui uiam uocis, ac spiritus fecit exteriorem, cibi autem ac potus interiorẽ: Quæ res etiam in homine uiuo citra dissectionem potest dignosci, primo se gutture, unde uox halitusq; procedit, in parte anteriore colli repræsentate. Hoc autem guttur Plinij patronũ non modo in emendatione Pliniana, sed etiam in sua Anatomice posuisse in parte posteriori indicant ipsius uerba libro tertio, capite octauo eius operis in hũc modum scripta: Binæ ab oris faucibus cannaliculæ coëunt, quarum altera breuior, interiorq; est, tracheam arteriã uel pharynga Græci, Latini guttur uel spiritalem fistulam appellant. Altera uero longior, exteriorq; est, isophagum Græci & stomachũ, Latini gulam, & cibalem fistulã uocant. In quibus uerbis plura sunt errata, sed grauius ex illis primo persequemur, in quo Plinij patronus sibi contradicit: Nam libro & capite dictis gulam ponit in parte colli anteriore, alioqui non esset exterior, tracheæ arteriæ interiori collata, nisi forte id quod posterius est, & dorso proximius, putet exterius: quod uero prius & respicit pectus uelit interius appellare: qua appellatione nulla esse potest absurdior, postmodum libro eodem capite XVII de gula ita scribit: Et nunc gulæ ratio reddenda est, quæ post tracheã arteriam posteriorẽ locum tenet. Ex quo dicto

sequitur tracheam arteriam gulæ comparatione esse exterio rem, & consequio anteriorem, quam tamen in Plinij emen datione fecit anteriorem, atq; ideo posteriorem. Quo fit, ut eadem colli pars, siue trachea arteria, siue gula, positum ha beat interiorem & exteriorem, posteriorem & anteriorem. Verum hæc contradictio, non in diuersis capitibus tantum, sed in uno etiam, scilicet VIII eiusdem libri apparet: nam circa eius capitis finem scribit Plinij patronus hæc uerba, de
» trachea loquẽs arteria: Ante gulam posita est, quia cor in
» priore parte collocatum est. Quãuis autem eadem contradi ctio in uerbis Plinij libro XI à Plinij potrono emendatis non appareat, nõ tamen & ille error sit minimus, quin meo iudicio maximus, si parte quidem colli priore cibum & po tum deuorari, posteriore autem spiritũ, ac uocem cõmeare Plinius existimauerit, ut sanè eum existimasse fateri sit ne cessariũ, nisi eadem uerba aliter quàm à Plinij patrono casti gentur. Quare nos qui ubi possumus errorũ culpam, qui in Plinianis codicibus uel impressis, uel manu scriptis inueni untur, in impressores atq; librarios, et male Pliniũ emendan tes, potius reijciendam quàm ipsi autori adscribendã iudica mus, totũ hunc Plinij locum, de cuius ueritate disputamus,
» ita scribendũ existimamus. Sub ea minor lingua epiglos
» sis appellata, opera eius gemina duabus interposita fistulis,
» exterior earũ arteria ad pulmonem atq; cor pertinens, hanc
» operit in epulando, ne spiritu ac uoce illac meante, si cibus
» ac potus in alienum deerrauerit tramitem torqueat. Altera
» interior est, appellatur sanè gula, qua cibus atq; potus deuo
» ratur, tendit hæc ad stomachũ, & reliqua. Sic quidem uer ba Plinij legendo ille error euitatur, quem Plinio quispiam merito posset obijcere, modo linguam minorem, modo epi glossin eandem gutturis partem nominanti: nam in nostra emendatione, in qua post ea uerba, lingua minor, statim illa alia

alia epiglossis appellata subijcimus, nõ est affectatio græci tatis, sed declaratio quomodo uno uocabulo lingua minor à Græcis nominetur: declaratio inquã, non solum apud Pli nium, sed etiam alios autores latinos sæpe usitata. Ac præte rea de medio tollitur alter grauissimus error, quo tracheam arteriam habere in collo positum posteriorem ipsum putas se Plinium possemus iudicare, si ut male emendati codicis uerba præseferunt, hanc quidem scripsisset interiorem, gu lam uero exteriorem. Nostra quoq; emendatio alterã amo uet Plinij uerbis contradictionem, diuersam ab illa quã Pli nij patrono paulo ante obiectauimus. Nam si, ne, particula prohibitiua præponatur uerbis illis, si potus, ut in sua emen datione præponit Plinij patronus, & non prioribus, ita le gendo, ut nos legendum ducimus: ne si spiritu ac uoce illac meante, illud sequetur absurdum, tracheam eodem mo mento temporis opertam esse & apertam, si quidem in epu lando operitur, spiritu uero ac uoce meante aperitur: nam ea operta à minore lingua, neque uox, neq; spiritus per eam potest meare. Hanc autem emendationem nostram codicis hoc in loco Plinianí mire cõfirmat autor eius libri, qui Cor nucopia inscribitur, uir non modo uocabulorum sed pluri marum etiam rerum, id quod sui indicat libri titulus, cogni tione præclarus, Plinij uero præcipuus imitator, adeo ut ui deri possit multis in locis eius paraphrastes, de eisdem re
» bus, de quibus Plinius in hunc modum scripsit: Arteria
» est quæ ad pulmonem ducit, tegiturq; epiglosse, quam &
» minorem linguam uocant, ne si potus, cibusue in epulan
» do uoce meante in alienum deuiauerit tramitem torqueat,
» & hæc exterior est, gula uero interior, qua cibus atque po
» tus deuoratur, tendit hæc ad stomachum, inde ad uentrem.
Vidit homo eruditus se, si tracheam arteriam interiorem, gu lam uero poneret exteriorem, facturũ ex homine monstrũ:

Perottus Pli nij paraphra stes multis lo cis est.

si etiam,ne,aduerbium prohibendi eodem quo Plinij patro nus ordine collocaret,acturum rem nihilominus impossibi lem, homines scilicet tecta ab epiglossi uia, quæ ad pulmo nem ducit loquentes. Huius uero rei impossibilitatē sciunt medici docti, uel etiam philosophi, qui quomodo animal uocem emittat non ignorant. Sic quidem ego,& autor Cor nucopiæ Plinium à tam crassis erroribus,quibus eum fecit obnoxiū Plinij patronus, liberauimus. Vtinam tam facile multa alia in eodem libro,atq; eodem capite,errata ita posse mus emendare,ut culpa magis in librarios, quàm in ipsum autorem referreretur. Quia uero nos ingenue fatemur hoc nescire facere,& plura eorum ad anatomicen, tum humani corporis, tum reliquorū animalium pertinent,libuit Plinij patroni,hominis nō raro in sua se anatomice iactantis, inge nium experiri,si sciat ipse Pliniū,quē in suam clientelā rece pit,etiā in istis quæ à nobis notabunt̄,ppugnare. Erunt autē ex eodem libro XI, atq; eodem capite XXXVII, in qui bus Plinius de arteria,epiglosse et gula uerba facit,excerpti: ne quis forte suspicetur nos uelle expaciari, ex uarijs Plinij libris plures huius autoris errores sedulo perquirētes, quos possimus alios super alios coadceruare. Quod si etiā facere studuissemus, non malo animo erga Plinium id egissemus, sed bono potius, ut Plinij patronū ad alias Pliniani codicis emendationes, quæ magis autorem ipsum ab erroribus uin dicarent excogitandas incitaremus. Verum hij in præsentia sufficient, ex quibus prudens lector dijudicabit, quantum Plinij patrono laboris parare potuissemus, si non in unum unius libri caput, sed in plura multorū librorum inquirere, & nihil intactum,aut indiscussum relinquere uoluissemus. Primum quod in capite libri XI, XXXVII, nunc exami nando nota dignum nobis occurrit,est Plinij uerborum re pugnantia, error non paruus à doctis iudicādus:Nam cum de corni-

de cornibus loquitur animalium, mobilia hæc ut aures in Phrygiæ armentis ait,deinde paucos post uersus itade ijsdē
» cornibus scribit: Cæterorum ossibus adhærent,ceruorum
» tantum cutibus enascuntur. Sed Plinij patronus pro Pli nio respondeat, quo pacto in Phrygiæ armentis cornua au rium habebunt mobilitatem,nisi &in hijs quemadmodum in ceruis è cutibus enascantur: neq; enim ex carne cuti sub iecta ortum habere possunt: quoniam, ut autor est Aristo teles libro de historia animalium tertio,cutis caput nulla car ne interposita tegit. Quare reliquum est, ut ex ossibus ca pitis oriantur, ac propter originis continuitatē soliditatēq; eandem cum ipsis seruent immobilitatem. Si igitur ceruis tantummodo è cutibus cornua nascuntur, ut uidetur senti re Plinius, solis hijs, non autē Phrygiæ armentis,erunt mo bilia ut aures. Aristoteles sanè libro de historia animalium tertio, cornua cuti potius quàm ossibus adhærere eo probat argumento: quoniā & in Phrygia, & alibi boues sunt qui cornua perinde ut auriculas moueant. Quo etiam in loco ostendit ceruorum cornua non eo differre à cæteris, quoniā in ipsis è cutibus enascuntur,in alijs uero cornigeris ex ossi bus capitis, sed ob id potius, quod cornua parte plurima ca ua sint ab radice, quatenus ambiūt os, quod ortum à capite cauo cornu inseritur,totūq; implet,in mucronē tamen soli dum exeunt,& simplici parte extrema constant, ceruis tan tummodo tota solida,& expassa in ramos:Partē enim cor nuum cauam in cæteris animalibus è cute nasci libro secun do de historia animalium manifeste docuerat,ac boū exem plo confirmauerat. Eandem cornuum naturam,&per gene ra animalium differentiam Aristoteles repetit libro de par
» tibus animalium tertio hijs uerbis: Ceruis duntaxat tota
» cornua solida ac decidua, tum utilitatis causa, tum ut onere
» leuētur,tum ex necessitate præ pondere cæteris aliquatenus

» caua, & in mucronem demum concreta sunt, quoniam ad
» ictus hoc sit commodius. Sed ne pars caua inutilis, qua cu
» ti annectitur, solidum quoddam ossibus exortũ ingreditur
» eam impletq; totam: sic enim sita compactaq; ad uim infe-
» rendam commodissima. Iam ex hijs uerbis, & alijs paulo supra ex libris Aristotelis de historia animalium recitatis facile apparet, tam cæterorum animalium, quàm etiam ceruorum cornua, cuti potius quàm ossibus adhærere, in reliquis tamen animalibus, ne pars caua qua cuti ab radice annectitur debilis sit, solido quodam ex ossibus orto eandem cauitatem impleri. Eatenus igitur cæterorũ cornua ossibus adhæresc unt, quatenus substantiã quandam solidam, siue os sit, siue ex osse orta, sua ambiunt cauitate, eandem tamen cum cornibus ceruorũ è cute capitis habent originem, alioquin Phrygiæ bobus, uel ut Plinius inquit armentis, non essent cornua ut aures mobilia. Similis etiam contradictionis eodem in loco, ubi agit de cornibus animalium Plinius conuincitur: Fatetur enim ceruas non habere dentes superiores, sicuti neque mares, & tamen carere cornibus: Ac non multo post inferius ait, solos camelos ex hijs quæ non sunt cornigera in superiore maxilla non habere priores dentes. In hac igitur natura & ceruæ fœminæ, & cameli communicabunt, qui neque cornua, neq; dentes habebunt superiores, priores scilicet: Hos enim inesse cornigeris libro de partibus animalium tertio negat Aristoteles, ubi ita scri
» bit: Cornigerorum nullum utrinq; dentatum est: super-
» ne enim primores dentes non habent, quippe cum hos adi
» mendo hoc addiderit cornibus. Cur uero ceruæ, cũ sicuti mares superne primoribus dentibus careant, cornua tamen non habeant, causam eo in loco subiungit Aristoteles, sicuti & de camelis, qui similiter utrinq; dentati non sunt, hoc est, prioribus in superiori maxilla dentibus uacant, ut scribit

bit idem Aristoteles libro de historia animalium secundo: Mox secundo libro de partibus animalium generalem quandam attulit rationem. Non igitur soli cameli ex hijs quæ non sunt cornigera erunt altera tantum parte dentati, quando & ceruæ non sunt cornigeræ, & dentibus æque carent superioribus. Quod si quis Plinium dixerit de maribus, non autem de fœminis intelligere, atque ideo solos camelos excipere, meminerit is tam fœminini, quàm etiam masculini sexus, multa animalia uacare cornibus, atque ideo Plinium, quamuis soli cameli scripserit, sub ea tamen exceptione etiam camelorum fœminas comprehendisse: quando, ut grammatici inquiunt, masculinum genus concipit fœmininum: quando etiam sub non cornigeris tam fœminæ quam mares continentur, ut qui alterum genus excipit, alterum debeat excipere. Idcirco autem Plinius dicit ex hijs quæ non sunt cornigera, non autem ex hijs qui non sunt cornigeri, ut se utranque complecti naturam uerbo neutri generis significaret: tam fœminarum non habentium cornua, quales sunt & ceruorum & camelorum, quos solos Plinius scribit ex hijs quæ non sunt cornigera non habere dentes: oblitus, ut uidetur, eorum quæ antea de ceruis fœminis differuerat, dum earum argumento Aristotelem, causam afferentem cur nullum cornigerorum utrinque dentatum sit, quod superiores quibus carent dentes in cornua absumantur, refellere non dubitauit. Qui putant, inquiens, eos scilicet dentes maxillæ superioris primores, de hijs enim loquebatur, in cornua absumi, facile coarguuntur ceruarum natura, quæ neque dentes habent, ut neq; mares, neq; tamen cornua. Plinio autẽ decuit de philosophorũ principe saniora sentire, neq; ipsum tam facile posse coargui pronuntiare, in re præsertim de qua ipsemet sibi Aristoteles obijcit, & solutione satisfacit, libro scili

cet

„ cet ſecundo de partibus animalium, ubi ita ſcribit: Cur
„ ceruæ cornibus careant, cum dentes ſimiliter habeant atq;
„ mares, cauſa eſt, quod eadem ſexus utriuſq; natura & cor-
„ nigera eſt, ſed fœminis adempta ſunt cornua, quoniam ne
„ maribus quidem utilia ſunt, ſed uirium meliorũ beneficio
„ mares minus offenduntur. Quæ quidem Ariſtotelis uer
ba aut Plinius non uidit, aut ſe uidiſſe diſſimulauit, ne ſicuti
Ariſtotelem ſe facile coarguiſſe uideri uolebat, ita etiam fa
cile ſummum philoſophum defendi poſſe, ex ipſius, & nõ
alterius uerbis fieret legentibus manifeſtum. Eligat ergo
hoc in loco Plinij patronus, utram Plinio malit adſcribere:
an indiligentiam, qui omnes Ariſtotelis de natura animaliũ
non legerit libros: an iniquitatem, qui eum quem ſe in hiſto
ria animalium referenda fatetur habuiſſe præceptorem, indi
cta cauſa damnare ſtuduerit, atq; argumento ceruarum con
uictum pronuntiauerit, non confutata illa, quam ipſe Ari-
ſtoteles ſuper eiſdem ceruis attulerat, ſi quis forte eas uo-
luiſſet obijcere, ut ſanè Plinius obijcit, ratione. Scribit præ-
terea Plinius in eadẽ libri & capitis parte, biſulcis bina eſſe
cornua: Quod dictum ſi uniuerſaliter accipiatur, non erit o-
mnino uerum: quoniam ſues ſunt de genere biſulcorum, et
tamen cornua non habent. Quare rectius Ariſtoteles ita
de eiſdem animalibus ſcripſit: Cornigerorum pars maxima
biſulca: Neque etiam biſulca omnia, ſi cornigera ſint, bina
habent cornua: Nam oryx, quod etiam Plinius fatetur in
ſequentibus, biſulcum animal eſt, & tamen unicorne. Hoc
ergo in loco, ubi inquit naturam biſulcis bina cornua tri-
buiſſe, orycem excipere oportuit, qui uno tantum armatus
eſt cornu, ſicuti in eodem penè uerſu aſinum Indicum exce
perat, qui ſolus inter ſolipedes eſt unicornis. Proximus
eſt à cornibus ad pilos tranſitus, quorum defluuium in mu
liere rarum, in ſpadonibus non uiſum Plinius ſcribit, nec

in uno

in uno alio ante ueneris uſum. Atqui mulieribus & pueris
etiam ante ueneris uſum, & propterea etiam ſpadonibus fre
quenter capilli defluunt. Quod ſi Plinius de eo defluuio pi
lorum ſeu capillorum intelligit, quod uniuerſim fit, quod
propriè caluiciũ nominatur, ut autor eſt Ariſtoteles quinto
de generatione animaliũ, mirum eſt cur Plinius caluicium
rarum eſſe in mulieribus dicat, atque in ſpadonibus minime
uiſum, ſicuti neque ante ueneris uſum. Cur par ratio ſit de
omnibus, ut Ariſtoteles etiam loco antea allato declarat his
„ uerbis: Mulieres non caluent, quoniã natura earum ſimi
„ lis puerorũ naturæ, utraq; enim ſterilis ſeminalis excremen-
„ ti: ſpadones etiam non caluescunt, quoniã in fœminam mu
„ tantur, & pilos qui poſtea gignuntur, aut non producunt,
„ aut amittunt. Si igitur ratio Ariſtotelis aliquid ualet, caluí-
cium in mulieribus, pueris atq; ſpadonibus æque aut rarum,
aut nullum. Sed libro de hiſtoria animalium tertio idem Ari
ſtoteles apertũ eſſe inquit, mulieres & pueros & ſpadones
caluicij eſſe immunes. De ſtruthiocamelis etiã Plinius ſcri
bit, quod alitum ſola, ut homo, utrinque palpebras habet,
quaſi ſtruthiocamelus uera ſit ales, & nõ ambiguí inter qua-
drupedes atq; alites generis: nam ſi ales eſſet, in ſublime uo
laret, aut pennas ad uolandum cõmodas haberet: & ſi qua-
drupes eſſet, pennas non haberet ſed pilos, ut quadrupedes
tamen pilos ſanè habet in gena ſuperiori, ut ſentit Ariſtote-
les libro IIII de partibus animaliũ, qui de palpebra genæ
inferioris in ſtruthiocamelo nec unum facit uerbũ, quoniã
neque ut auis eam habet, neque ut quadrupes. Et ſanè pal-
pebra genæ ſuperioris in hoc animali plures habet pilos uiſu
conſpicuos: In gena autem inferiori ſunt adeo exigui, & nu
mero & magnitudine, ut uix hæc palpebra uideatur. Quare
ut puto de ea nullum Ariſtoteles habuit mentionem. Verũ
hic error Plinij ſtruthiocamelũ alitibus annumerantis, quẽ-

t tamen

tamen Aristoteles ancipiti censuit esse natura, neque magis alitem referre quàm quadrupedem, imò forte magis quadrupedem, quia de palpebra eius loquitur superiore, quam ut quadrupes habeat: hic, in quã, error, si error sit nominandus, facile Plinio cõdonari potest, cũ aliud sit grauius apud Aristotelem ipsum de eisdem palpebris siue cilijs animaliũ erratum, in quibus idem Aristoteles sibi ipsi uidetur repugnare: nam libro II de partibus animalium, Theodoro
» Gaza interprete, scribit hæc uerba: Et inter omnia quæ pi
» los habent homo unus cilium in utraque palpebra habet.
Contrarium scribit hic autor libro II de historia animaliũ
» hijs uerbis: Cilium etiã cum cæteræ quadrupedes non in
» utraq; palpebra habeant, simiæ habent, quanquã prætenue,
» atque prolixius, potissimũ in inferiore. Cum ergo simiæ habeant in reliquo corpore pilos, & etiã in utraque palpebra, ut scribit hoc loco Aristoteles, postmodum cum alibi, secundo scilicet de partibus animaliũ, pariter scribat, inter omnia quæ pilos habẽt solum hominem cilium in utraq; palpebra habere, ipse sibi ipsi aperte contradicit. Hanc in uerbis Aristotelis contradictionem soluat græcus grammatista, salua Theodori Gazæ interpretatione; aut si non potest hoc facere, me æquo animo patiatur aliquando ab eadem interpretatione dissidere, ut uerum sensum Aristoteli philosophorũ principi restituã, neque tam moleste ferat sicubi scripserim, bonum quandoq; Theodorum in suis translationibus dormitare, quando eadem uerba de Homero poëtarũ antistite scripsit Horatius, & tamen à doctis omnibus toleratur. Quis maiora uel meliora de Plinio sentit, quàm Hermolaus; cuius existimationẽ nullo modo conuelli posse fatetur, & quibus ille non sapit, planè indoctos habendos censet: In suo tamen Plinianarũ castigationum opere, in cuius præfatione ea uerba de Plinio scribit, eundem Pliniũ crebro dicit hallucinari.

cinari. Quoties in eodem opere taxat Theodorũ male quædam uerba græca latine interpretantem? quem tamen alibi omnibus præfert interpretibus, quem unum cum uetustate ipsa certasse sibi uisum esse pronuntiat, quem sibi colendũ atque imitandum proponit, à cuius scriptis se nõ parum adiutum fatetur & prædicat. Ego quoque etsi idem de Aristotele statuam, quod & diuus Hieronymus, fuisse ipsum prodigium grande, atque miraculum in tota natura, cui penè uideatur infusum quicquid humanum ingenium naturaliter capere potest, tantum tamen abest, ut credam eum nõ fuisse hominem, ac nullo modo labi atq; errare potuisse, ut plures eius sentẽtias, ueluti de proportione elementorũ, de circulo lacteo, de iride, de numero corporũ replentium locum, quæ regularia nominãt, sciam posse linealibus demonstrationibus improbari, quemadmodũ meipsum contra Auerroim ex Aristotelis opinione libro III de cœlo sentientem, duo talia corpora replere locum, pyramidem & cubum, unum tantũ esse quod possit hoc facere cubũ, uidelicet mathematicis rationibus, quibus nullæ possunt esse firmiores, opere ad id dicato arbitror demonstrasse. Sed hæc obiter dicta sint contra grammatistas, tam Latinos quàm Græcos, quorum alteri Plinium, alteri Theodorũ deos ex hominibus facere studuerũt, in quorũ sententiam Plinij patronum medicum grauem atque philosophum, miror tam facile fuisse prolapsum, à qua ipsum uolentes dimouere, reliqua ad eandẽ materiam pertinentia Plinij errata prosequemur. Eidem enim animali struthiocamelo, de quo antea disputauimus, Plinius etiã alium homini tantũ peculiarem adscribit adfectum, cum quædã animalia, uti struthiocamelũ, naturaliter caluere refert. Aristoteles uero libro V de generatione animalium solum hominẽ ex omnibus animalibus caluere asserit. Nam generalem illã passionem, qua uel uolucribus pennæ,

uel arboribus frondes defluunt, hoc defrondescere, illud depennescere, non autem caluescere dicitur. Vnde & de simili struthiocameli affectu libro IIII de partibus animaliũ uerba faciens Aristoteles, ipsum capite & parte colli superiore glabrum, nõ autem caluum esse significauit: Quia uero calui cium est capitis uitium, iam ad cerebrum quod in capite continetur ueniamus, de quo paulo infra Plinius scribit in
» hunc modum: Cerebrum habent omnia animalia quæ
» sanguinem, æque & in mari quæ mollia appellauimus, ut
» polypi. Aristoteles uero de quo hanc omnem de partibus animalium historiam, licet non satis fideliter aliquando Plinius transtulit, non cerebrum, sed aliquid proportionale cerebro, polypo & reliquis carentibus sanguine tribuit. Hæc enim sunt eiusdem autoris libro de partibus animalium secundo uerba:
» Cum autem omnia contrarium momentũ
» requirant, quo contrarietatem ac medium assequuntur, in
» hoc enim essentia ratioq; consistit, non in alterutro extremo
» seorsim posito. Idcirco aduersus cordis sedem & calorem
» cerebrũ natura molita est, & propterea pars ista animalibus
» iuncta est, naturam obtinens aquæ ac terræ cõmunem, atq;
» ob eam rem cerebrum omnia prædita sanguine habent, ex
» cæteris nullum ferè nisi per proportionem, ut polypus: parũ
» enim caloris obtinet omne id genus propter sanguinis pri-
» uationem. Cerebrum igitur calorem feruoremq; cordis moderatur, ac temperiẽ. Ex hijs Aristotelis uerbis facile constat mollia, ut polypos, qui in mari sunt, quoniam careant sanguine, atque ideo feruore cordis, non habere cerebrum. Alioqui superuacuum aliquod in ipsis natura molita esset, quod ab omnibus philosophantibus putatur absurdum. Plurimũ autem refert dicere alicui exanguium inesse cerebrum, uel aliquid proportionale, sicuti piscibus ossa uel spinas, quæ autore Aristotele ossibus proportionantur, unde & Plinius

& Plinius ipse hoc eodem capite inferius ait delphinos habere ossa, non spinas: & causam subinfert, quoniam animal pariunt: Quasi necesse sit omnia quæ animal pariunt constare ossibus. Atqui multi pisces cartilaginei generis, ut etiã Plinius ipse libro nono unà cum Aristotele sentit, animal pariunt, & tamen ossibus carent, ut paulo post in hoc ipso capite Plinius subiungit, uitulos marinos habere cartilaginem, non ossa, quos tamen constat æque atque delphinos animal generare. Quanquam uero eandem etiam causam quam Plinius, Aristoteles afferat libro secundo de partibus animaliũ, cur delphini non spinis sed ossibus constent, quia uidelicet sunt de genere uiuiparorũ. Statim tamen subiungit rationem, cur cartilaginea omnia spinam ex cartilagine habent, quia uidelicet motus eorum mollior est. Itaque fulcinenti genus non rigidũ, sed molle esse oportuerit: quã etiam rationem oportuit afferre Plinium, ne uideretur sibi ipsi sine ulla excusatione contradicere, ut planè etiam libro octauo contradicit, ubi scribit ex pilo carentibus delphinos tantum ac uiperas animal generare, & tamen cartilaginei generis pisces, qui & ipsi pilis non integuntur, illud facere Plinius æque atq; Aristoteles, ut nuper diximus, arbitratur. Sed ne à proposito ordine discedamus, redeamus ad cerebrum, quo quæ carent animalia creduntur à Plinio nõ dormire. Multa tamen sunt, ut scribit Aristoteles libro de partibus animalium, quæ non habent cerebrum, & nihilominus dormiunt, quia proportionale suppetit. Idem Plinius doceri ab eruditis inquit, cerebrum aliud esse quàm medullam, quoniam coquendo durescit. Aristoteles uero eruditissimorum eruditissimus, hac ratione utitur ad probandum cerebri naturam esse aquæ ac terræ communem, ex quo demum quispiam probauerit, differre cerebrum à medulla, cuius natura sit ignis aëris q; communis, quod eius pinguedo

atque assungia indicant. Venam etiam ab oculis pertingere ad cerebrum à peritissimis tradi autoribus Plinius inquit, quod non est à uero alienũ, cum partim nerui qui uim sentiendi oculis inuehunt, partim uenæ quæ alimentum afferunt, ad eosdem perueniant. Quod uero etiam Plinius ait credere se ad stomachum pariter uenam ab oculis deriuare, argumento, quod nulli eruatur oculus sine stomachi redundatione, hoc eum potius qui est inter utrunq; membrum cum cerebro per neruos ab eodem cerebro prodeũtes patiendi consensum, quem Græci uno uocabulo sympathiam uocant, quàm aliud quicquam testificatur. Quia uero de oculorũ struthiocameli palpebris antea fecimus mentionem, iam series proposita exigit, ut reliqua circa eandem particulam Plinij errata aperiamus: atque ut hæc omnia liquidius appareant, quid per palpebras, quidũe per genas Plinius intelligat, nõ ex alterius quàm ipsius Plinij uerbis, quæ tum hoc in loco, tum etiam alibi leguntur declaremus. Genas uocat Plinius membranulas illas quæ integũt oculos, quas Græci βλέφαρα nominant. Theodorus in translatione Aristotelis de animalibus palpebras uertit. Talem eius uocabuli apud Plinium significatum indicant illa Plinij uerba
» hoc ipso in loco scripta: Pisces & insecta non habent ge-
» nas, nec integunt oculos, omnibus membrana uitri modo
» perlucida obtenditur. Libro etiam decimo, ubi de somno
» aquatilium disserit, scribit in hunc modum: Etiam qui de
» cæteris dubitant, dormitare existimant, non oculorum ar-
» gumento, quia non habent genas. Palpebras autem Plinius appellat pilos de genarum extremitatibus ortos, quos ut ipse inquit, ceu uallum quoddam uisus, ac prominens munimentum contra occursantia animalia, aut alia fortuito incidentia natura hominibus dederat. Mulieres autem, tanta est affectatio decoris, inficiunt. Defluere etiam palpebras

pebras Venere abundantibus ait. Quod dictum de nulla re alia, quàm de pilis quos diximus, recte intelligi potest. Has Aristoteles in libris de partibus animalium φλεαρίδας nominauit, Theodorus cilia, nescio an recte latine dixit: quoniam Plinius homo latinissimus nomen cilium in alio accipit significato. Occurret mihi hoc in loco aliquis, ac dubitabit, stante eorum uerborum quæ modo exposuimus significatione, quo pacto Plinius à crassissimo errore possit defendi, qui in hoc libro XI, capite XLIIII, de simiarum
» generibus loquitur in hunc modum: Iam simiarum
» genera perfectam hominis similationem continent, facie,
» naribus, auribus, palpebris, quæ solæ quadrupedum &
» inferiorem habent genam. Nónne hoc in propatulo falsum? & nullo modo, sicuti de struthiocamelorum palpebris in dubium reuocandum, solas simias inter quadrupedes habere inferiorem genam, cum omnes quadrupedes æque ac simiæ inferiore gena oculos integant. Nam & Plinius ipse in hoc quem nunc examinamus loco, etiam quadrupedes quæ oua pariunt, ut testudines & crocodilos, inferiore gena conniuere asseuerat. Hunc, atque alios Plinij locos, in quibus ipse sibi ipsi uidetur manifestissime repugnare, uoluissem fuisse à Plinij patrono castigatos, ne post tot, tantorumq; uirorum in emendandis Plinij codicibus diligentiam ipse idem opus denuo facere aggressus, aut Mineruæ statuam reformare, ut mutaret soleas, aut Apellis picturam de integro pingere, ut una pauciores crepidarum supplere ret ansas, frustra uideretur laborasse. Sed quo ipse Plinium ciuem suum, quantumuis in clientelam receptum, officio defraudauit, ego factus pro accusatore patronus, tum hoc in loco, tum etiam in reliquis, in quibus potuero bonæ famam existimationis Plinij tueri, haudquaquam grauabor impartiri, ut omnes intelligant me in alijs, in

quibus

quibus Plinium reprehendi, non calumniandi gratia id egisse, sed studio propugnandæ ueritatis, quam, ut philosophum decet, puto etiam amicis in honore præferendam. Si ergo nolumus Plinium uel sibiipsi, uel etiam sensui repugnantia scribere, oportet uerba illa de simiarum generibus
» ita corrigere: Nam simiarum genera perfectam hominis
» similationem continent, facie, naribus, auribus, palpebris,
» quas solæ quadrupedum in inferiore habent gena. Simiæ enim, ut etiam testatur Aristoteles libro de historia animalium secundo, cum cæteræ quadrupedes inferioribus careãt palpebris, uel ut Theodorus transtulit, ciliis, quoniam per palpebras Plinius pilos intelligit, illos, ut diximus, qui de genarum extremis oriuntur, ipsæ habent etiam in gena inferiore. Ego uero qui libenter quancunq; arripio occasionem, Plinium à contradictionibus uendicandi, admoneor alteram similem à uerbis Plinij, uel potius codicis, amouere contradictionẽ. Semper enim fui ita animatus, ut libentius in codicem, qnàm in ipsum autorem, si modo possim,
» errores reijciam. Durissimum dorso tergus, uentres mol-
» les, setarum nullum tegumentum, de elephantis scribit Plinius libro octauo, Aristoteli sanè consentiens, qui libro de historia animalium secundo, elephantum in quadrupedum genere minime hirtum: & libro de generatione animalium quinto, elephantos atque boues tenuiore pilo, quàm sues integi scribit. Postmodum libro undecimo, capite trigesimo nono, de eisdem elephantis hæc uerba apud
» Plinium leguntur: Elephantorum quoque tergora im-
» penetrabiles setas habent. Ne igitur & hic Plinius & à seipso, & ab Aristotele, atq; ipsa ueritate discrepet, ita castigãda sunt hæc postrema codicis uerba: Elephanti quoque tergora impenetrabilia sagittis habent. Nam si elephãti durissimum tergus habent, ut scribit libro octauo Plinius, cur non

non etiam idem sit sagittis impenetrabile, hoc est cum difficultate penetrabile? Hanc Plinij ab Aristotele atq; à se ipso dissidentiam etiã Hermolaus animaduertit, & conatus est è medio tollere unũ interponendo uerbum, atq; ita legendo: impenetrabiles quasi setas habẽt. Multo licentius Plinij patronus ex uno uerbo duo fecit, hoc est, loco setas scripsit pro scutis, ita ut uerbum aliud supplere sit necessarium, si sensus debeat esse integer, sic legendo totum: elephantorũ tergora pro scutis homines habẽt. Sed probandũ erit ex historijs, homines non solũ ad gestanda propugnacula aliquando usos fuisse in prælijs elephantis, sed etiam eorũ tergora habuisse pro scutis: alioquin ut opinor nemo tam uiolentam admittet emendationem. Sed ad genas & palpebras animalium redeamus, in quibus optarem æque facile Plinium posse defendi, ne & Aristoteli & sensui quoq; contraria scribere uideretur: nam quod ait nulli inesse palpebras, nisi quibus & in reliquo corpore pili, sed quadrupedi in superioribus tantum genæ, uel, ut legendum puto, in superiori tantum gena. Hoc secundum dictum ueritatem sortietur, si simiæ tantum excipiantur, quæ solæ quadrupedum, ut postmodum etiam Plinius docet, palpebras habent etiã in inferiore gena. Quæ uero uerbis statim antea scriptis Plinius subiungit, nullum habent exceptionis, aut alterius excusationis suffugiũ. Ait enim uolucribus in inferiori tantum gena palpebras esse, & quibus molle tergus, ut serpentibus, et quadrupedibus quæ oua pariunt, ut lacertæ, struthiocamelo uero utrinque, ut homini: quæ omnia falsa esse, tum sensus, tum ratio deprehendit: nam neque uolucres pilos habẽt in gena inferiore, neq; serpentes, neq; lacertæ, neque etiam struthiocamelus effatu dignam in utraq;, sed uti quadrupedem, quod etiam antea notauimus in gena tantum superiore. Aeque falsa sunt reliqua omnia quæ Plinius adnectit, ne genæ quidẽ omnibus,

ideo nec̄ nictatio hijs quæ animal pariunt. Verius enim de hijs ita ſcripſiſſet, quemadmodum II libro de generatione
» animaliū Ariſtoteles: Genus hominū, auium, quadrupe-
» dum, tam uiuiparum, quàm ouiparum, oculos uiſus gratia
» cuſtodiendi tegunt, ſed uarie: Quæ enim animal pariunt ge
» minam habent genam, et conniuere utrac̄ ſolent: Aues tam
» leuiores quàm grauiores, & quadrupedes ouiparæ gena in-
» feriore conniuent, nictantur aues ab angulis membrana
» obeunte. Hic autem lectorem admonitū uelim, uerbum βλίφαρον, quod Theodorus palpebrā uertit, me ad Plinij imi tationē genam interpretari. Quod ſi quis illa uerba Plinij, quæ animal generāt, ad ſequentem referat clauſulam, ut ſit ſenſus, quæ animal generant, & grauiores alitum inferiore gena conniuere, neque ita Plinius erit omni ex parte ueridi cus, atc̄ Ariſtoteli de eiſdem rebus conſentiens: Qui quidē Ariſtoteles, ut ex uerbis eius paulo antea recitatis apparet, uoluit ea quæ animal pariunt utrac̄ gena conniuere, ſicuti grauiores alitum altera tantum, ſcilicet inferiore. Extremū
Cilium. ambitum genæ ſuperioris cilium ab antiquis uocari tradit Plinius, & uulnere aliquo diductum non coaleſcere. Idem autem accidere ſcribit Ariſtoteles, non extremo tantum ambitui genæ ſuperioris, ſed toti genæ, & æque inferiori ac ſuperiori, ſicuti buccæ atque præputio: nam hæc quoc̄ uulne-
Caninos dentes renaſci. rata non ſolideſcunt. Caninos dentes caſu aliquo amiſſos, nunquā renaſci Plinius ſolus eſt autor: nam qui idem aſſerat apud neminem, quod meminerim, legi. Ariſtoteles ſanè II de hiſtoria animalium libro, eoſdem dentes in homine, in canibus, & in cæteris etiam beſtijs mutari tradit, maxillares autem in nullo animaliū. Quare de hijs rationabilius crederē, quàm de caninis, caſu aliquo amiſſos non regenerari. Eodem libro ſcribit Ariſtoteles uitulum marinum habere linguā ſciſſam, Plinius autē duplicem: Vtrum idem utrac̄ dicat

dicat æſtiment eruditi: In eo certe diſſentiunt, quod Plinius leporibus circa Briletum & Tharnon, & in Cheroneſſo ad Propontidem bina eſſe iocinera pro re uera aſſeuerat. Ariſtoteles uero errorem eſſe putat eorum, qui magnitudinem intuentes, duo eſſe iocinera credunt quod unum ſit. Plinius etiam non multo inferius ſcribit ei membranæ, quā Græci phrenas & diaphragma uocant, Latini ſeptum appellant, quod tamen non membrana ſed muſculus potius quidam eſt, ut ſentit Galenus nobiliſſimus medicus, nullam ineſſe carnem: quod falſum eſſe pariter propriæ naturæ indicat ratio, cum muſculus nihil aliud ſit, niſi caro neruis intertexta. *Muſculus quid ſit.*
Ariſtoteles autem ubi de hac hominis parte loquitur, libro ſcilicet de partibus animaliū II, planè eam carnoſam eſſe
» ſignificat, ita ſcribens: Annectitur hoc ſeptū, ſiue cinctus
» coſtis parte ſui carnoſiore ualidioreq̄, media autem mem-
» branoſiore. Ita enim ad robur & prætentum cōmodius eſt
» contra calorem ſe efferentem, hoc ueluti ſobolem eſſe argu
» mentum, ex hijs quæ plerunc̄ accidunt, dicitur: Vbi enim
» propter uicinitatem attraxerint humorē calidum, continuo
» mentis ſenſum planè perturbant, quare phrenes appellan-
» tur, quaſi participes prudentiæ ſint. Atqui nullatenus parti-
» cipes ſunt, ſed propinquæ ſunt hijs quæ uim obtinēt illam,
» hinc mentis mutationē aperiunt. Quamobrem tenues parte
» ſui media ſunt, nō modo de neceſſitate, quod cum carnoſæ
» ſint parte ſui coſtis admota carnoſiores eſſe neceſſe ſit, uerū
» ut minus uaporis excipiāt: nam ſi carne pleniore conſtarēt,
» copiā uaporis & haberēt & attraherent. Ex hijs Ariſtote-
lis uerbis ſeptū, ſiue phrenas eſſe carnoſas, licet parte ſui media tenuiores ſint, & minus carnis habeant, unicuic̄ patere arbitror. Ex quibus etiā uerbis alter Plinij error manifeſtat, qui huic eidem parti ait referri acceptā ſubtilitatem mentis, hancq̄ eſſe cauſam cur nulla ei inſit caro, cum tamen Ariſto

teles ipſam aſſerat nullius eſſe rationis participem, phrenas tamen à Græcis nominari, quoniam uicina ſit hijs quæ uim obtinẽt illam. Cordi igitur ſecundum Ariſtotelem accepta refertur ſubtilitas mentis, ob uicinũ uero ſitum ſepto, atque huic ipſi nomine tantum, quoniam à Græcis phrenes nominantur. Illud quoq; hac in parte lectores admonendos cenſeo, in uerbis nuper adductis nihil eſſe de Theodori translatione immutatum, niſi quoduerbum illud ὑμενώδεστερον apud Ariſtotelem nos membranoſius latine diximus, hoc eſt naturæ membranæ proximũ. Fidelior autẽ nobis hæc uiſa eſt interpretatio, ne ſi phrenas parte media conſtare membrana exiliore dixiſſemus, quemadmodũ tranſtulit Theodorus, Ariſtotelem ſibi aperte contradicentem faceremus, qui totas phrenas probat ex neceſſitate eſſe carnoſas, quod etiam exectionibus patet, licet parte ſui coſtis admotæ ſunt carnoſiores. Ac paulo poſt ubi omnia uiſcera membranis includi ſcribit, talem eſſe docet membranarũ naturam, ut carne penitus uacent. Hæc autem contradictio amouetur, ſi phrenas, qua carnoſiores, qua uero membranoſiores eſſe conceſſerimus, cum hæc ſit omnium natura muſculorum, ut non ſint æque omni in parte carnoſi, ſed alicubi tenuiores, ac membranæ ſimiliores, alicubi carnoſiores. Nõ parum autẽ refert dicere aliquam noſtri corporis partem eſſe membranã, aut membranæ ſimilitudinem habere: phrenes igitur non ſunt membrana, ut minus recte eas nominat Plinius, ſed mem-

Venter. » branæ quadã ſua particula aſſimilantur: Præcordijs ſubeſt
» uenter, inquit Plinius, ſtomachum habentibus, cæteris ſimplex, ruminantibus geminus, ſanguine carentibus nullus:
» Inteſtinum enim quibuſdam ab ore incipiens quadam uia
» eodem reflectitur, ut ſepiæ & polypo. Ediuerſo Ariſtoteles non geminum ſed quaternum potius uentrem ruminantibus tribuit, quemadmodum ex eius uerbis, & 11 de hiſtoria

ria animalium, & tertio de partibus ſcriptis apparet. Quæ uitandæ prolixitatis gratia, ſicuti multa alia eiuſdem autoris teſtimonia adducere ſuperſedeo, liberum unicuiq; relinquens, ſuo ſingula loco legenda perquirere. Quod autem Plinius pariter ſcribit, nullum exanguibus eſſe uentrem, in hoc, etiã ab Ariſtotele diſcrepat, qui libro allegato de aquatilibus ſanguine carentibus diſſerens, partes ad uictum pertinentes, in quorum numero uenter eſt, neceſſariò ineſſe omnes eiſdem aquatilibus aſſerit, imò de polypo ac ſepia, quorum exempla in exanguibus uentre carẽtibus Plinius
» affert, eodem in loco ita ſcribit: Stomachus, ſiue gula, ab
» ore prælonga mollibus eſt, quam ingluuies excipit, quomo
» do auibus, cum uenter coniungitur, & inteſtinum uentri
» annexum ſimplex uſq; ad exitum tendit. Sed hic quidem Plinius deerrauit, quoniam uentrem omnium aquatilium generi neceſſarium à natura tributũ, ipſe detraxit, elephanto autem plures quàm uel Ariſtoteles, uel eadem omnium parens natura conceſſit. Siquidem quatuor elephanto uentres tradit Plinius, Ariſtoteles uero inteſtinũ ita ſinuoſum eſſe elephãtis ſcribit, ut uentres habere quatuor uideantur. Quare cum non parum interſit, an aliquid ſit, an eſſe uideatur, eodem errore Plinius uentres in elephantis, quo etiã iocinera in leporibus multiplicauit. Ex medio utriuſq; renis exire pinguedinem, præterquam in uitulo marino autor eſt Plinius. Ariſtoteles uero renes totos pinguí opertos deſcribit, nec pinguitudinem, ſed cauum quoddam è medio utriuſq; renis prodire ait, uitulum marinũ etiam ipſe ut Plinius excipiens. Duplicem uiperæ uuluam, atq; intra ſe generantibus tribuit Plinius, quaſi uipera non ſit de numero eorum animalium, quæ extra ſe animal generant. Quod genus erroris etiam Plinius admiſit libro XXI, ubi de lap
» pa ſcribit in hunc modum: Notabile & in lappa quæ ad

Elephanti uentres.

Viperæ uulua

hæreſcit, quoniã in ipſa flos naſcitur non euidens, ſed intus occultus, & intra ſe germinat ueluti animalia, quæ intra ſe pariunt. Quid enim ſibi uolunt hæc Plinij uerba? cum de piſcibus ac uiperis, de quibus etiam ſcribit Theophraſtus, loquat̃, quæ tamen non intra ſe, ſed extra magis animal pariunt: Quare de hijs ipſis multo ſanè rectius Theophraſtus libro VII de hiſtoria plantarũ, ubi de aparine facit mentionem, ita diſſeruit: Notabile & in aparine, ſic enim Theophraſtus græce nominat herbam, quam ut antea notaui, nõ puto recte à Plinio lappam nominari, quæ ſuæ aſperitatis cauſa ueſtibus adhæreſcit, ut difficile auferri poſſit. Naſcitur enim flos in eo ipſo hirſuto atque aſpero, non exiens, neq; euidens, ſed intus matureſcens & ſemen pariens, ut illi ſimile ſit, quod in muſtellini generis piſcibus ac uiperis euenit. Illæ enim intra ſe oua pariunt, mox animalia gignunt. Sed quid Plinium aliorum autoritate refello, cum ipſe ſuis, quæ alibi ſcribit uerbis, poſſit retundi? ueluti hijs quæ libro X, capite de conceptu uiperæ ac partu, in hunc modum ſcribit:

» Terreſtrium eadem ſola intra ſe parit oua unius coloris,
» ut mollia, ut piſces. Tertia die intra uterum catulos excludit,
deinde ſingulos ſingulis diebus parit uiginti ferè numero.
Hæc autem omnia de uipera Plinius ex VI libro Ariſtotelis de generatione animalium, ſed parum fideliter, accipit.
Nam quod Plinius dicit uiperam excludere catulos, hoc uere & Ariſtoteli conſone, qui uult ſolam uiperam ex omni ſerpentum genere animal parere. Quod autem tertia die dicit hoc facere, non conuenit cum Ariſtotele, qui tempus hoc triduanum non catulis extra uterum tribuit excludendis, ſed potius poſtquam membranis obuoluti fuere excluſi, earundem membranarum diſruptioni dat, ut uerior
» translatio oſtendit Theodori, quæ ita ſe habet: Vipera è
» ſerpentibus una animal edit, cum intra ſe oua primum pe-
pererit,

» pererit: ouum hoc unius coloris & molle, ut piſcium fœtus
» ſuperne conſiſtit, nec cortice continetur, ut nec piſciũ quí-
» dem, parit catulos obuolutos mẽbranis, quæ tertia die rum
» pantur. Euenit interdum, ut qui in utero adhuc ſunt abro-
» pantur. Et quidem omnia recte Theodorus, & ex ſententia Ariſtotelis, reliqua uero non recte, ſed cum Plinio aberrans male Ariſtotelis ſenſum interpre-
» tatur, cum de uipera ſubijcit: Singulos diebus ſingulis pa-
» rit, plures quàm uiginti numero: Poſtrema enim hæc uerba, tum apud Plinium, tum apud Ariſtotelem ita interpretatum, primis repugnant, atque ex hijs non modo Plinius, ſed etiam Ariſtoteles trahitur in contradictionem, quæ talis eſt: Si ſola uipera è ſerpentibus animal edit, cum intra ſe primũ pepererit oua, ut ait Ariſtoteles, uel ſi ſola terreſtriũ intra ſe parit oua, & poſtea catulos excludit, ut Plinius inquit, maraſſus autem, ſiue ſerpens, qui alio nomine uulgo ſcurtio nominatur, hoc idem facit: primum ſcilicet intra uterum parit oua, deinde animal extra emittit in lucem, ut mille milies ſuis ſe uidiſſe oculis teſtantur: ſequitur neceſſariò, maraſſum & uiperam eſſe eandem ſerpentis ſpeciem, uarijs nominibus lingua uulgari apud uarias gentes nominatum. Et hoc prima tam Ariſtotelis quàm Plinij uerba demonſtrãt: poſtrema autem contrarium probant, hoc modo: Vipera parit catulos ſingulos ſingulis diebus uiginti ferè numero. Maraſſus autem parit catulos uel plures quàm uiginti, ſed non ſingulos ſingulis diebus, imò omnes uno die, ut ſæpius uiſum eſt. Ergo uipera atque maraſſus non eſt eadem ſerpentis ſpecies. Syllogiſmus in ſecunda figura nectitur. Studeat autem Plinij patronus, ut tam facile Plinium ab hac contradictione tueatur, quàm facile nos principem philoſophorũ huius grauiſſimi erroris ſuſpicione liberauimus. Studeant pariter græci grammati-
ſtæ,

ſtæ, ut ſeruata hiſtoriæ animalium ueritate, Theodori Gazæ translationem defendãt, ſicuti nos uerba ipſa græca Ariſtotelis aliter interpretantes omnem ſuſtulimus è medio cõtradictionem. Sed hoc alio fecimus loco: Nunc ad alterũ Plinij errorem in uerbis eiſdem refellendum reuertamur. Neque enim uipera duplicem uuluam habet, imò unã tantum, cuius ſicuti in cæteris quæ intus quidem oua, extra autem animal pariunt, ea pars qua oua continentur infra lumbis adiungitur, & ſupra inteſtina oſtium continetur, quemadmodum tum in libris de partibus, tum etiam de generatione animaliũ multis alijs in locis teſtis eſt locupletiſſimus Ariſtoteles. Quod ſi per duplicem uuluam biſidam, ſeu bipertitam Plinius inſinuat, non erit hoc uiperarum & ſimilis naturæ animalium peculiare, imò aliarum omniũ, quæ tam intra, quàm extra animal generant: quod etiam de bobus, & mulieribus hoc eodem loco Plinius affirmat: Nam has quidem ait geminos ſinus ab utroq; laterum habere, boues uero grauidas in dextro tantum ſinu ferre, etiam cum geminos ferant. Male etiam, & contra quàm Ariſtoteles, inter ſeuum & adipem notat Plinius differentiam. Concretum enim hunc ſcribit, & cum refrixit fragilem, ſemperq; in fine carnis. Hæc autem de ſeuo, non de adipe, & tertio de hiſtoria animalium, & ſecundo de partibus ſcribit Ariſtoteles. Cunctis quoq; animalibus quoddã in oculis pingue eſſe, Plinius inquit: neq; ea excipit, quæ cum præduros habeant oculos, pingui omnino in ipſis uacant. Rectius autem Ariſtoteles libro de hiſtoria animalium tertio, de eadẽ re loquitur in hunc modum: Omnium uero animalium commune pupillæ inſtitutio eſt: Omnibus enim quæ partem hanc poſſident, nec duris oculis ſunt, adipe conſtat. Serpentibus Plinius ſpinas tribuit, Ariſtoteles libro ſecundo de partibus animalium eiſdem ſerpentibus non ſpinas, ſed

Pingue in oculis quibus ſit.

ſed naturã oſſium ſpinaceam eſſe refert, ſicuti idem Ariſtoteles uitulum marinum non cartilagine, ut Plinius, ſed cartilaginoſis oſſibus conſtare tradit. Plinius pariter inquit, ſine neruis eſſe quædam animalia, ut piſces: Sed cum omne piſcium genus ſanguinis particeps ſit, ut autor eſt Ariſtoteles libro de hiſtoria animalium II, quibus autem datus ſit ſanguis, eiſdem neruos adiunctos eſſe, idem Ariſtoteles libro de hiſtoria animalium III itidem ſcribat, piſces etiam in ſanguineo genere habere neruos eſt neceſſarium. Cur arteriæ careant ſenſu, cauſam affert Plinius, quoniã etiam ſanguine uacant, quaſi ſanguis, non autem neruus uel caro ſint uirtutis tactoriæ inſtrumentũ. Sed neq; uerum eſt, arterias carere ſenſu, ſicuti neque uenas, neq; etiam ſanguine omnino uacant, quemadmodum Galenus omniũ princeps medicorum opere ad id dedicato contra Eraſiſtratum demonſtrauit: Quod ſi in uenis tantũ ſanguinem contineri Plinius exiſtimauit, quod etiam uidetur ſentire Ariſtoteles libro de hiſtoria animalium III, qui forte uenarum uocabulo arterias quoq; comprehendit, iuxta Hippocratis uetuſtiſſimi medici conſuetudinem, cur paulo poſt Plinius aues, nec uenas, nec arterias habere dixit? cum nemini dubiũ ſit, aues inter ſanguine prædita, non autem exanguia animalia computari. Quare cum ſanguis ſecundum Ariſtotelem libro allato, nulla alia conceptacula habeat præter cor & uenas, ſi aues ſanguinem habeant, ut uiſus oſtendit, cum ſine uena ſanguis eſſe non poſſit, aues uenas etiam habebunt neceſſariò. Hij ſunt partim codicis, partim ipſius autoris errores, quos ex uno unius libri capite tantum colligendos cenſuimus, ut Plinij patronũ admoneremus, fruſtra ſe apud ſuos ciues fuiſſe gloriatum, tanquã Plinio ex unius loci ſola aduerſus nos defenſione, ab omni errorum ſuſpicione liberato: atque inſuper ipſum doceremus, plura alia ſupereſſe in

Piſces habere neruos.

codice menda corrigenda, nec pauciora ipsius autoris errata defendenda, in quibus tamen, si quis sit eorũ quæ hic aguntur inferis sensus, Plinius malit forte non defendi, quàm ita sicuti in æra defendi, in qua merito conqueri potest se multo infelicius, quàm sit lolium ipsum, habuisse patrocinium. Primus enim Hermolaus hunc Plinij errorem tali est ratione deprecatus, quod cum nondum satis esset in Italia compertum, lolium circumligando se triticum enecare, Plinius tutius putauit uti uocabulo græco quàm latino: Nos in nostra super hoc ad Hermolaum epistola, talem pro Plinio defensionem ita repulimus, non magis Græcos nouisse æram, quàm Latinos lolium esse herbam amplexicaulem, cum sit ubiq; terrarum recticaulis: Quare siue græco, siue latino Plinius uteretur uocabulo, nullo modo potuisse dicere æram uel lolium circumligando se triticum enecare. Post Hermolaum quidam leguleus, spreta & græcorum & latinorũ interpretum autoritate, ausus est dicere, æram non significare apud Græcos lolium, sed herbam aliam quam nos uulgo uolutulam nominamus. Tertius iste contra quem nunc disputamus Plinij patronus, æram mutauit in herbam, quam melius fuerat non mouisse: nam adeo grauem iactauit odorem, ut anagyros uideri possit, quam Græcorũ prouerbium iubet non moueri, ne mota peius oleat. Sed postquam satis de Plinij erroribus egimus, iam ad Plinij patronũ, qui nobis dedit Plinium taxandi occasionem, simul & ipsum refellendum reuertamur: nam præter contradictionis errorem, quẽ capite VIII libri tertij suæ anatomices ipsum admisisse antea ostendimus, etiam in pluribus alijs delinquit. Primum quod tracheam arteriã dicit à Græcis nominari pharynga, quod falsum est, si hoc uocabulũ in propria significatione sumamus: nam ut testatur Galenus in cõmentatione illius
» Aphorismi, quartæ particulæ Aphorismorũ: Si à febre habito,

» bito, tumore non existente in pharynge, id est, faucibus, sic enim etiam Theodorus hoc uerbum uertit, caput arteriæ à Græcis larynx, id est, guttur appellatur: nam & Theodorus ita larynga latine nominat guttur: Spaciũ autem illud, quod est ante larynga & isophagum, id est, guttur & gulam, pharynx proprie ab eisdem Græcis nominatur. In quo significato dicit etiam Galenus hoc nomen ab Homero accipi, ubi idem Homerus ait, uinum & frusta carnis humanæ per pharynga Cyclopis erumpere. Caueat ergo Plinij patronus, ne quam damnat Platonis opinionem, uolentis potum per tracheam arteriam ad pulmonem defluere, multo faciat in Homero absurdiorem, si uoluisset non modo potum, sed etiam cibum euomi à Cyclope per pharynga, id est, tracheam arteriam, ut eam Plinij patronus uult à Græcis nominari. Galenus etiam libro IIII de membris passis, qui de interioribus apud Latinos inscribitur, quid per pharynga intelli-
» gat, declarat hijs uerbis: Pharynga autẽ nomino interius
» oris spacium, ad quod pertingit extremũ gulæ ac gutturis. Neq; aliud per pharynga Galenus intelligit, cũ dicit libro VII de utilitate partium, Tracheam arteriam per larynga pharyngi copulari. Quanq̃ postea idem Galenus circa initia libri VIII eiusdem tractationis scribat tracheam arteriam pharynga equiuoce illi quæ est ante larynga nominari. Sed nos hic de proprio & usitato pharyngos significato disputamus. Nam Galenus quoq; alio in loco, scilicet III libro prognosticorum, exponens uerba Hippocratis, quæ
» in græco codice ita se habent: ἃι δὲ ἀνάγκαι δεινόταται μὲν εἰσὶν καὶ
» τάχιστα ἀποκτείνουσιν ὁκόσαι, μήτε ἐν τῷ φάρυγγι, μὴ δ' ἐνέκδηλον ποιέουσιν, μήτ' ἐν
» τῷ αὐχένι. Hoc est si latine dicere libeat: Anginæ autem gra-
» uissimæ sunt, & citissime perimunt quæcunq; neq; in pha-
» rynge, id est, faucibus, neq; in ceruice aliquid manifestum
» faciunt. Galenus, inquã, uerbum græcum pharyngi quid

 hoc in

» hoc in loco ſignificet, ita declarat: Per ceruicem collum in-
» telligitur, per pharynga autem ſpacium illud, quod ſe ocu-
» lis repræſentat, ſi ore aperto lingua prematur, in quo duo
» orificia continentur, alterum ſtomachi, alterum laryngis.
Hoc eſt, ſi latine loqui uolumus, alterum gulæ, alterũ gut-
turis: ſic enim hæc uerba Theodorus, uir græce ac latine do-
ctiſſimus, ubiq; in ſuis translationibus interpretatur, ſicuti
& uerbum græcum pharynga dicit latine fauces, quamuis
Fauces. Plinius ſummum gulæ fauces uocari dicat, poſtremum ſto-
machum: nos uero pharynga à Græcis non ſummum gulæ,
ſed locum ad quem tam ſummum tracheæ, quàm etiam ſo-
phagi peruenit, dicimus autore Galeno nuncupari. Mouet
autẽ me hic locus, qui ſoleo libentius contra homines bar-
baros, quàm latinos agere, præſertim uiuentes & mihi ami-
cos, quos non taxarem, niſi ipſi prius rupto amicitiæ fœdere
me carpere anticipaſſent, ut Auicennæ, uel ſaltẽ eius Expo-
ſitorum errorem patefaciam, qui de hijs humani corporis
partibus, de quibus nunc diſputamus, in ſuis libris aut com
mentationibus ſcribentes, uiſi ſunt ab Hippocrate atq; Ga-
leno diſcordare. Auicenna ſiquidem III ſui canonis li-
bro, Fen IX capite de diſputationibus gutturis, hæc uerba
» ſcribit: Per guttur intelligimus ſpacium in quo ſunt mea-
» tus anhelitus & cibi. In quibus uerbis mihi uidetur Aui-
cenna idem quod Galenus uoluiſſe dicere, cum libro IIII
» de interioribus ſcribit: Pharynga autem nomino interius
» oris ſpacium, ad quod pertingit extremũ gulæ ac gutturis.
Solent enim Arabicæ translationes pro uerbo pharynga a-
pud græcos autores guttur latinũ habere, ut ſanè habet tranſ
latio Arabica, libro prognoſticorum, loco à nobis ſuperius
allegato, ubi Hippocrates pharynga nominat, quamuis ſi
proprie loqui uelimus, uerbũ guttur non pharyngi, ſed la-
ryngi, id eſt, parti extremæ os uerſus tracheæ arteriæ, quæ
pars

pars extrema ad pharynga terminatur, rectius accommode
tur. Sed omiſſa proprietate locutionis, quoniam diſputa-
tio de nominibus paruam habet utilitatẽ, ſiue pharynx gut-
tur, ſiue fauces latine dicatur: certũ eſt, ſpacium illud quod
Græci pharynga nominant, non continere utrunq; meatum
anhelitus & cibi, ſi per meatum anhelitus totam tracheam
arteriam intelligamus, per meatum autem cibi totum meri:
Liceat enim mihi barbaros uolenti refellere, hijs uti uoca-
bulis, quibus ipſi in ſuis libris utũtur, ne ſi aliter quàm ipſi
fuero locutus, uidear ipſos non in re illa, de qua ipſi loquun
tur, ſed in alia potius per calumniam reprehendiſſe: Vitan-
da eſt enim mihi omnino huius culpæ ſuſpicio, tum inomni
opere, tum præcipue in hoc, in quo me aduerſus Plinij pa-
tronum defendo, qui me tanquam parum pudenter Plinijũ
calumniantem in ſua accuſat præfatione. Sic autem etiam
uiſus eſt & ipſe Auicenna intelligere, qui eodem capite re-
mittit nos ad anatomiam epiglotti & meri, quam ſe alibi
docuiſſe innuit. Manifeſtiſſime autẽ quidam ex recentio-
ribus, qui nuper haberi cœpit in pretio, in expoſitionẽ hu-
» ius loci Auicennæ ita ſcribit: In prima parte primo ait, q̃
» guttur eſt ſpacium, ſeu pars corporis, quæ protenditur infe
» rius à radice menti ad oſſa furculæ, & in ſe continet meatum
» anhelitus, quem cannam pulmonis, arteriam uocalem, &
» tracheam arteriam uocare ſolemus, & meatum cibi, quem
» medici appellant meri, & iſophagũ, & uuam, ſiue uulam,
» quæ cooperit epiglottum, & duas amigdalas, quæ ſunt duæ
» paruæ auriculæ in radice linguæ, & galſamat. Hæ omnes
tanquam gutturis partes Expoſitor iſte cõnumerat, aliquæ
ad collum pertinent, aliquæ ad os. Trachea quidem arte-
ria, ſiue canna pulmonis, & iſophagus, ſiue meri ad collum:
uua autem, ſiue uula, & duæ amigdalæ ad os, & ut arbitror,
etiam galſamat: quanquam de uocabulo barbaro nolo de-

cernere. Tracheam autem arteriam, & ísophagum esse colí partes líquidò ostendit Galenus circa ínitia libri VIII de utilitate partíum, ubí probat collum esse factum propter tracheam arteríam, argumento pisćium, quí aut nullum collum habent, aut breue omnino, quía trachea carent artería: Quo ín loco ídem Galenus ínter alías colli partes etíam ísophagum numerat. Idem pariter autor libro XI de utilitate partíum scríbit hæc uerba: Particularum ítaq; quæ secundum os manifestæ ían factæ sunt, quoníam neque frustra, neq; defectuosa est alíqua, sed mole corporis & consistentijs, & plasmationibus, & positionibus uniuersæ optime constitutæ sunt. Etenim sí alíquas earum non exposuímus, euídens est ex prædictis: Sufficit enim ín una uel duabus memorarí particulís utilítatem uniuscuíusque, quæ eís ínsunt, sicutí & ín língua fecimus: Quæ enim de illa sunt dícta commensurítatē laudantíbus nobís magnitudínis habebís utiq; consíderans ínuenire ín omnibus símiliter. Nulla deniq; eorum est íta parua, ut deficienter minístret, neq; ín tantum excedit magnítudinem, ut comprímat alíquam alíarum, aut ab alíjs angustetur, sed foramína quídem nasi apud expiratíonem sufficientia sunt, columnæ uero magnítudo ad tres utilítates competentíssima est, & epíglottis tam magna, & talís mole corporis, quantum magna est claudí debens particula. Ita autem & larynge & stomachí porrus. Hic quídem ín respiratíonibus & uocibus, illæ autem ín cíborum transítibus sufficientem habent magnítudinem. Símiliter dentíum unusquisq;, & relíqua. Hæc omnía Galenus, íuxta translatíonem quæ ín usu habetur, laudans natúræ artíficium, ín partíum oris conuenienti formatíone, ínter quas, ut uídere lícet, & foramína nasi ínteriora, & columnam, id est uuam, & epíglottída, & laryngis, id est gutturis, & stomachí, id est meri, síue gulæ orificium, unà cum língua & dentíbus collocat. Sic Aristoteles libro primo de

historia

hístoría animalíum, id quod ínfra maxíllas & labra descríbitur, os esse dícit: oris uero partes palatum, fauces, línguā, tonsíllas, dentes: Colli autem partes esse uult, arteríam anteríorem, gulam posteríorem. Vídetur autem Auícenna secundum nouí Expositoris declaratíonem, non porum, síue meatum laryngis, quam recentíores abutentes uocabulò epíglottum nominant, sed totam tracheam arteríam, non supremum orificium gulæ, síue meri, sed totum meri cum uua, epíglotto, & duabus amígdalís, tanquam sint eíusdem membrí partes, quod guttur appellatur, coníungere, quas tamen Galenus separauít, & díuersis membrís, alteras scílicet collo, ut tracheam arteríam & ísophagum: alteras uero, sicutí orificía gutturis & gulæ símul, ac præterea columnellam, quam recentíores uuam appellant, orí contríbuit: Nam quod columnellam, síue uuam, Galenus uelít esse partē oris, & non colli uel gutturis, índicant uerba eius libro I de differētijs morborū, ín quíbus ostēdit uuā abscíssam esse palatí, & non colli, uel gutturis passionē. Hoc uero in loco Plíníj patronū admonitū uelím, se nō recte ín sua anatomice columelā uocare eam palatí partē, quā Græcí chíonída uocāt, id est paruā columnā, cuius effígiem repræsentat. Debuít enim nō columelā, sed columnellā eadem ratíone dícere. Nos tamē non multū de nomínibus laboramus, nísi cp hominē nō magís rerū, quàm etiā nominū ín eo tractatu scientiā profitentē, uellemus fuísse plusquàm barbarí soleant, etíam ín nomínibus dilígentē. Non est autem dignum admiratione, sí corpora quídem & tracheæ artería, & ísophagí, síue meri collo Galenus demādauít: orificía autē, síue porū eorū orí: quoniā hæc duo, ut ait ín cōmentatione líbri prognosticorū superius allegata, ín faucíbus cōtinent. Fauces aūt lícet sint ín cōfinío oris & colli, ad os tamen magís uídentur, quemadmodū & palatum, pertínere.

Quare

Quare si uelimus Galenum, atq; Auicennam eius interpretem cõcordes facere, aut saltem minus discordes, debemus illud quod supra diximus, posthabitis barbaris expositionibus, dicere, Auicennam per guttur pharynga, id est fauces intellexisse, hoc est, ut ipse declarat, spaciũ illud, in quo sunt meatus anhelitus & cibi, id est, orificia ipsa tracheæ arteriæ atq; meri, nõ tota corpora quæ ad collum, ut diximus, & non ad fauces attinent. Hanc autem nostram expositionem confirmant uerba Auicennæ, si diligentius consideren
» tur, paulo post priora subiuncta: Et tu iam sciuisti anato
» miã meri, & anatomiã epiglotti. Neq; enim dixit, anatomiã tracheæ arteriæ, sed epiglotti, id est laryngis, siuæ supremæ partis arteriæ, quæ ex tribus cartilaginibus constat, quam Græci larynga, Barbari epiglottum, uocabulo ut diximus abutentes, appellant, Latini commode guttur possunt nominare: cuius laryngis, siue epiglotti meatus secundum Galenum in faucibus parte oris continetur: uolens nobis per hoc Auicenna insinuare, quod per meatũ spiritus non totam tracheam arteriam, sed tantum laryngis, siue epiglotti orificiũ intellexit. Quod idem & de supremo orificio meri, quod meatum cibi nominat, & non de toto meri eundẽ sensisse Auicennam debemus existimare. Atque ita in hijs duabus gutturis partibus per guttur fauces intelligendo, ut Barbari hoc uerbum guttur accipiunt, erunt Galenus atq; Auicenna concordes: In eo sanè discordes, quod Galenus uuam non in faucibus, sed in palato locauit: sicuti duas amigdalas, quas ille græce paristhmia nominat, neque ipsas in faucibus, sed in loco admodum proximo, seu potius contiguo posuit. Scio tamen esse inter Gentilẽ atq; Mundinũ de positu duarũ amigdalarũ discordiã, quam ad aliũ tractatũ, in quo de Mũdini erroribus in anatomice sumus acturi, discutiendã reseruamus. Sed quoniã de Gẽtili facta est mẽtio,

uetustiore

uetustiore Auicennæ expositore, uideamus quid & ipse de gutturis partibus secundum Auicennam sentiat, & an ipse faciat inter Galenũ ac Auicennam sua expositione concordiam, uel potius maiorem ea quæ facta est à nouo expositore discordiã. Verba gentilis Auicennã exponentis, ubi quid
» per guttur intelligat nititur declarare, sunt hæc: Consideran
» dum secũdo quod guttur accipit tripliciter. Vno modo
» pro corpore aggregante epiglottum & meri, quod in transglutione mouetur sursum & deorsum, & sic sumitur primo
» Canonis, Fen prima, capitulo De anatomia musculorũ gut
» turis. Secundo modo pro principio cannæ pulmonis præter
» meri, & sic sumitur à Gerardo Cremonense in Glossis, capi
» te De squinantia. Alio modo sumitur pro spacio cõprehen
» dente illa quinq; membra prædicta, & sic sumitur hic & ter
» tio pronosticorũ. Hæc uerba postrema Gentilis de tertia acceptione gutturis conantur quidem Auicennã cum Hippocrate atq; Galeno facere consentientem: quantum uero, si ita guttur hoc loco accipiatur, ut putat Gentilis, dissentiat, satis supra fuit à nobis ostensum, cum quid per pharynga, pro quo habet translatio Arabica guttur, Hippocrates intellexerit, secundum expositionẽ Galeni declarauimus. Quare omnia quæ diximus contra nouum Auicennæ expositorem, faciunt etiam contra uetustiorem, tanto etiam magis errantem, quanto citat locum ex tertio prognosticorũ, qui est omnino eius expositioni contrarius. Prima uero acceptio gutturis maximam dat inter Galenum atq; Auicennã discordiarum aperiendarum occasionem: quoniam capite illo libri primi De anatomia gutturis, quo Gentilis allegat Auicennam de gutture, æquiuoce loquitur. Primum enim cum dicit guttur duo habere paria, quæ ipsum ad inferiora trahunt, per guttur tracheam intelligit arteriam. Cum uero postea in fine capitis dicit: gutturis uero musculi, sunt duo

musculi gutturosi apud gulam positi, in transglutiendo adiuuantes, per guttur intelligit pharynga, id est, fauces, de quibus satis supra dictum est. Hanc autē nominis gutturis in hoc capite apud Auicennam æquiuocationem probare possumus ex hijs, quæ partim Galenus & in suis de anatomice libris, de quatuor musculis scribit tracheæ arteriæ, qui ipsum cōtrahunt angustantq;, & duobus faucium, qui tam uoci, quàm etiam deglutioni obseruiunt, tum ex similibus quæ Aliabas etiam IX Theoricæ dicit de lacertis mouentibus iugulum, per iugulum tracheam intelligēs arteriam, & de musculis mouentibus gurgulionē, quod nomen apud ipsum significat fauces, ut ex multis licet conijcere, quæ Galenus de pharynge, ille autem de gurgulione loquitur. Vt autē hæc omnia fiant euidentiora, & quî conueniant, quiue dissentiant hij tres autores, Galenus, Aliabas, atque Auicenna, de eisdem loquentes musculis, eorum uerba in medium adducemus. Et primum Galeni de musculis tracheæ

» arteriæ in hunc modum scribentis: Tracheæ arteriæ quatuor sunt musculi ipsam contrahētes atq; angustantes quando intenduntur, & retrahentes os quod v literæ formam habet, & laryngem. Oriuntur autem maiores ex ipsis ex inferiore termino lineæ rectæ ossis ypsilon literæ formam habentis, deinde secundum totius arteriæ delati longitudinem innascuntur pectori in parte interiori. Videntur autem tibi aliquando esse bipartiti hij duo musculi: Alij uero duo à lateribus & inferioribus partibus cartilaginis, sicuti formam habentis exorti terminantur, & ipsi ad pectus apprehendentes arteriam. Alio autem capite de musculis faucium, idem Galenus in hunc modum scribit: Spaciū quoddam præiacet cōmune gulæ ac gutturis, ad quod cōmune spacium utrunque orificium terminatur. Vocant autem spacium quidem ipsum isthmum, quoniā angustum est & oblongum: corpus

» pus autem ipsum comprehendens, pharynga nominant, id est, fauces, quibus utrinq; unus est musculus, qui & deglutioni & locutioni obseruit. Quæ etiam Galeni dicta magis confirmat frequens huius uocabuli pharyngos apud Græcos, ut antea diximus, significatum, pro quo Arabicæ translationes guttur habere solent, ut etiā probatur ex Auicennæ primo Canonis, capite XII, à Gentile allegato, hos duos musculos deglutioni seruientes, musculos gutturis, seu gutturosos nominantis autoritate. Aliabas autē qui pro trachea arteria iugulum scribit, pro faucibus gurgulionem, de quatuor musculis mouētibus iugulum scribit in hunc modum:

» Porrò qui iugulum mouent lacerti quatuor sunt, incipientes à pectoralis interioribus, quorum duo ossi continuantur simili lauda græco, & ad inferiora trahunt, & lacerti duo alij continuati, quæ umboni similis est cartilagini, & etiam ad inferiora deducūt. Paucos infra uersus scribit hæc uerba:

» At gurgulionem lacerti qui mouent duo sunt, & Arabice dicti magnage, quorū alter à dextris est positus, alter à sinistris, fuitq; eorū necessitas, quo adiuuarent transglutionem & uocem. Hæc Aliabas. Auicenna autē capite, quod in sua expositione Gentilis allegat, uolens guttur aliquādo accipi pro corpore aggregante epiglottū, & meri, ita de eisdem sex musculis scibit, quorū quatuor ad tracheam arteriam à Galeno, ad iugulum autem ab Aliabate: duo uero à Galeno ad fauces, ab Aliabate ad gurgulionem: cōmuniter autem ad guttur ab Auicenna referunt: quod fecit errare in sua expositione Gentilem. Auicenna, inquā, ita & ipse scribit: Gutturin summa duo habet paria, quæ ipsum ad inferiora trahunt: unum eorū est par, quod iam in capitulo epiglottis nominamus: & alterū est par etiam ex thorace nascens, quod eleuatur, & cum lauda continuat primo, postea cū gutture, et trahit ipsum ad inferiora. Gutturis uero musculi sunt duo

» musculi gutturosi, qui sunt duo musculi apud gulam positi
» in transglutiendo adiuuantes. Hæc Auicenna. Par autem musculorum, de quo dicit se fecisse mentionem in capitulo de epiglotto, est illud par de quo in præcedenti capite dixit, quod eius origo est interius in thorace, et uadit ad peltalem, & est secundum par apud Galenũ dicentem, quod alij duo musculi nascantur à lateribus & inferioribus partibus cartilaginis, scuti formam habentis, quam cartilaginem peltalem Auicenna nominat, & dicit terminari ad pectus: Licet Auicenna in hoc à Galeno discors, ubi est terminus istorũ musculorum, ibi originem ponat, & contra illuc tendere dicat, unde oriuntur. Simili errore discordat etiam in secundo pari, quod est primum apud Galenum, quod Auicenna ait etiam ex thorace nasci & releuari, & cum lauda continuari primo, postea cum gutture, & trahere ipsum ad inferiora: cum tamen Galenus dicat hos duos musculos ortum habere ex inferiore termino ossis, habẽtis formam literæ ν psilon, & deinde latos secundum longitudinem totius tracheæ pectori innasci. Quæ Galeni uerba non parũ differunt à uerbis Auicennæ, dicentis eos eleuari, & cum lauda primum continuari, postea cum gutture. Nec solũ in ortu & termino horum musculorum Auicenna à Galeno discrepat, sed etiam in utilitate, quoniã Galenus uult eos esse factos ad contrahendam atque angustandam tracheam arteriam: Auicenna autem ad trahendam eam inferius, in quo etiam usu, sicuti etiã in origine, & fine, licet Aliabas uideatur Auicennæ adstipulari, ego tamen in hijs quæ ad anatomicem attinẽt, maiorem præsto Galeno, autori in hac parte medicinæ peritissimo, quàm Arabibus autoribus fidem, cum Auerrois in eadem gente autor eximius, ingenue fateatur, hanc ipsam medicinæ partem suo tempore fuisse ignoratam, & alioquin Galeni acerrimus æmulus, ipsa tamen cogente ueritate concedat

Auerrois.

cedat, ipsum uel Aristoteli in anatomice esse præferendum. Sed hæc obiter dicta sunt, uolentibus nobis expositionem Gentilis super prima gutturis acceptione refellere: Quæ præterquã quod & Galeno, & etiam Auicennæ repugnat, plures etiam alias habet difficultates. Quæri enim à Gentile posset: Si guttur accipitur primo Canonis, Fen prima, capite De anatomia musculorũ, pro corpore aggregante epiglottum, & meri, quod in transglutione mouetur sursum ac deorsum, cur Auicenna eodem capite sex tantum duorũ corporum musculos enumerat? cum musculi alterius tantum, scilicet epiglotti, secundum Galenum sint ferè XX, secundum autem Auicennam XVIII: quibus si addantur duo adiuuantes deglutionem, fient secundum alterutrã opinionem uel XX, uel XXII. Quod si respondeat, Auicennam eodem capite tantum de hijs musculis agere, qui mouent corpus aggregans epiglottum & meri tempore deglutionis, & non alios alijs, uel meri, uel epiglotti motibus seruientes, Gentilem insuper altera quæstione uexabimus, cur Auicenna duo tantum paria nominet musculorum, quæ guttur trahunt ad inferiora, & non etiam totidẽ alia, quæ ipsum trahunt ad superiora: siquidem guttur, hoc est corpus aggregãs epiglottum atq; meri, mouetur sursum ac deorsum tempore deglutionis: Impossibile enim uidetur ut duo motus contrarij per eosdem musculos fiant, cum unusquisq; musculus uersus proprium principiũ referat particulam quam mouet, ut Galenus & libro XI de utilitate partium, & pluribus alijs edocet locis. Velim ut Gentilis uiueret, ut hijs meis quæstionibus uel dubitationibus respõderet. Sed quod mortuus non potest, Plinij patronus uiuẽs pro Gentile respõdeat, quando quidẽ & ipsum similes angunt quæstiones, qui in sua Anatomice epiglottidis, gutturis ac gulæ triginta duos musculos enumerat, nec quot epiglottidi,

Galenus in anatomice præferendus Aristoteli.

glottidi, quot gutturi, quotúe gulæ, ſingulis ſcilicet ſeorſim aſſignet, nobis inſinuat. Quod ſi per guttur tracheam intelligit arteriam, & ſuperiorem eius terminũ, quod Græci & laryngen, & bronchi caput aliquando nominãt, erunt ipſius idem arteriæ muſculi quatuor, ut ſupra monſtrauimus, ex Galeni atq; Aliabatis autoritate: laryngis uero ſecundum Galenum XX ferè numero, ſecundum Auicennam autem, qui larynga epiglottũ nominat, XVIII. Quare ſimul uincti erunt uel XXIIII, uel XXII. Decem ergo ſupererunt epiglottidi & gulæ diſtribuendi. Sed Plinij patronum ſeorſim interrogabo, apud quem autorem legerit epiglottida, quam Plinius nominat linguam minorem, habere muſculos: an apud Auicennã primo Canonis, Fen prima, capite De anatomia muſculorum epiglottis? Verũ Auicenna in hoc capite, ſicuti & in alijs, in quibus de epiglotto facit mentionem, per epiglottum non linguam minorẽ intelligit, ſed larynga, hoc eſt membrũ conſtans ex tribus cartilaginibus: creatum, ut inquit, ut ſit uocis inſtrumentum. Quod etiã Galenus de larynge, non autẽ de lingua minore dicit, quod idem de broncho in gutturis ſuprema parte ſito

» ipſe Plinij patronus per hæc uerba innuit: Bronchus in
» gutturis ſuprema parte ſitus eſt, pelliculare membrũ, muſcu
» loſum, neruoſum, cartilaginoſumq;, ut argutius ſit, in quod
» percuſſus ſpiritus, ſonus aut uox ipſa perfectius elidatur.

Equidem neſcio quo pacto poſſit ſe Plinij patronus à tam craſſo errore defendere, niſi plane deficiat ad barbaros, & ſe per epiglottida non minorẽ linguã, ſeu operculum quoddam tracheæ arteriæ, ut antea epiglottida expoſuit, ſed id uocis inſtrumentũ, quod illi abutentes uocabulo epiglottum appellant, dixerit intellexiſſe: Sed quantumuis transfuga, neq; ſic noſtræ obiectionis laqueos effugiet: ſic enim & epiglotto uocis inſtrumẽto principali XX, ut uult Galenus, muſculi

muſculi contribuentẽ, tracheæ arteriæ quatuor. Quare ex triginta duobus muſculis epiglottidis, gutturis ac gulæ, reſtabunt octo gulæ ſeorſim aſſignandi. Gulã autẽ, ſiue ut Græci loquuntur, iſophagum, aut meri, ut Arabes, octo habere muſculos neque apud græcos autores, neque apud barbaros uſquam Plinij patronus, quantumuis ſtudeat, poterit reperire. Quo fit ut multis modis Plinij patronus aberret, cum etiam muſculos epiglottidi attribuat: quos, ſi recte loqui uolebat, broncho debebat tribuere. Quanquam etiam in broncho delinquat: nam id membrum pelliculare, muſculoſum, neruoſum, cartilaginoſumq;, præcipuum uocis, de quo ipſe loquitur, inſtrumentum, non bronchus à Græcis, ſed bronchi caput nominatur: Quoniam, ut inquit Galenus, & ipſam arteriam bronchum nominant. Quare cum Plinij patronus ſcribit bronchum eſſe in gutturis ſuprema parte conſtitutum, nihil aliud dicit, niſi guttur eſſe in ſuprema gutturis parte: ſiue tracheam arteriam in ſuprema arteriæ parte, rem dictu ridiculam, conſtitutum: Nam ſecundum Plinij patronum, tracheã arteriam Latini proprio uocabulo guttur nominant. Et hæc quidem priuatim contra Plinij patronum, uel male muſculos ſupputantem, uel barbaris utentem uocabulis, ſint à nobis dicta. Communiter autem contra ipſum atque Gentilem, imò omnes ferè medicos barbaros, & recentiores, qui barbaram medicinam ſequuntur, illud de gula, ſiue meri dicere poſſumus, quod etiam de epiglottide, id eſt minore lingua diximus, gulam, aut iſophagum, aut meri, quocunque nomine, uel græco, uel latino, uel barbaro uocare libeat, nullos habere muſculos motui illi obſeruientes, quo gula deorſum fertur. Larynx autem, aut epiglottus, aut guttur, hæc enim omnia nomina illi inſunt membro, præcipuo uocis inſtrumento, quod male à Plinij patrono bronchum

appellari

appellari diximus, cum sit non bronchus simpliciter, sed bronchi, id est asperæ arteriæ caput, sursum mouetur tempore deglutionis: Is enim motus est mere naturalis, non autem, ut medici iuniores sentiunt, ex naturali & animali compositus: Quare ad eum nulli musculi sunt necessarij, sed illi tantũ quos Græci Inas, medici recentiores uillos, per quos uis attractiua naturalis suum exercet opus. Et hoc est proprium Galeni dogma, quod multis in locis librorum suorum de uirtutibus naturalibus manifestat: Quare nusquã in suis de anatomice libris, siue alijs, in quibus de uarietate loquitur musculorum, ullam facit de musculis isophagi, id est gulæ mentionem. Sed neq; Auicenna ipse primo Canonis, ubi de omnibus musculis per singula membra tractat, copiosius meri musculos nominat alicubi, sed solũ musculos gutturis, quos dicit adiuuare deglutionem: per guttur pharynga seu fauces intellígẽs, ut antea declarauimus. Aliabas quoq; tertio Theorices de lacertis meri nec unum facit uerbum, sed tantum de lacertis gurgulionis, hoc est faucium, ut etiam supra monstrauimus, quos dicit seruire deglutioni. Aliud autẽ esse fauces, aliud meri etiam supra docuimus, cum ex Galeni autoritate fauces ad os, meri autem ad collum pertinere ex Galeni probauimus autoritate. Auicenna etiam Fen XIII libri tertij, capite quarto De causis impedientibus deglutiones, inter alias causas quæ sumuntur ex ipso meri, uel ex membris uicinis, si putasset musculos ineſse meri, debuit etiam illorum paralysim, quæ posset accidere, connumerare: Cur enim non ita de musculis meri sicuti de musculis epiglotti, qui aliquando absceſſum, siue apostema patiuntur, atq; ita sui uicinitate ad meri difficilem faciunt deglutionẽ, nihil fuerit Auicenna locutus, nulla alia causa potest assignari, nisi quod nouerat epiglottum multos habere musculos, meri autem musculos ignorabat.

Non me tamen latet, Auicennã, si non loco allegato, alibi tamen aliquando meri musculos nominare, atq; ideo uideri in hijs sibi quodammodo repugnare. Nam idem Auicenna primo sui Canonis libro, Fen prima, capite ultimo, doctrinæ sextæ, aperte dicit transglutionẽ duabus compleri uirtutibus, quarum una est attractiua naturalis, & altera attractiua uoluntaria: & prima quidem suam complet operationem per uillum, qui secundum longitudinem protenditur, qui est in ore stomachi & isophago: & secunda completur operatio per uillum lacerti transglutiendi. In quibus uerbis uidetur innuere Auicenna, isophagum, siue meri ita habere uillos instrumenta uirtutis motiuæ animalis, sicuti etiã naturalis, nisi quod hoc in loco uillos lacerti, non lacerti meri, sed potius faucium, qui adiuuant deglutionem potuit Auicenna intellexisse. In eandem ferè sententiã de duabus uirtutibus, altera naturali, altera animali adiuuantibus deglutionem loquitur Auicenna libro III, Fen XVI, tractatu primo, ubi secundam causam assignat, cur meri sit dilatatus, hijs uerbis: » Et secunda est causa, quod penetranti in » meri non attribuitur ex uirtutibus naturalibus nisi uirtus » una, quamuis uoluntas adiuuet ipsum ex parte una, & est » attractiua. Adiuuat ergo aperiẽdo uiam & dilatando ipsam. Apertius autẽ circa finem eiusdem capitis Auicenna ostendit in meri esse lacertum, & consequi motum uoluntarium, » scribens in hunc modum: Et non mouetur aliquod istorũ » membrorum, quæ sunt uia cibi per lacertos, nisi duo extrema, scilicet caput, & est meri: & inferius, & est ficteri. In quibus tamen uerbis uidetur Auicenna oblitus eorũ, quæ scribit Fen XVI eiusdem libri III, de quadam colica, per modum criseos ad paralysim intestini colon, cum sensus incolumitate terminante: nam si talis terminatio, ut ita dixerim, per modum criseos fieri potest, ut eodem in loco concedit

Auicenna, sequitur necessariò, quod ex membris quæ sunt uia cibi, cuiusmodi sunt intestina, non solum meri & fictoris, sed etiam colon intestinum per lacertos moueatur: alioqui non posset pati paralysim manente sensus incolumitate: Si quidem paralysis aut sensum offendit, aut motum, aut utrunq;. Sed hunc Auicennæ errorem, & unde habuerit occasionem, nos alibi latius manifestauimus. De lacertis etiã intrinsecis meri, in quibus uult Auicenna fieri tertiam speciem suffocationis apostemosæ, loquitur libro pariter III, Fen VIII, capite III De suffocationibus. Ex quibus omnibus locis à nobis in medium adductis probari potest, Auicennã uoluisse meri habere lacertos, atq; ita moueri ipsum, non modo ex sua ui naturali, sed etiam animali, quæ per lacertos operatur. Quot tamen sint isti lacerti, & in qua parte tunicæ sint, intrinseca, an extrinseca, nihil in suis libris, quod equidem scio, scriptum reliquit: sicuti neq; Aliabas, qui solum de musculis loquit̃ gurgulionis, & uoci, & deglutioni seruientibus. Quos si quis in meri corpore uelit collocare, sequetur, nõ modo tracheam arteriam & eius caput, quod Arabes epiglotton nominant, sed etiã isophagum, siue meri, & eius itidem caput, siue orificium esse uocis instrumentum, quod de arteria quidem atq; epiglotto omnes medici, atq; philosophi fatentur. De meri autẽ & eius orificio, quod solis cibis ac potibus natura fabricauit, nemo ausus est scribere. Hunc Auicennæ errorem, uolentis meri habere musculos intrinsecos, ex quorum tumore, siue apostemate animal stranguletur, secutus est Iacobus Foriliuiensis, in expositione aphorismi IIII particulæ aphorismorũ, cuius aphorismi initium: „ Si à febre habito, tumore non existente in „ faucibus. Vbi idẽ Iacobus quatuor species enumerat squinantiæ, & tertiam numero ponit illam, quæ fit in lacertis intrinsecis meri. Est autem error Iacobi eo in loco geminatus, quoniam

Paralysis.

quoniam non modo falsõ musculos meri intrinsecos nominat, qui nulli sunt, sed falsõ etiã allegat & Hippocratem III prognosticorum, & Galenum IIII interiorum, de tali specie squinantiæ, intrinsecos meri musculos obtinẽte, mentionem facientem: cum tamen neq; Hippocrates, neq; Galenus in expositionibus suis, siue in III librũ prognosticorũ, siue in aphorismum ante allatum, neq; etiam libro IIII interiorum, ubi & ipse quadripartitam secundum medicos facit anginæ diuisionem, quiecq; de tali specie loquantur, in qua musculi intrinseci isophagi, siue meri sint apostemati: liceat enim mihi contra barbaros disputanti, eisdem aliquãdo uti, quibus illi in omni suo sermone utuntur uocabulis: Nam à barbaris medicinæ autoribus, nõ in nominibus, sed in rebus magis ipsis dissentio, & eis non uocabulorũ, sed anatomices potius adscribo ignorantiã, quoniã meri musculos tribuũt, quos meri non habet, ueluti intrinsecos. Si qui uero musculi sunt extrinsecus ipsum contingẽtes, duo in parte anteriori uersus guttur, duo in parte posteriori uersus colli uertebras, neutrum par seruit motibus meri, sed alterum quod contingit anterius, motũ præstat cartilagini gutturis, quæ clypealis nominatur: alterum uero contingens exterius, ad colli facit flexiones, ut ex Galeni anatomicis, & libro VII de utilitate partium licet perpendere. Quare relinquitur, motũ meri per se, & non per aliud esse solummodo naturalem, ut aperte sentit Galenus libro IIII de potentijs naturalibus, uel ipsum potius præstare musculi in animalibus ministeriũ, quàm moueri per musculos. Vt hoc quoque posse aliquos existimare libro primo de motibus musculorũ nobis Galenus insinuauit. De uirtute autẽ attractiua naturali, quã nos solã absq; animali putamus inesse meri, seu græce isophago uelimus dicere, aut latine gulæ, etiam Plinij patronus in sua anatomice loquitur, quem ubi de Auicenna, aut aliorũ medicorũ erroribus agitur, nolumus intactum præterire, ut illi

ſtimulos inijciamus, nõ modo Plinium, ſed unà ſe atq; alios medicos, qui ſimilium à me redarguuntur errorum propugnandi. Hic igitur Plinij patronus libri ſui de anatomice
» III, capite XVII, de gula ſcribit hæc uerba: Ea duplici
» membrana conſtat, uarioq; uillorum ordine: altera ſtamine
» per latitudinem procedente cibum expellit, qui cum attra-
» hitur, cedit, nec lædítur: altera uero interior deorſum trahit
» uillorum oblongo ſtamine cibum: ea uis catheltice dicitur
» faucium peculiaris, qua in epulando craſſam, congeſtamq;
» materiã per faucium anguſta ſarcimus. Equidem hominẽ laudo, qui in actu deuorandi nullã aliam uim gulæ tribuit, præter naturalem, quam Græci catheltícem uocant, uillorũ oblongo ſtamine cibum trahentem. Verũ alteri ſubijcitur notæ, quia cum alio loco ſui operis ita muſculos gulæ, ſicuti epiglotti, & tracheæ tribuat arteriæ, cenſeri poteſt putare naturam aliquid feciſſe fruſtra, gulæ ſcilícet muſculos: Ad quẽ enim uſum illos gulæ natura dedit, niſi uel ad attrahendum, uel expellendum cibum? Niſi forte crediderit uillos oblongos membranæ interioris, aut latos exterioris eſſe uillos muſculorum utriuſq; membranæ propriorum: quæ falſa fuerit exiſtimatio, & tam Galeno quàm etiam Auicennæ contraria, qui uolunt eoſdem uillos duabus ſeruire uirtutibus naturalibus, alteri attractiuæ, alteri expulſiuæ nominatis. Verba autẽ illa quæ poſtea Plinij patronus eodem in loco ſubiungit, in deuorando enim guttur, cuius pars gurgulio eſt, ſurſum uerſus gulam trahit, neſcio quem ſenſum habeant, niſi uelint illum motum ſignificare, de quo Gentilis loquitur, cum ſcribit guttur aliquando accipi apud Auicennam pro corpore aggregante epiglottum & meri, quod in tranſglutione mouetur ſurſum & deorſum. Per gurgulionem autem puto Plinij patronũ intelligere partem illam ſupremam tracheæ arteriæ, quam Arabes epiglottum, Græci larynga nominant,

nominant, præcipuum uocis inſtrumentum. Vtrum autẽ hanc partem uir, qui non modo medicus, ſed etiam latinus medicus in ſuo ſermone haberi uelit, & minime barbarus, recte gurgulionem nominauerit, nolo in præſentia diſputare: quoniam omnis de nominibus diſputatio, ut Plato inquit, eſt ſuperuacua: hijs præſertim quibus magnarum rerum inueſtigatio proponitur: niſi forte quis rem parui momenti putet, ſcire quomodo cibus aut potus deuorentur. *Diſputatio de nominibus ſuperuacua.* Ego contrà merito puto illos eſſe deridendos, qui cum hæc neſciant, id eſt ſeipſos ignorent, ſperant ſe altiora poſſe perueſtigare, quæ humanis ſenſibus patere nequeunt. Hic tamen quem dixi motus, de quo Gentilis & Plinij patronus, ut arbitror, loquitur, non paruam habet difficultatem propter ambigentes medicorum ſententias, licet omnes ferè recentiores in hoc uideantur conuenire, quod cum cibus deuoratur, gula ſiue meri, ſimul cum epiglotto uerſus fauces & os mouentur. In qua hæreſi eſt etiã Plinij patronus, quãuis in parte euariet, quoniam ipſe ait guttur, cuius pars gurgulio eſt, in deuorando ſurſum uerſus gulam trahere. Contrà Mundinus, atq; omnes ferè recentiores Auicennæ expoſitores Mundinum ſecuti ſcribunt, quod epiglottus hora tranſglutionis nõ mouetur ſurſum, quia aliquo modo moueatur ex ſe, ſed quia trahitur ab iſophago. Quare ſecundũ ipſos, & Galenum etiam, quem citant in libro de motibus liquidis, non gurgulio pars gutturis, ſiue epiglottus, in hora deglutionis ſurſum uerſus gulam trahit, ſed gula potius eadem hora ſurſum uerſus trahit epiglottum, quem Plinij patronus neſcio an recte, ut dixi, nominet gurgulionem. Hanc autem eſſe Mundini ſententiam indicant eius uerba, quæ cauſam etiam huius motus epiglotti non ex ſe, ſed ex
» accidenti afferunt. Sunt autem hæc: Verum eſt quod me-
» ri agiliter ſeparatur à trachea uſq; ad epiglottũ: ibi uero diffi-

» culter: propterea qa tunica meri díſperſa eſt in epíglotto,&
» ídeo ab eo non facile ſeparatur:& hoc fecit natura ſagaciter
» ad hoc, ut ín hora tranſglutionis cum meri eleuatur ad os
» ad attrahendum cíbum,epiglottis etíam eleuetur,ne ſuí du-
» rície & ſoliditate impediat tranſitum cíbi:& iſta continuatio
» non fuit neceſſaría in tota arteria, quía ipſa ſecundum totũ
» præter epiglottum non eſt cartilagínoſa. Et ex hac anatomía
» manifeſtatur ſententía Galeni ín libello de motibus líquí-
» dis, quod epíglottis hora tranſglutionis non mouetur ſur-
» ſum, quía alíquo modo moueatur,nec ex ſe,ſed quía trahí-
» tur ab iſophago propter continuationẽ dictam. Hæc Mun-
dinus Galenũ citans, & tamen ín multis ab eodem Galeno
diſſentiens. Tunica enim de qua loquitur, per quam meri
epíglotto continuatur,per totam extenditur tracheam arte-
ríam & totum epíglottum, atq; etiam ín partibus interiorí-
bus:per fauces autem & os & línguam in partibus exterio-
ribus, ut plane Galenus oſtendit circa ínitía ferè libri VII,
de utilitate partíum. Quare hæc duorũ membrorum per tu-
nicam unam continuatio longius extenditur, quàm Mun-
dínus opinatur. Hac eadẽ ínteriorí parte meri uíllos habente
oblongos, quíbus attrahít cibum, fieri non poteſt, quin
tempore deglutionis ijdem uílli contrahantur,& longitudo
meri eodem tempore abbreuíetur:Quare fit ut tantum epi-
glottus ſurſum uerſus retrahatur, quantum meri ad inferío-
ra deglutiendo mouetur. Hos autem motus & deſcenſus
meri,& aſcenſus epiglotti, quodam in loco ſuæ anatomices
Galenus comparat ſimilibus motibus in inſtrumento, quo
aqua exhauritur è puteo apparentibus: Nam in deſcenſu
uaſis lígnum,cui uas per funem alligatur,aſcendit: uaſe au-
tem aſcendente lígnum deſcendit. Sic enim etiam,ut ínquit
Galenus, ſtomacho uel iſophago à deglutione ceſſante,la-
rynx,ſiue epiglottus manifeſte uídetur ad inferiora deſcen-
dere.

dere. Hic ergo eſt ille motus per accidens, quo Galenus dí-
cit in libro De motibus líquidis, epiglottum moueri tem-
pore quo cíbus douoratur,haud quaquã talis qualem Mun
dínus,atque Gentilis uídentur imaginarí,attollente ſe ſcílí-
cet ad ſuperiora meri, etíam epíglottum attolli,& ſe demit-
tente demitti.Imò ut ex uerbis Galení lícet conijcere,obuer
ſus omnino,neque etíam hij duo motus aſcenſus & deſcen
ſus meri,atque epíglotti ſunt motus animales, hoc eſt facti
per muſculos, ut etiam uiſus eſt exiſtimaſſe Gentilis, cum
dixit guttur alíquando accípi pro corpore aggregante epí-
glottum,et meri,quod ín tranſglutione mouetur ſurſum &
deorſum,& ſic ſumi primo Canonis,Fen prima,capite De
anatomía muſculorum gutturís: ſed potíus naturales, hoc
eſt,facti uírtute uíllorum meri,qui ín ſe contrahuntur tem-
pore deglutionis,& ea ceſſante relaxantur,lícet motus meri
ſit per ſe, motus autẽ epíglotti ſit ex accidenti,ut etiam Ga-
lenus ſentit líbro de motibus líquidis. Míror autem Genti-
lem,dílígentem alioquín Auícennæ lectorem,atque etiam
expoſitorem, hos motus aſcenſus atque deſcenſus, tam in
epíglotto,quàm etíam meri,non animaduertiſſe, ac ſaltem
Auícenna docente dídiciſſe, non ui animalí fieri muſculo-
rum, ſed naturalí potíus uíllorum tunícæ ueſtientis os meri
& epíglottum,quando & ipſe Auícenna hoc ipſum docet,
Fen XIII, líbrí III, capite primo De anatomía meri & ſto
machi, ubi cauſam reddit, quare hæc tunica ita ueſtiat par-
tem interiorem meri, ſicuti & epíglotti & oris,ut díximus,
» exteriorẽ,in hunc modum ſcribens: Et non ueſtitur ínte-
» rior pars eius panniculo extenſo uſq; ad poſtremũ ſtomachi
» adueniente ei ex panniculo tegẽte os,niſi ut attractio ſit con
» tinua, & adíuuet ad ſubleuandum epíglottũ ad ſuperiora,
» tum fit deglutio cum extractione meri ad inferiora. Idem
Auícenna non multo poſt eodem capite ſcribit hæc uerba:
Et eſt

» Et eſt ex duabus tunicis, quarum interior longitudina-
» les habet uillos, propter illud quod ſcitur de neceſſitate at-
» tractionis, & propter hoc contrahitur ſtomachus, cum fit
» deglutio, & eleuatur epiglottus. In hijs enim uerbis Aui-
cenna nihil aliud uoluit niſi quod Galenus inſinuare, quod
cum meri deſcendit in deglutione epiglottus aſcendat, &
contrà. Vtrunque autem motum eſſe naturalem, utpote fa
ctus à panniculo, ſiue uillis panniculi tegentis os, atq; me-
ri, & ſtomachum, atq; unà epiglottum: alioqui epiglottus
ad motum meri per accidens non moueretur, niſi & ipſe
quoque in hoc panniculo cum eodem meri cõmunicaret.
Miror inſuper Plinij patronum rem diuerſam ab omnibus
alijs, qui de anatomice ſcripſerunt, in ſua anatomice ſcribe-
re nõ dubitaſſe, guttur, cuius pars gurgulio ſit, in deuoran
do ſurſum uerſus gulam trahere, cum ſecundum Mundi-
num non epiglottus gulam, ſed gula aſcẽdens epiglottum
faciat aſcendere. Secundum autem Galenum atq; Auicen
nam, gula ſiue meri ſe contrahendo deſcẽdens epiglottum
cogat aſcendere: Secundum Gentilem uero epiglottum
& meri ſimul in tranſglutione ſurſum moueantur aut de-
orſum: Nam ſi eoſdem muſculos habent ſuis motibus ſer
uientes, ut planè Gentilis uidetur exiſtimare, non equi-
dem uideo, qui aliter poſſit hic motus corporis epiglottum
atq; meri aggregantis contingere, cum præſertim muſculi
ſemper ad ſua principia referant eam quam mouent parti-
culam, ut etiam fuit ſuperius à nobis contra eundem Gen
tilem ex Galeni autoritate argumentantem demonſtratũ.
Idem tamen Gentilis Fen x, tertio, capite de anatomia epi
» glottis & cannæ ſcribit hæc uerba: Conſiderandũ q; pars
» cannæ pulmonis, quæ dicitur epiglottũ, ubi non eſt iſta di-
» minutio cartilaginis in hora deſcenſus boli aſcẽdit ſurſum,
» & ideo ipſa non comprimitur, ſiue à bucella, & ideo non
dolet

» dolet homo, neq; nocetur anhelitus, ſed totam cannam non
» fuit poſſibile ſuperius trahi, & ideo ne fiat coniunctio boli
» tranſeuntis in actu anhelandi, & ne preſſura fiat in canna,
» non fuerunt perfectæ circulationis. In quibus uerbis uiſus
eſt & ipſe Gentilis cognouiſſe, cum bolus deſcẽdit, epiglot-
tum aſcendere. Vtrum uero epiglotto aſcendente meri de-
ſcendat, uel unà aſcendat, ut Mundinus putauit, nec qualis
ſit iſte motus, an naturalis, an animalis, ex uerbis hijs poſſu
mus exploratum habere, ſicuti ex primis de gutture acce-
pto pro corpore aggregante epiglottum & meri, quod in
tranſglutione mouetur ſurſum & deorſum, idem uidetur
cum Mundino ſentire: ac præterea huiuſcemodi motũ fieri
uirtute muſculorũ, cum alleget Auicennã primo Canonis,
Fen prima, capite De anatomia muſculorũ: Ex qbus qua-
tuor trahunt guttur deorſum, duo uero adiuuant deglutio-
nem. Quare diligẽtius conſiderantes, inueniemus inter pri-
mæ expoſitionis uerba, atq; ſecundæ contrarietatem. Secun
da enim nobis innuit aſſenſum epiglotti cum bolus deſcen-
dit eſſe naturalem. Siquidem, ut antea declaratũ eſt, huius
motus cauſa ſunt uilli oblongi tunicæ interioris meri, quæ
etiã tunica eſt epiglotto cõmunis. Prima uero, ut probaui-
mus, oſtendit eundem motum eſſe animalem, quod ſecun-
dum medicos, qui uim animalem à naturali diſtinguunt,
nõ poteſt contingere, licet duæ uirtutes ad eundem motum
peragendum poſſint coniungi: quemadmodum ad leuan-
dam aluum inferiorem ſimul agunt & uis naturalis expul-
ſiua inteſtinorum, & uis animalis muſculorum, qui in parte
uentris ſuperiore collocantur: quas duas uirtutes nos etiam
opus deglutionis adiuuare concedimus, & tamen negamus
meri habere muſculos, ſicuti neque inteſtina habent, præter ultimum, rectum nominatũ, qui in ultima ſui parte quæ ſe-
des appellatur, muſculũ habet, qui prohibet ne nobis inuitis ſum.

Rectum inteſti num muſculo-

exeant excrementa alui inferioris. Quare Galenus libro VI De membris passis, siue De interioribus, ut nũc inscribitur, dixit deiectionẽ alui partim esse naturalem, partim animalem, & tamen motum quo alimentum, chylus uidelicet, à uentriculo fertur ad intestinũ ieiunum, & ab illo ad tenue, dixit esse mere naturalem, quoniam in hoc uirtus motiua animalis non operatur, cum hæc intestina non habeant musculos: sic & nos motum cibi ab orificio gulæ usque ad fundum uentriculi, eadem ratione dicimus esse tantummodo naturalem, & uim animalem nullum in hoc habere locum, sed tantũ in admouendo cibum ad gulæ orificium. Ad hoc enim & motus linguæ, & musculi duo in faucibus collocati operantur, atq; eatenus deglutio potest dici motus animalis, quia hac operatione non præcedente, non posset cibus postmodum ui naturali attractiua meri ad inferiora descendere: & hoc est quod puto uoluisse Auicennã dicere, cum
» dixit Fen prima, primi, capite De operationibus: Et similiter transglutiendi operatio duabus cõpletur uirtutibus, unà
» est attractiua naturalis, & altera est attractiua uoluntaria: &
» prima quidem suam complet operationem per uillum, qui
» secundum longitudinẽ protenditur, qui est in ore stomachi
» & isophago, & secundæ completur operatio per uillum lacerti transglutiendi. Vellem autem, ut in hoc loco Auicenna sicuti nobis declarauit id quod non erat admodum obscurum, ubi scilicet esset locatus uillus oblongus, per quem uirtus attractiua naturalis suam exercet operationem, quẽ dixit esse in ore stomachi & isophago, ita quod magis latebat aperuisset: positum scilicet uilli lacerti transglutiendi, an esset in isophago, an in pharynge, id est, faucibus, in quibus illum Galenus procul dubio collocauit, ut satis fuit à nobis supra declaratum. Quãuis Auicenna postmodum libro III eum in capite meri esse nobis insinuauerit, ubi scribit ea uerba, quæ

» ba, quæ etiam supra recitauimus: Et non mouetur aliquod
» istorum membrorũ quæ sunt uia cibi per lacertos, nisi duo
» extrema, scilicet caput, & est meri: & inferius, & est ficteris.
Pharynx autem nõ est isophagi, siue meri caput secundum Galenum, sed illud spacium oris ad quod caput meri terminatur, ut etiam supra à nobis fuit declaratum. Miror autẽ de expositoribus Auicennæ, tam uetustioribus quàm recẽtioribus, qui in hijs in quibus sunt Galenus atq; Auicenna concordes, sicuti in contractione stomachi tẽpore deglutionis, & eodem tempore eleuatione epiglotti, ab eorum cõmuni opinione recesserunt. Vbi autẽ fuere discordes, sicuti in musculis faucium atq; meri, nullam inter eos discordiã notauerunt, neq; duos medicinæ principes in eandem studuere reuocare concordiã, cui præcipue studio cum Iacobus de partibus nouissimus Auicennæ expositorũ uideatur incumbere, in hac parte uisus est quodãmodo dormitare, quasi Auicennæ consentiens, & idem putans Galenũ atq; Auicennã de hijs musculis dicere, qui sint harum extremitatũ proprij, alterius superioris, quæ uocatur caput meri, siue gulæ: alterius inferioris, quæ à iunioribus medicis partim barbare, partim latine loquentibus, nominatur anus, atq; ficteris. Idem tamen Iacobus primo Canonis, Fen prima, capite De anatomia musculorũ, id in quo Galenus atq; Auicenna conueniunt, de motu epiglotti sursum uersus, & motu isophagi uersus deorsum tempore deglutionis animaduertit, & Galenũ allegat super hijs motibus VI De iuuamentis membrorũ. Verum & ipse, sicut etiã Gentilis nõ meminit se postea III Canonis, eosdem motus cõtrarios, meri scilicet atq; epiglotti, non musculis, qui sunt uirtutis motricis animalis instrumenta, sed magis uillis tunicæ meri interioris, qui uirtute attractiuæ naturali obseruiunt, contribuisse. Quare diligẽtius cõsiderãtibus, doctrina Auicennæ cũ tot expositoribus, qui

partim alij ab alijs, partim ijdē à se ipsis in uarijs locis discordant, chaos quoddam uideri possit: qua confusionis obscuritate nihil possit esse humanæ uitæ periculosius. Nos sanè ad hāc amouendā atq; extirpandā, & nostræ ætatis hominibus lucē aliquā ueritatis aperiendā, partim librorū Galeni, medicorū principis, translationibus, partim in eosdem cōmentationibus die noctuq; laboramus. Quāuis certò sciamus nos hoc labore nostro apud illos, qui malunt didicisse q̄ discere, plus odij quàm gratiæ cōsecuturos. Sed iam ad id quod reliquum est nostri instituti redeamus: Erat autem nostrū institutū, non modo nos in hijs, in quibus fuimus à Plinij patrono notati, sed & unà Hermolaum, qui pariter accusatur, defensare: quamuis Plinij patronus meo nomini in sua parcat præfatione, Hermolao non parcat: siue quod maiorem gloriam ex Hermolai, quàm ex nostri æmulatione se assequi posse sperauerit, siue hoc nostræ amicitiæ dederit, quam illi gratiam rependimus, nusquam ipsum in toto opere nominantes, sed solum patroni Plinij appellatione insignientes. Hic ergo Plinij patronus etiam in lactibus accusat Hermolaum, tanquam inepte Theodorum excusantem. Sed quî potest esse inepta excusatio, cum uir doctus alterum doctrina parem, sicubi aberrantem animaduertit, quoniam humanum sit aliquando aberrare, idem erratum si non omnino uera, saltem probabili ratione defendit: ubi præsertim non rei inscitia, sed potius uocabuli fuisse deprehenditur, quam nos toties Plinij patrono in eius anatomice condonamus, non uocabulorum, sed rerum potius ignorantiam redargui in scribentibus debere iudicantes. Hoc tamen in loco sumus utrunq; facturi, hoc est, non tantum res, sed etiā nomina perscrutaturi, quādoquidem id faciendi nobis Plinij patronus dedit occasionem, qui Theodorum damnat non recte mesenterion lactes interpretantem, & Hermolaum

laum carpit in hoc Theodorum inepte, ut ipse inquit, excusantem. Vicinitatem membri, ait Plinij patronus in sua anatomice, dedisse quibusdam errorem, quo lactes pro mesenterio sæpe dixerint: hunc prius animaduerterat in Theodori trāslationibus Hermolaus, de quo mirari se dicit, quod lactes pro mesenterio acceperit. Si quis tamen Theodorum tueri uelit pro mesenterio lactes interpretantē: sciat, inquit, partem, & id quod continetur, pro eo quod continet acceptam. Sic quidem Theodorum Hermolaus excusat, uel potius dat alteri excusandi uiam, quā sicuti ego non omnino probo, ita Plinij patronus ineptam censet, ipse forte magis inepte iudicandus de mesenterio scribere, mesenterion id circo tale apud Græcos nomen adeptum, quod medium sit intestinum, cum mesenterium nō sit intestinum, sed potius in medio intestinorū collocatum: unde & illi apud Græcos nomen à positu scilicet suo, sicuti & alterum apud eosdem Græcos est à propria substantia sortitum, quod mesareon appellatur, quoniam omnes quæ ad ipsum ex epate uenæ feruntur unà cum adiacētibus arterijs circumquaq; ambit, atq; cōplectitur. Talem enim duarū appellationū Galenus noster in suis de anatomice libris rationem assignat, nec minus Plinij patronus in primi ex gracilioribus intestinis, qui unà cū alijs lactes complet, peccat nomenclatura, quod dicit pyloron à Græcis uocari, quod idē etsi Celsus dicat, & Celsum secutus Hermolaus, hoc tamen non adeo est illis errori tribuendū, qui plus eloquentiā, quàm medicinæ artem profitentur, quantū Plinij patrono, qui eiusdem professor artis Galenū magis atq; Auicennā, ubi ambo cōcordant, debuit in nominibus medicinalibus imitari. Vterq; autem autor pyloron, seu portonarium, sic enim Auicenna & medici iuniores Auicennā sectantes nominant, inter gracilia intestina non numerant. Sed primum quidem ex illis ait Galenus

Mesenterion unde dictum.

ἀνάφυσιν id est, exortum nominari, quia ex pyloro primus exoriatur, aut dodecatylũ, seu ut nunc medici loquũtur duodenum, quia ad longitudinem duodecim digitorũ extenditur. Auicẽna quoq; Fen XVI, tertij, capite De anatomia intestinorũ, quæ sunt numero sex, primũ ait esse duodenũ. Supra uero Fen XIII, capite De anatomia meri & stomachi scripserat de portanario & duodeno hæc uerba: Et in inferiore parte stomachi est foramen, cui cõtinuatur intestinũ duodecim digitorũ, & hoc quidem foramen nominatur portanarius, & est strictius foramine superiore, quoniã est transitus eius quod est contrariũ ei, & iste quidem meatus claudi-
» tur usq; quo completur digestio. Ex quibus Auicennæ uerbis, quæ hoc in loco scribuntur, duo elici possunt, quæ etiã Galenus sentit portanariũ non esse primum intestinũ, sed id foramen cui continuatur primum intestinũ, & esse situm in inferiore parte stomachi, ita quod potius esse ex substantia stomachi, cẽq; intestinorũ debeat iudicari. Licet de hoc idem Auicenna postea Fen XVI, capite antea allegato, contrarium determinauerit, scribens in hunc modũ: Et intestinũ
» duodenũ est fundo stomachi continuatũ, & habet orificiũ sequẽs stomachum, & nominatur portanarius. Item paulo
» inferius eodem capite De amplitudine orificij duodeni: Et
» eius quidẽ amplitudo est amplitudo orificij eius, quod no-
» minatur portanarius. Verum Auicenna præter id quod sibi ipsi uarijs in locis uidetur repugnare, est etiam in hoc Galeno contrarius, qui multis in locis innuit pyloron esse imam uentriculi partem, sicuti cum libro secundo Artis paruæ hominẽ pituitosum quotidie euomentem bilem, dicit huic affectui fuisse obnoxium, quoniã meatus qui bilioſum eructat humorem, nõ paruam huius partem ad pylorum uentriculi transmittebãt. Sed manifestius idem Galenus pylorũ esse ex substantia uentriculi non dodecatyli, seu duodeni declarat alijs

alijs uerbis libro VI De aggressibus anatomicis, in hũc modum scriptis: Statim autẽ uidebis, si diligẽtius animaduer-
» teris, in locis quæ portæ epatis nominãtur, meatũ qui ex bilis
» conceptaculo uenit ad exortum intestinorũ, nõ multũ post
» illum qui pylorus nominatur: Hunc autẽ ipsum pylorũ, in
» quibusdã animalibus uidebis crassiorem, habẽtem secundũ
» propriã circunscriptionem substantiã uentriculi, ubi primũ
» ex ea enascitur intestinũ. Nonnulli uero nondum eum intestini appellatione dignum putant priusq; implicari incipiat,
» ac propterea quidã uocant ipsum exortũ simpliciter: Non-
» nulli cum hac adiectione δωδεκάτυλον. Ex quibus Galeni uerbis, si quispiã diligentius ipsa perpenderit, id quod nos dicimus poterit intelligere, intestinum, quod à iunioribus duodenum nominatur, quod nõnulli ex uetustioribus neq; intestinũ appellandum esse iudicarunt, quoniam non esset implicitũ, diuersum esse à pyloro propriam habente substantiã, imam uentriculi partẽ, sed crassiorem, neq; ad pyloron, sed paulo inferius, hoc est, ad exortũ, siue duodenũ bilem transmitti per propriũ meatum, ab ea uesica quæ conceptaculum bilis nominatur prodeuntem. De quo meatu, unus ne sit, an geminus, & ad quẽ locum terminetur scio à medicis iunioribus pleriscq; ignorari, qui Mundinũ sequẽtes, putant meatum hunc circa sui initia esse unũ, demũ in processu in duos secari ramos, quorũ maior in pluribus hominibus feratur ad duodenũ, alter uero minor ad fundum stomachi, ut ex calore bilis ad eum peruenientis stomachus ad concoquendum cibum fortior efficiatur. De quo tamen usu Galenus neq; libro IIII De utilitate partiũ, neq; usq; alibi in suis scriptis fecit mentionem. Quin potius libro V De utilitate partiũ quærit, cur natura nõ æque meatũ fecit bilem importantem ad uentriculũ pertingẽtem, sicuti ad exortũ, siue duodenũ? Et respondet, non esse hoc naturæ negligentiæ adscribendum,

dum, ſed potius benignitati, quæ paruo cõmodo, quod ex tali meatu uentriculus erat aſſecuturus, aliud multo maius incõmodum noluit corrogari, continuã ſcilicet ciborũ euomitionem, quos flauæ bilis acritudine uentriculus irritatus non poſſet eo, quo concoqui debent tempore retinere. Sententia ergo Galeni eſt, quã etiam libro II De temperaturis, ſiue complexionibus manifeſtat, meatum hunc nõ ſemper eſſe duplicem, ut uidetur ſentire Mundinus, qui aliter neſcit ſoluere Galeni dubitationem III De uirtutibus naturalibus: quomodo per idem collum cyſtis fellis attrahit choleram & expellit, ſed aliquando ſimplicem, & cum ſimplex eſt ad inteſtinũ medium inter pyloron atq; ieiunum, id eſt, ad exortũ, ſiue duodenum peruenire. Cum uero duplex ſit, ramum eius maiorem ad ſtatim dictum exortum, ſeu duodenum pertingere, alterum autem minorem ad uentriculi fundum paulo ſupra pyloron, & hoc maxima ex parte. Raríſſime autem contingere, ut loca permutentur, & maior ad fundum uentriculi, minor uero ad exortum, ſiue duodenũ perueniat. Ex hac autẽ permutatione magnũ dicit accidere incõmodum, quoniã continuo uentriculus flauam recipit bilem, & ſubinde euomere cogitur, anteq; cibum aſſumat: quod ſi retineat, magnũ ex eo ſentit detrimentum. Quibus uero meatus eſt omnino ſimplex, hijs bilem uniuerſam Galenus inquit ad ieiunum defluere inteſtinũ. Ex quibus Galeni dictis poſſumus plura colligere: Primũ magis hominũ naturæ conuenire huius meatus ſimplicitatẽ, quàm duplicitatem. Secundo loco, ſi duplicitas adſit, conuenientius maiorem ramum ad primũ inteſtinum, exortũ, uel duodenũ nominatũ, peruenire: nam ſi contrariũ eueniat, eſſe naturæ multum aberrantis peccatũ, ſicuti parũ aberrat, cum ex ſimplici duplicem facit, & minorẽ tranſmittit ad fundum uentriculi, ut minus ei poſſit officere. Hanc autẽ Galeni opinionem,

de bilis

de bilis meatibus confirmant uerba Auicennæ libro tertio, Fen XV, tractatu De anatomia fellis in hunc modũ ſcribentis: Et pluribus hominibus eſt meatus unus continuus cum duodeno. Et paulo poſt ſubiungentis hæc uerba: Et non fuit creata in pluribus fellibus uia ad ſtomachum, ut lauarentur humiditates cum cholera, ſicuti lauantur humiditates inteſtinorum, niſi quia ſtomachus lædítur per eas & patitur nauſeam, & corrumpitur digeſtio in ipſo, per illud quod miſcetur cibo de humore illo. Idem Auicenna Fen prima, primi, doctrina quarta, capite primo, duas tantum choleræ exponit utilitates: unam, quæ eſt, ut ipſe ait, inteſtina à ſtercore & uiſcoſo phlegmate abluere: aliã, inteſtina ani & muſculos pungere, ut quid ſit ei neceſſariũ ſentiat, & egeſtiones emittat: Tertiam autem, quam Mundinus ſcribit, choleræ euntis ad fundum ſtomachi, ad confortandum digeſtiuam omnino Auicenna reticet. Quare friuſtra Auicennæ expoſitor, quicunq; ſit ille, cuius expoſitio cũ alijs habetur impreſſa in expoſitione primi capitis, Fen XV, tertij, ſcribit hæc uerba: Conſiderandũ primo, quod ſi cholera uadat ex felle ad ſtomachum, ſolum uadit ut digeſtionem iuuet, non ut abſtergat, uel mundificet: & ideo paruus fuit meatus, qui ex felle uenit ad ſtomachum. Sed in quibuſdam propter errorem in principio generationis econtra fit, ut hic Auicenna, & ſecundo de complexionibus Galeni. Hanc autem conſiderationem eſſe ſuperuacuã non ſolum Galenus libro ſecundo de cõplexionibus, ſed etiam Auicenna hoc loco demonſtrat, cum dicat in pluribus eſſe meatum unum continuũ cum duodeno, quod etiã Galenus innuit ſecũdo de complexionibus. Quod ſi ex uſu naturæ foret etiã alter meatus paruus, qui cholerã ad fundum ſtomachi deportaret, non eſſet in pluribus meatus unus, ſed duo: Etſi enim aliquando natura aberret in princi

pio generationis, in pluribus tamen sortitur finem quem intendit, sicuti in pluribus hominibus quinq; generat digitos, in paucioribus autem sex aut quatuor. Vellem autem ut expositor Auicennæ causam reddidisset, ob quam pauca quidem bilis per paruũ meatum transmissa ad fundum stomachi possit stomachum concalefacere, non possit autem ipsius abstergere superfluitates: uel omnino rationem attulisset, cur paruus igniculus sit necessarius illi membro calefaciendo, cui tot fornaces, omentum, splen, epar, & ipsum præterea cor, principium & fons caloris naturalis, suum calorem impertiuntur. Neq; enim temere Galenus dubitauit, non cur uentriculi calefaciendi gratia, sed cur eius superfluitates abstergendi, non ita ad ipsum natura meatum fecisset bilem apportantem, sicuti ad intestinum, à iunioribus medicis duodenum appellatũ. Nam secunda dubitatio non caret ratione, cum idem uentriculus plurimas adceruet superfluitates, & ut Auicẽna inquit, sit lacuna phlegmatis. Prima autẽ futilis uideri potest: est enim ac si dubitaret, cur foco ardenti parua stipula non adiungeretur. Causam autẽ ob quam Mundinus existimauerit solui dubitationẽ Galeni libro tertio De uirtutibus naturalibus, dicẽtis per idẽ collum attrahi choleram & expelli: quoniã, ut Mundinus inquit, idem est collum usq; ad quandam distantiam, postea bifurcatur: causam, inquam, talis solutionis ignorare me fateor: quoniam si aliquid ualeret, tunc oporteret etiã collum matricis esse bifurcatum, cum æque per ipsum attrahatur, expellaturq;, sicuti per collum uesicæ felleæ, siue cystis fellis: De utroq; enim collo Galenus loquitur tertio De uirtutibus naturalibus: Et per utrũq; uult fieri non minus expulsionem quàm attractionẽ, sicuti per eundem meatũ gulæ siue meri & cibus attrahitur, & aliquando expellitur, ut in uomitu cõtingit. Plinij autẽ patronus multo plus quàm

Mundinus

Mundinus aberrat: In sua enim anatomice hoc collum nõ solum bifurcauit, ut Mundini utar uocabulo, sed etiam trifurcauit. Nam primum ex ipsis in medium iecoris dicit deriuari, alterum euidentiorem deferri ad pylorum omnium maximum ad intestina productum, quæ lactes nominãtur. Ex secundo autem qui ad pylorum deriuat, tradi ait à quibusdam oriri alterum qui in imum stomachũ tendit, negari ab alijs. Hoc autem non esse perpetuum idem Plinij patronus asserit, & recte quidem: quoniã hæc quoq; est Galeni sententia, ut retro declarauimus. Non recte autem, atque omnino à Galeno dissone, præter illum qui defertur ad pylorum, alterum scripsit, & quidem maximum ad intestina produci, quæ lactes nominantur. Ex eorum enim numero præter ieiunũ & tenue, etiam pylorus est, qui duodecim digitorũ mensuram continet, ut Plinij patronus scribit capite De tribus intestinis gracilioribus, in quo etiã capite scribit ad hoc ipsum intestinũ meatum fellis pertinere. Quod cum scripsisset, non debuit postea alio capite, præter hunc meatum fellis qui fertur ad pylorum, hoc est, ad primum ex hijs qui lactes complent intestinum, alterum maximum facere, qui ad lactes producatur: quoniam antiqui medici, ueluti Galenus atque Auicenna, quemadmodum supra ostendimus, unum tantum fellis meatum prodidere, qui à uesica, quæ est bilis conceptaculum, ad primum intestinorum deriuat, quod Plinij patronus pyloron nominat, Galenus exortum & dodecatylon, Auicenna & reliqui medici iuniores duodenum. Quanquam sciam Plinij patronũ se posse in hoc Auicẽnæ autoritate defendere, qui tertio Canonis, Fen XVI, capite De anatomia intestinorũ, scribit cholerã citrinã uenire ad ieiunũ intestinũ. Vnde forte Plinij patronus possit argumẽtari, q̃ non ad pyloron solũ, sed etiã ad ieiunũ alter fellis meatus ꝓducat. Sed meminerit Plinij

patronus, non esse alium meatum intestino ieiuno necessarium, propter bilis flauæ receptionẽ, ad quem satis supercp de ea à primo intestino, siue pyloros, siue exortus, aut duodenum nominetur, descendit. Quare magis proprie Galenus loquitur, cum scribit libro secũdo De temperaturis, siue complexionibus, supra à nobis allegato, quibus sit iste meatus simplex bilem uniuersam ad ieiunum defluere. Magis, inquam, proprie quàm Auicenna loquitur, dum defluere, & non uenire talem humorem ad ieiunum scripsit intestinum, ut qui sciret esse potius eius humoris ex alio intestino superiore defluxum, quàm aduentum. Quod etiam scire oportuit Auicennã, ne alioqui uarijs locis contraria sentiret: siquidem idem Auicenna Fen xv, tertij, capite De anatomia fellis, scribit fellis meatũ in pluribus hominibus cum duodeno continuari. Et hæc quidem de meatibus bilis dicta sufficiant, in quibus Plinij patronus non parum, meo iudicio, ut antea ostẽdi deerrauit: & tãto minus, quàm alij medici, qui barbaram medicinam profitentes, ex malo intellectu uerborum Auicennæ atcp Galeni duos esse meatus etiam in naturali dispositione credidere: alterum, qui uadat ad pylorum, alterum ad duodenũ. Tanto, inquam, minus debet excusari, quanto ipse non barbarorũ, sed Galeni præcipue sectator, tum in alijs, tum in hijs quæ ad anatomicen maxime attinent uult existimari. Sed non minus idem Plinij patronus in ipsis intestinis, tum à uero, tum à Galeni sententia recedit: ut cum scribit, intestinum ieiunũ non ita esse implicitum ut reliqua. Hoc enim falsissimum est, & dictis autorũ, & hijs quæ sensui manifestantur omnino contrarium. Primum enim intestinum, quod idem Plinij patronus pyloron, alij duodenum nominant, est multo minus implicitum, imò nullo modo implicitũ. Ob quã causam quidam, ut Galenus, non uno in loco, sed pluribus testatum

testatum reliquit, necp intestinũ nominandum censuerũt, necp si eidem Galeno credimus, tenue intestinum est magis quàm ieiunum implicitũ, imò aut æque, aut etiam minus: siquidem multitudo inuolutionum in intestinis tum aliam ob causam, tum ob hanc etiam est necessaria, ut plures uenæ ad ipsas terminentur. Quod uidetur sentire non Galenus tantum, in suis anatomicis scribens, ieiunum intestinũ in multas inflecti inuolutiones, quàmplurimum uasorũ habentes: sed etiam Auicẽna, qui ait unam inter alias causam esse inuolutionum continuationẽ orificiorum uenarum sugentium. Quare ubi plures sunt uenæ, ibi plures esse inuolutiones non modo fit ueri simile, sed propemodum necessarium. Plures autem esse uenas in ieiuno intestino quàm in tenui, Galenus quocp testatẽ libro sexto De aggressibus anatomicis, ubi scribit tenue intestinum eandem habere cũ ieiuno substantiam: tantum differre duobus, & quia nuncp uacuum inuenitur, & quia non habet tantam uasorum multitudinem. Hanc maiorem uenarum in ieiuno multitudinem etiam Auicenna capite supra allegato confirmat. In eo tamen à Galeno, atcp etiam à seipso dissentit, quoniam post ieiunum uult duodenũ plures habere uenas quàm reliqua intestina. Galenus non duodenũ, sed potius tenue secundum tenere locum in uenarum abundantia nobis insinuauit, cum dixit ea uerba quæ nuper adduximus. Intestinum ieiunum in multas inflecti inuolutiones, quàmplurimum uasorum habentes. Auicenna quocp idem sentire cogitur, si uelit alteram seruare causam multitudinis inuolutionũ in intestinis, quæ est secundum ipsum continuatio orificiorũ uenarum sugentium: Vbi enim sint multæ uenæ, ibi multas oportet esse inuolutiones: Quod si cubi nullæ sint inuolutiones, nec ibi tantam esse uenarum multitudinem est existimandum. Nullas autem inesse duodeno intestino inuo-

lutiones pariter Auicenna fatetur Fen XVI, capite De ana
» tomia inteſtinorum, uidelicet ubi ſcribit hæc uerba: Et
» pars inteſtini ſubtilis, quod ſequitur duodenum nomi-
» natur ieiunum. Et in hac quidem parte eſt initium inuolu-
» tionis, & circuitionis, & reflexionis, & quaſi ſint ei uiæ plu
» rimæ. Si ergo inuolutiones tunc primum initium habent,
cum primum ieiunum inteſtinum poſt duodenũ exoritur,
ſequitur ipſum duodenum nullas habere inuolutiones, &
conſequio neq; uenarum multitudinem. Quare ſi Auicen
na nolebat in ſuis ſibi ſententijs repugnare, debebat dicere,
poſtieiunum in tenui eſſe uenarum meſſaraicarum multitu
dinem, in quo & idem Auicenna fatetur eſſe reuolutionẽ
unam poſt aliam: idcirco & id nominat non ſolum inteſti-
num longum, ſed etiam inuolutum & reuolutum, quaſi
ipſum habeat plures etiam quàm ieiunum inteſtinũ reuolu
tiones. Vnde quiſpiam poſſit colligere, maiorem in eo eſſe
uenarum multitudinem, quàm in ieiuno, nedum quàm in
duodeno. Tenue autem inteſtinum plures habere quàm ie
iunum reuolutiones Celſus quoq; concedit: quem autorẽ
Plinij patronus non ſolum in ſententijs, ſed etiam in uerbis
ſtuduit imitari, licet plus quàm Celſus errauerit, qui libri
ſui De medicina uolumine quarto, nõ ſcribit ieiunum mi-
nus eſſe quàm reliqua implicitum: Ex hijs enim uerbis ſe-
queretur, duodenum eſſe magis implicitum: quod partim
Galenus, partim Auicenna negat, qui uult & ipſe reuolu-
tiones primum incipere in ieiuno inteſtino: Non, inquam,
id ſcribit Celſus quod Plinij patronus, ſed tantum hæc uer
» ba: Ab ea ſcilicet iunctura, quam pyloron uocant, ieiunũ
» inteſtinum non ita implicitum, inde tenuius inteſtinum in
» ſinus uehementer implicitum. Ita quod debemus intellige-
re fieri non inter pyloron atq; ieiunũ, ſed tantum inter hoc
& tenue, utrum eorũ ſit uel magis uel minus implicitũ, cõ-
parationem,

parationẽ, quã Plinij patronus etiã ad pyloron fieri, & pylo
ron eſſe magis quàm ieiunũ implicitũ, rem penitus falſam
in ſua Anatomice ſignificauit. An uero ieiunum ſit magis
quàm tenue implicitũ, ut partim ex Galeni, partim ex Aui-
cẽnæ uerbis colligi poteſt, an contrà, ut Celſus apertiſſime
nobis oſtendit hijs uerbis: tenuius inteſtinum eſt in ſinus
uehementer implicitũ, & ieiunũ non ita implicitũ: nõ auſim
decernere, ſed ex ſectionibus uidendũ relinquo. Illud au-
ſim pro certo affirmare, Mundinũ in ſua Anatomice errare,
ſcribentẽ ieiunũ inteſtinũ eandem quã rectum inteſtinũ re-
ctitudinẽ: hoc enim ueriſſime potuit de duodeno dicere, de
ieiuno aũt protulit falſò, ſicuti & illud alterũ, quod ad ileon
ſiue tenue inteſtinũ plures ueniant uenæ meſſaraicæ, quàm
ad aliquod aliud inteſtinũ, Galeno atq; Auicenna contraria
aſſerentibus: primũ ſcilicet ex inteſtinis gracilibus ieiunum
inteſtinũ inuolutiones ſuſcipere: Galeno uero duabus diffe
rentijs ieiunũ à tenui manifeſte ſeparante. Et quia tenue nõ
inuenitur uacuũ, & quia non habet idem tenue tantam ue-
narũ multitudinẽ, neq; illud uerebor dicere, licet minus li-
benter, ubi de erroribus agitur, faciam de uiris eloquẽtibus
mentionẽ: non, inquam, uerebor dicere, Plinij patronũ una
cum Celſo aberrare, ſcribẽtes idcirco pylorũ inteſtinũ hoc
nomen apud Græcos eſſe ſortitũ, quoniã portæ modo per
partes inferiores ea quæ excreturi ſumus emittit: Neque
enim ad hũc finẽ inteſtina, præſertim gracilia, à natura ſunt
facta, ut per ea excrementa alui inferioris emittantur, ſed
potius ut ſint inſtrumenta ciborum diductionis, qui per ue
nas, meſſaraicas nominatas, ad epar debent tranſmitti. Re
ctius ergo Galenus noſter pylorum dicit ea ratione ita fu-
iſſe nominatum, ſiue pro ima parte uentriculi, ſiue pro pri-
mo inteſtino huic annexo accipiatur, ut uelut ianitor iu-
ſtus nihil permittat exire, quod non fuerit prius in chylum
conuerſum

cõuersum atq; concoctum. Talem autem chyli bene con
cocti substantiam certum est per pylorum ad inferiora in
testina diduci, non ut excernatur, sed potius ut intra corpus
retineatur, ui epatis in sanguinem transmutanda, ex quo
omnia membra debent nutriri Quare Galenus libro quin
to De utilitate partiũ, aperte pronuntiat intestina non esse
superfluitatum excretionis, sed alimentorum potius, ut di
ximus, instrumenta. Quod si unà cum chylo, ut nonnulli
opinantur, illa etiã per pylorũ exeant, quæ uel suæ quanti
tatis, uel qualitatis ratione ab epate repudiata, postea sumus
executuri: non tamen horum ratione meatus iste à Græcis
fuit pylorus appellatus, sed altera potius, quam paulo antea
ex Galeni autoritate approbauimus. Deinde quod non est
de nomine, sed de re ipsa contentio, Plinij patrono nega
bimus alui excrementa, quæ stercora nominantur, formã
suam substantialẽ suscipere in stomacho, ut partim ex hijs
uerbis quæ modo confutauimus, partim ex alijs quæ in sua
anatomice scripsit, uidetur existimasse: ubi scilicet ait excre
menta in colo intestino diutius immorari, atq; ibi quandam
effigiem suscipere. Quid enim per hæc uerba Plinij patro
nus nobis insinuat? nisi se quoq; in eadẽ hæresi esse, in qua
& Gentilis, & Iacobus Foriliuiensis, & omnes ferè Auicen
næ expositores, qui uolunt non solum ex Auicennæ, sed
etiam Galeni sententia stercora suum esse, seu formã sub
stantialem suscipere in stomacho: colorem autem atq; figu
ram in intestinis: Neq; animaduertunt quàm multa absur
da ex tali opinione sequantur, quæ non modo Hippocra
tis atq; Galeni dogmatibus aduersantur, ue um & sensui
atq; experientiæ repugnant. Habetur Hippocratis aphori
mus, septima particula aphorismorũ, in hunc modum scri
» ptus: In ileo uomitus & singultus malum. In cuius apho
rismi expositione Galenus ingt accidere hæc in ileis exitia
libus,

libus, in quibus stercus ascendit ad stomachum. Ego uero
non uideo, cur nõ eosdem casus possit efficere stercus in sto
macho genitum, quos facit ascendens ab intestinis ad sto
machum. Quare si stercus suum esse habeat in stomacho,
ut uolũt supra memorati uiri, quotidie homo fieret ileosus,
quotidie uomeret ac singultiret. Neq; id foret necessarium
quod de ileo scribit Galenus libro tertio De potentijs natu
ralibus, in tali passione non posse stercus exire per os, nisi
prius pertranseat totum tenue intestinum, & pylorum atq;
uentriculũ, & gulam, si in stomacho prius suam habuisset
idem stercus generationem, quam in intestinis habere gra
cilibus declarat idem Galenus eodem libro III De poten
tijs naturalibus, duobus in locis, primo quidem ubi ita scri
» bit: Ostensum autem est & prius, quod nihil subito in cõ
» trariam transfertur qualitatem. Quomodo igitur panis fiet
» sanguis? quomodo beta uel faba, uel aliquid aliud? nisi
» prius aliquam aliam alterationẽ susceperit? Quomodo au
» tẽ stercus in intestinis gracilibus subito generabitur? Quid
» in istis uehementius ad alterationem existit, quàm in uen
» triculo? Nunquid tunicarum multitudo, uel proximiorum
» uiscerum appositio, uel moræ tempus, uel natiua quædam
» in instrumentis caliditas? Item eodem libro inferius simi
lia uerba Galenus scribit. Ex quibus colligere possumus,
stercus secundum ipsum in intestinis gracilibus, & non in
» uentriculo primũ generari. Sunt autem hæc: Neq; enim
» cibi quidem antiquam mutant qualitatem adeo uelociter,
» ut cũ in tenuia inciderint intestina statim sint stercus. Bilis
» autem non multo magis, uel urina, ubi uenas exierint mu
» tant qualitatem, citissime transmutationem ac putrefactio
» nem subeuntia. Apparet autem ex hijs Galeni uerbis u
troq; in loco cõscriptis, stercora fieri in intestinis tenuibus,
non per separationẽ & depurationem à chylo, ut Iacobus

Foriliuiensis in sua quadam scripsit conclusione quæstionis tactæ, secunda particula aphorismorum, in qua quærit quo in loco fex uel egestio suam recipit formam: non inquam per separationem & depurationem, sed alterationem magis quæ ad substantiam terminatur. Vnde & idem Iacobus tertiam scribit conclusionem, quam dicit posse probabiliter sustineri: aliquando fecem, tam quo ad substantialem, quàm ad accidentalem formam in intestinis acquiri. Hoc autem non aliquando fit, sed semper in hominibus sanis, ut ex uerbis Galeni supra allegatis patere potest. Cui tamen Galeno Iacobus contrariam adscribit opinionem, quod scilicet forma substantialis in corpore naturaliter dispositio & debite, recto acquiritur in stomacho. Hæc enim est prima conclusio Iacobi, quæstione allegata. Secunda autem altera tacta, quod separatio & depuratio fecis à chylo, & accidentalium dispositionũ acquisitio, quibus fex à chylo discernitur, acquiritur in intestinis. Per quas duas conclusiones putauit Iacobus se inter Galenum atq; Auicennam fecisse concordiam, quasi prima conclusio foret ex Galeni, secunda autẽ ex Auicennæ opinione, & neutra alteri cõtradiceret. Quod si ita esset, ut Iacobus existimauit, tunc omnis contradictio inter Auicennam atq; Galenum tolleretur. Verum res contrà se habet: nam ut ex antea dictis apparet, Galenus est ipse qui sentit stercus in intestinis tenuibus generari, sicuti Auicenna in stomacho. Quã Auicennæ esse opinionẽ possum nihilominus ex pluribus Auicennæ uerbis demonstrare. Nam Fen XVI, tertij, capite De anatomia intestinorũ, assignans causas Auicenna, ob quas orificium duodeni sit strictius quàm meri, inter alias hanc quoq; scribit, quoniã penetranti in meri nõ attribuitur ex uirtutibus naturalibus, nisi uirtus una, penetrans autem in intestino primo patitur à duabus uirtutibus, quarum una est expulsiua, quæ est in stomacho,

stomacho, & altera est attractiua, quæ est in intestinis, & adiuuat eam fex, quæ prouenit propter summam cibi, & fit facilis propter illud expulsio per uiam temperatæ amplitudinis. Quæ postrema uerba indicant manifeste, feces, quæ alio uocabulo stercora nominãtur, in stomacho secundum Auicennam generari, alioquin ui attractiua duodeni, & aliorũ intestinorum non attraherẽtur. Vnde coactus est dubitare Gentilis, quid sit illud quod intestina principaliter trahunt, si tractus fecis est adiuuatiuus, & soluens dubitationem scribit hæc uerba: Quod principalis attractio cibi ab intestinis fit, ut intestina uoluptuentur, & ex eo sumant aliquid, & quia fex in intestinis est proportionalis, sicuti urina in uesica, ideo iuuat hanc attractionẽ fex, quæ prouenit ex summa cibi. Item paulo post soluens Gentilis aliam dubitationem, an intestinis sit uirtus attractiua, in eandem sententiam per hæc uerba scribit: Dicendũ quod in intestinis est attractiua uirtus: nã si intestinis est aliqua uoluptuatio eius quod est in eis, igitur illud attrahunt: nam attractio ex uoluptuatione dependet, cum attrahens attrahat propter uoluptuari, sed intestina uoluptuantur eo quod est in eis, cum aliquam ex illo refocillationem recipiant, saltem gracilia, & etiam grossa aliqualiter uoluptuantur in fece, quemadmodum cames in superfluitatibus, sic intestina in fece, uesica in urina, & fel in cholera, ut III De uirtutibus naturalibus. Hæc quidem Gentilis, qui in suis uerbis uidetur sentire, ita feces trahi ab intestinis, sicuti à uesica urinam. Galenus uero ne chylum quidem uult trahi ab intestinis, ex quo nutriuntur, ne dum feces: Neq; uero à uesica urinam, sed alterum quidem à uentriculo per pyloron ad intestina propelli, urinam uero à renibus ad uesicam per meatus urinarios, ut de intestinis Galenus ipse multis testatur locis, quos nullam omnino uult habere attractiuam, atq; ideo fibris seu uillis carere

rectis. De uesica autem libro VI De interioribus manifeste declarat. Auicenna quoq; paulo superius afferens pariter rationem, ob quam duodenum sit strictius, quàm meri scribit
» hæc uerba: Et illud quod penetrat in hoc intestino est le-
» nius, & planius, & subtilioris quãtitatis propter digestionẽ
» suam in stomacho, & cõmixtionem spumæ aquosæ secum.
Quæ uerba exponens Iacobus de partibus, nouus Auicen-
» næ expositor, scribit in hunc modũ: Et res quæ transeunt
» per portanarium & duodenum, sunt leniores his & planio-
» res, id est, minus asperæ, seu magis lenes & subtilioris sub-
» stantiæ, uel minoris molis, uel gracilioris. Primo causa dige
» stionis, quã in stomacho acquisierunt, quæ illic permiscuit
» subtilia cum grossis, & ipsa adæquauit. Secundo propterea,
» quod quæ sibi admixtæ sunt spumæ aquosæ fecũ, subtilian-
» tur. Hæc ille. Verum Auicennæ rationes probantes primũ intestinum esse strictius quàm meri, præter id quod satis uidentur absurdæ, sunt etiam aliter uitiosæ, quia alteri contradicunt, per quam postea Auicenna probat secundum intestinum semper uacuum reperiri, unde ieiunum nominatur, quia uidelicet cholera citrina uenit ad hoc idem intestinum pura, hoc est, impermixta fecibus, ut exponunt Auicennæ expositores: nam si fex chylo cõmixta trahitur ab intestino duodeno, à quo statim descendit ad sequens intestinum ieiunum nominatum, quomodo poterit cholera citrina pura, hoc est, impermixta fecibus peruenire ad intestinum ieiunum, in quo offendit feces chylo cõmixtas, sicuti & in alijs sequentibus? Neq; enim possunt dicere integram fecum à chylo separationem fieri in intestino, duodeno nominato, qui aiunt feces chylo permixtas usque ad monoculum, & colon quoque peruenire. Quod indicant & ipsius Auicennæ uerba capite allegato De intestino monoculo scripta, in
» hunc modum: Et de eis est, quoniam hoc intestinum est

Ieiunum intestinum unde dictum.

initium

» initium reliquarum conuersionum cibi ad feculentiam, &
» præparationis suctionis futuræ, accidentis ei ex necessitate,
» licet non sit in illo illa suctio. In quibus uerbis uidetur Auicenna sentire, fieri fecum à chylo sequestrationem per uenarum messaraicarum suctionem, etiam in crassioribus intestinis. Galenus uero IIII De utilitate partium similem sequestrationem, non quidem fecum, si per feces stercora intelligamus, ut intelligunt Auicennæ expositores, sed partium chyli terrestrium, quæ postea in intestinis gracilibus in stercora transmutantur, uult primum in uentriculo fieri, ut uerba eiusdem Galeni libro allegato indicant, in hunc modum
» scripta: Promptuarium autem hoc quod cibum totum su-
» scipit, ceu diuina & non humana existens creatio, laborat
» circa cibaria primo labore, sine quo inutile est, & in nullum
» commodum animali. Expurgat enim ex eis, sicuti qui circa
» tritici elaborationẽ artifices, si quid terræ, aut lapidum, aut
» syluestrium seminũ infertur nocere corporibus natorum:
» Ita & uentris uirtus si tale aliquid fuerit, pellit inferius. Reli
» quum uero totum, quod fuerit natura benignum, adhuc be
» nignius efficiens uenis, quæ ad eum & intestina perueniũt,
» distribuit. Quorum uerborũ sensum non recte accipientes quidam Auicennæ expositores, scribere nõ dubitarunt esse Galeni, sicuti Auicennæ opinionem, stercora suam formam substantialẽ suscipere in stomacho. Nos uero dicimus materiam quidem, ex qua fit stercus, in uentriculo gigni, sed nondum esse stercus, donec ad intestina gracilia perueniat, sicuti & materia urinæ, scilicet aquosa superfluitas, & ipsa in stomacho, siue uentriculo, ex cibis & potibus generatur, quæ est etiam materia sudoris. Non tamen propterea dicimus, aut urinam, aut sudorem formam suam substantialem suscipere in stomacho, sed alterum in uenis, seu magis in renibus, ut Theophilo placet, alterum uero in membris, ad

quæ eadem aquosa superfluitas unà cum sanguine delegat. Est enim hæc uehiculum alimenti, tum eius quod à uentriculo per uenas mesaraicas defertur ad epar, tum quod ab epate ad totũ corpus nutriendum transmittitur. Quare Gentilis & Iacobi Foriliuiensis rationem, qua nituntur probare stercus suam formam substantialem suscipere in stomacho, quoniam idem sit dans formam iuuatiuo & nocitiuo, possumus ita refellere: Sudor est aqueitas sanguinis, ut nõ modo Galenus libro XI De simplici medicina, & libro De salubribus primo, sed etiam Auicenna II Canonis, attestãtur, & tamen sanguis formã suam substantialẽ in epate recipit, sudor autem in alijs membris. Simile argumentum ex urina possumus facere, quæ eandem habet cum sudore materiam, ut Galeno libro paulo antea allegato XI, scilicet De simplici medicina placet, & tamẽ formatur in renibus, ut Theophilo placere diximus, quod etiam confirmat Egidius, & tamen sanguis, cui urina est superfluitas, in epate generatur. Cur uero ex urina, non modo renum, sed imprimis epatis, atque uenarum dispositiones possimus dijudicare, non est difficile ratione comprehendere, cum materia illa aquosa, ex qua fit urina in renibus, plurimũ à uenis atque epate patiatur, antequam à renibus attrahatur, atq; in urinam liquidam cõuertatur. Sic ex stercore, tam super uentriculi, quàm etiam intestinorum affectibus dijudicamus: quoniam licet stercus in intestinis generetur, materia tamen ex qua fit stercus, plurimã habuit prius in ipso uentriculo alterationem, ut supra ex Galeni libro III De potentijs naturalibus autoritate monstrauimus loco, quo scribit multas esse necessarias alterationes, antequam panis in stercus transmutetur. Sed iam hanc rancidam, fœtidamq; de stercorũ generatione disputationem, quæ uel suo odore legentium nares possit offendere, relinquamus, atque ad id quod secundo loco facere

facere proposueramus, ad Hermolai scilicet in hijs quæ ad medicinam attinent, defensionem reuertamur, quem uideo insuper à Plinij patrono taxari, quod strumas adenas dixerit, quæ strumæ, ut taxator obijcit, nõ sunt adenes, sed in eis nascuntur, neq; in omnibus. Quam quidem obiectionem miror à Plinij patrono factam, Paulum Aeginitam ut audio interpretante, apud quem autorem legere potuit chœradas, quas latine strumas, uulgo scrofulas nominamus, esse adenas induratos. Quare non potest Plinij patronus Hermolaum reprehendere, scribentem strumas esse adenas, nisi illum pariter damnet, quem interpretatur autorem. Accusat etiam Hermolaum, leucomata & argemata idem esse falsò putantem, sed caueat ipse, ne sit falsus accusator, néue maiore utatur licentia, quàm illa, qua me in sua præfatione scribit ad Plinij tanti autoris calumniam fuisse inuitatum: Nam quod ipse Hermolaum non minorem nostra ætate uirum inique reprehenderit, indicant ipsa Hermolai de argemis atq; leucomatis uerba in hunc modum scripta: Argemata uidentur idem ferè esse quod leucomata, hoc est, albugines, quanquã in loto herba Dioscorides uideatur seiungere, cum & ad argemata & leucomata pollere illam tradit, nisi quis non leucomata eo loco, sed glaucomata scribendum esse censeat. Hoc quidem in loco Hermolaus sint ne argemata atq; leucomata idem oculorum uitium nihil decernit, sed propter quandam utriusq; affectus in colore similitudinem non sine ratione dubitat. Circa finem tamen totius operis, hoc est, Plinianarũ castigationum & glossematum in Plinium, ubi lectorem commonet, quid de eius labore debeat iudicare, differentiam inter argemon atq; leucoma apertissime ponit ex Pauli autoritate, licet ut postea subiungit, didicimus, ut refert Pausanias, argemon idem putauerit esse quod leucoma. Verba Hermolai, loco quo diximus

Argemon. diximus hæc sunt: Argemon differt à leucomate, hoc est, albugine: Ait Paulus, argemon ulcus est eius orbis, qui uocatur iris, id est, arcus cœlestis in oculo, extra rubens, intra
Albugo. candidum: albugo cicatrix est oculorum altiuscula, sicuti in summo nubecula. Vtinam Auicenna tam bene albuginem ab argemo distinxisset, nam ex diffinitione albuginis, quam III Canonis idem Auicenna affert, quomodo albugo ab argemo differat non apparet, nisi Plinij patronus ita hanc differentiam ex Auicennæ uerbis manifestet, quemadmodum ego, tam ex Hermolai scriptis Paulum allegantis aperui: Quod si fecerit, hanc euidentem ipsius in Hermolaũ calumniam æquiori animo tolerabimus. Sed iam uideo me in enarrandis, uel Plinij patroni, atq; aliorum medicorum erratis longius quàm proposueram fuisse euagatum, quamuis neq; per singula capita Plinianí codicis, aut anatomices eius patroni discurrentem, sed tantum illa notantem, quæ in nostri, aut Hermolai defensiones incurrebant, adeo ut quam ab initio ludum putaram de Plinij erroribus disputationẽ, uideam esse factam utilem quidem, seu penè odiosam contentionem. Cui tamen primus Plinij patronus non paruam dedit occasionem, dum me Plinium in æra taxantem, non rationibus atque argumentis, quod æquo animo ferre potuissem, sed dicterijs atq; conuicijs quantumuis illi antiqua amicitia deuinctum, in sua Plinianarum emendationũ præfatione studet dehonestare. Nunc me sciolum, atq; obgarrientem in autorem tot antea seculis celebratum, nunc laruas ad pugnam irritam euocantem, nunc indoctum atq; ineruditum, cui Plinius non sapiat, nunc parum pudentem, & licentiosum appellans calumniatorem, & pleraq; alia in me præcipue dictitans, quæ etiam Socratem omnium patientissimum iniuriarum, potuissent ad iram prouocare. Me sanè, licet non minus moralem, quàm etiam alias profitear philo

sophias,

sophias ita irritarũt, ut uel mea natura repugnante coactus fuerim par pari referre, & ea scribere, quæ uel amicum qui me prius momorderat, remorderent. Quem tu Francisce Totte admonebis, futurus quidam inter nos ueluti Caduceator, sicuti primus pugnæ dedisti tesseram. Tu, inquam, Plinij patronum admonebis atq; exhortaberis, ut si Plinij mânibus uult afferre gaudia non mœrores, hanc de Plinij erroribus disputationẽ in posterum sinat esse sopitã. Aut si eam omnino renouandam duxerit, modestius illã quàm inchoauerat peragat, atq; ita pertractet, ut debet inter amicos de nulla re alia magis, quàm de ueritate contendentes pertractari. Neq; enim ego odi mihi contradicentes, sed potius maledicentes, uel eò maxime, quod me incitant id quod nolim, si possim, libenter facere ad maledicendum. Nam & mihi nuper mouere stomachum grammatistæ quidam, qui uix ultra primas progressi literas, audent etiam de altioribus studijs iudicare. Sed garriant ipsi quantũ uelint, eorũ garritibus meæ posthac aures obstruentur, ne hac ætate cum illis de grammaticæ regulis disputando, uidear quodammodo repuerescere. Si qui uero in hijs quæ ad medicinã, aut uniuersam attinent philosophiam, in quibus latissimos obtuli campos contra me uolentibus dimicare, non adeo pro Plinio, quàm etiam Auicenna, atq; alijs medicis sectatoribus Auicennæ, qui à me in hoc opere fuere notati, glorioſum uoluerint subire certamen, parati sumus eadem quã ab ipsis desideramus modestia respondere, uel nostros errores, si nos ac non illos errasse demonstrauerint, retractaturi, uel aliorum magis ac magis, si debiliter defensi fuerint confirmaturi, atque insuper alios quàm plures, id quod nuper in Plinium fecimus, acceruaturi.

FINIS.

FRANCISCVS TOTTVS, LVCENsis, Nicolao Leoniceno S. P. D.

DEcreueram iam à primis ſtudiorum meorũ annis, cum medendi ſcientiæ dare operam ſtatuiſſem, eum mihi præceptorẽ deligere, qui et ingenio, ac doctrina cæteros antecelleret. Quare cũ uirtutis ea ratio ſit, ut latere non poſſit intenebris, hominesq; uel maxime infimæ conditionis in lucem proferat & extollat, factum eſt, ut te mihi potiſſimũ præceptorem optarem, qui eruditiſſimi cuiuſq; iudicio unus eſſes qui hac tempeſtate in toto terrarũ orbe præcipuũ medicinæ decus, & parens optimus iure optimo habearis. Quãobrem eo animo Ferrariam uel te uno profeſſore per ea tẽpora illuſtrem acceſſi, ut te unicũ haberem cui me totũ traderem, cuiusq; diſciplina ſperarem me omnia quæ uellem aſſecuturũ. Nec illa quã de te conceperam ſpes ulla ex parte me fruſtrata eſt: nam quæ de te abſens conſtanti acceperã fama, ea longe maiora res ipſa confirmauit. Dum enim liberalibus ſtudijs, & arti medicæ ſub te incumbo, nihil conſuetudine tua ſuauius, nihil ingenio præſtãtius, nihil doctrina tua uberius animaduerti, quam quidem morũ integritas inſitaq; humanitas mirũ immodũ exornat. Accedit ad hæc, quod hijs temporibus nihil eſt in dicendo acutius te uno, nihil in reſpondendo certius, nihil denicq; in erudiendis uel philoſophorũ, uel medicorũ ueterũ ſenſibus ſublimius, aut inconſulendo ægrotis ſalubrius inueniri, aut excogitari poteſt. Sed hæc omitto multis in locis abste declarata, quibus multorũ nobilium, & aliorũ præclariſſimorũ principum habes conciliatã gratiam, præſertim ne quiſpiam fortaſſe putet me hæc auribus tuis dare, qui ſemper ab omni adulatione abhorruerim: quãuis officij mei eſſe iudicem, ut pro meo in te ſummo ſtudio &

dio & obſeruantia maximarũ tuarum uirtutũ laudator ſim. Illud non reticebo, me abste pro tua incredibili ac propè diuina quadam benignitate ac munificentia in tuorũ numero ita repoſitum, mecq; adeo tibi perpetuò deuinctum, ut obſeruantia & amore in te paucis admodũ ſim cõceſſurus. Quare non dubitaui, ſtudio in me tuo ac beniuolentia fretus, nonnullas Plinianas ambiguitates ex te quærere: quippe quem huiuſmodi lectionis ſtudioſum ſupra omnes homines admirari ſoleam. Tu uero mira celeritate nõ ſolum ad quæſita benigne ac præclare reſpondiſti, uerum etiã alios errores tum Plinij, tum aliorũ medicorũ, & ueterum & recentiorũ maxima ſolertia abs te nuper excogitatos epiſtolæ tuæ, uel potius opuſculo inſeruiſti, nõ ſpe quæſtus, nõ cupiditate, ſed amore non uulgari in humanũ genus adductus, ubi non minus laudis ac famæ te aſſecuturũ ſpero, atq; ſuperiori anno feceris, cum de tribus doctrinis ordinatis opuſculum, & Galeni De parua arte libellũ abs te latinũ factũ ediderís. Quo tempore ſuperaſti tu quidem opinionem eruditorũ omniũ de te conceptã, quãuis iampridem egregie de te ſentirent, tum ob alia quãplurima, tum maxime ob libellũ, cui tu nomen De morbo Gallico indidiſti. In quo, ut ingenue tecũ agam, quẽ admodũ natura mea poſtulat, difficillimã cuicq; doctiſſimo æmulationẽ ꝓpoſuiſti. Oſtendis ob hoc præſtãtiam ingenij tui, ac ſummæ doctrinæ ubertatẽ, utpote qui uiris illis, quos multos ueluti clariſſima lumina antiqua ætas tulit, iure optimo cõferri poſſis, Galeno præſertim medicorũ principi, qui & ipſe quocq; aliorũ errata impugnare, ac penitus debellare ſemper fuit ſolitus. Recte quidem igitur, ac niueo cuiuſque calculo feciſti, quemadmodum diuinatione quadam animi mei ductus fore exiſtimabam, cum tu, qui rei medicæ ætate noſtra mirus artifex & magiſter ſis, hijs omnibus audacius reſponderis, quæ nimis accuratus Plinij defenſor, aut tibi uiro doctiſſimo diſſimulanter impingeret, aut Hermolaum

Leoniceni liber de morbo gallico.

Barbarũ, uirum & tibi amiciſſimum, & de re literaria optí-
me meritũ, nimis acriter, neſcio an dicam & audacter accu-
ſaret. At ille eſt uenia profecto dignus. Non enim fortaſſis
animaduerterat tantum & Hermolao, & tibi à doctiſſimis
uiris tributũ eſſe, ut uel ſola autoritate, quod de Pythagora
Cicero traditum ſcripſit, cæteri contenti eſſe deberent, ne
dum cum reſponſurũ ſe ad illa ſperare poſſet. Lætor igitur
mirum immodum, cum id tibi planè honorificũ ſit, teq; cũ
gratioſum multis, tum chariorẽ efficiat. Laudi etiam tuæ ue
hementer gratulor, quã apud omnes ob hoc es adeptus am
pliſſimã, ſed longe ampliorem, ac ſolidiorem aſſequêris, no
menq; tuũ immortalitati cõmendabis, ſi quemadmodum
iam omnibus perſuaſum eſt ab omni caligine et obſcuritate
medicinam uindicabis. Quã quidem opinionẽ ne fallas ro-
go tanta doctrina, tantoq; ingenio ornatus: cuius unius ope
ra & auxilio peſtifera barbarie nos liberatũ iri abſq; dubio
ſperamus, cum tu omnia Galeni opera in latinam linguam
uerteris. Hoc ſanè eſt qd'humano generi maxime fructu-
oſum Baptiſta Aegnatius mecum non parũ exoptat, cuius
morum elegãtia præclaraq; eruditio, tum græca, tum latina
ad ſe amandũ quoſq; facile poſſet allicere. Hoc Ludouicus
Bonaciolus, hoc Cæſar Optatus, hoc Hieronymus Meno-
chius, & Laurẽtius Bertholinus noſter, medici profecto cla
riſſimi, auidiſſime cupiũt. Ad hoc cætera præclara medicorũ
omnium ingenia te exhortantur, hoc inquam, hoc illud eſt,
quod omnes literarũ ſtudioſi, & efflagitãt potiſſimũ, & ex-
pectant. Quorũ omnium expectationẽ diutius retardandã
nequaq; cenſeo, ut nõ parum pro tali, ac tanto beneficio, &
nos ac etiã poſteri ſe tibi quam maxime obſtrictos eſſe fatea
mur. Vale, meq; ſcias pro tuo in me animo ſingulari ſemper
præſto fore, in quo tibi uel re, uel opera uſui eſſe ualeam.
Venetijs Idibus Martijs M. D. IX.

HIERONY-

HIERONYMVS MENOCHIVS LV-
cenſis medicus, Nicolao Leoniceno Philoſo-
pho, medicoq; ſummo. S. D.

CVm multa ſint eruditiſſime uir, quæ homines
ad diligendum alliciant, uirtus præcipue inter
ea uim maximã obtinere uidetur. Cum igitur
ſuperioribus diebus tuam interpretationẽ cu-
ratiuæ artis Galeni, à Conſtantio Piſtorienſi
Cancellario mihi cõceſſam diligenter perlegerim, nõnulla
etiã tua de dipſade ſcripta, aliqua etiam in Piſtoriũ quendã
à Franciſco Totto Lucenſi, cõmuni amico hic uiderim, ad
te amandum ſupra modum adductus ſum. Etſi prius ſemel
tantũ iſtic te de morbo, quem Gallicum appellant, affatus
tuam præſtantiã diligere cœperam. In hijs ſanè tuis ſcriptis
multa reperi quæ mihi cordi fuere, ſed præcipue unũ de cane
rabido, de quo olim in domo Aldi Romani Venetijs coram
Nicolao Zoccha Veneto medico, uerba fecerã multa, quo-
niam Dioſcoridem græce legeram, multoſq; alios iuniores
Latinos, talem grauiſſimũ morbum, eiusq; curationem ex
arte ponentes, experientia etiam cum Ariſtotelis uerbis pu
gnabat, nec mihi licere arbitrabar in tantum philoſophum
inuehi. Quapropter tibi gratias ago ingẽtes, habeoq;, quia
grauiſſimum è mente mea ſcrupulum ademiſti. Tua uero
dipſas mihi immenſam ſitim, ut eius morbus eſt, incuſſit, le-
gendi aliquid ex tua officina prodiens. Hortor itaq;, ut quo-
ad per tuas occupationes licet, Galeni reliqua uolumina
interpretanda aggrediare, uel ſi aggreſſus es iam edere feſti-
nes. Quid enim mendoſius eius latinis libris circumfertur?
quidũe magis tetrum? Adeo enim eius libri deprauati, ut
quiuis uel mediocriter eruditus latine eos legere aſperneẽ.
Et quanquam eorũ lectioni multum inſudet, ex ea tamen

nullum sæpe, interdum prauum sensum elicere possit, cum græca librorum Galeni lectione nihil sit elegantius. Enitere igitur eum à Barbaris uindicare: solus enim potes. Quod si facere dedignatus fueris, uereor ne ut Barbari Turcæ scilicet magnã partem Græciæ diripuere tenentq́, sic barbari nostri temporis medici suis interpretatiunculis Galenũ funditus pessundent, lanientq́. Libera igitur à tali calamitate tantum uirum. Quod si feceris, deo primũ rem gratam facies, deinde hominibus uiuentibus, futuris q́ salutare quoddam communeq́ remedium excogitabis. Nosti enim probe quot errata, quanticq́ momenti in hac medica arte quotidie perpetrentur. Sed de his aliâs. Ego si quid hic tuæ excellẽtiæ causa agere possum, meam operam, domum, meq́ ipsum totũ tibi offero, néue etiã sine magna mea utilitate à te responsum expectem, rogo, ut mihi declarare per literas digneris, sub quo capite apud Dios. græce cõtineatur id, quod nos cassiam fistulam appellamus, quomodoq́ ab eo uocetur. Item à tua excellentia intellígere optarẽ, ubi idem Dios. agat de manna & quid sit apud ipsum μάννα βάγε: item quid ixias. Me enim non pudet, nec unq́ puduit, & si pauca sciam, quæ ignoro ab aliquo docto uiro, qualem te dudum noui, aliquando discere. Nec me auaritiæ accuses uelim, quia tecum inire amicitiam, uel potius confirmare cum non parua mea utilitate decreui. Talem enim te esse apud me prædicauit Franciscus Tottus meus, imò tuus, ut libenter quemuis uel ignotum erudias. Turpe insuper putabam ab uberrimo fonte limpidissimæ aquæ me sitientem discedere, cũ præsertim à tua dipsade ictus, eum dudum optauerim. Valeat tua excellentia, cui me plurimum commendo. Quinto Calendas Decembres. M. D. III.

NICOLAVS

NICOLAVS LEONICENVS HIE-
ronymo Menochio Lucensi, Philosopho, ac medico præstantissimo S. D.

QVam mihi nuper reddidit Frãciscus Tottus Lucensis cõmunis amicus epistolam disertissimã, plane mihi indicauit te nõ esse ex numero illorum, qui barbaram philosophiam, ac medicinã profitentur. Alioquin nõ tam eleganter scriberes, neq́ tantopere nostras translationes, aut nostra scripta, quibus præcipue barbaros autores uellicamus, cõprobares. Equidẽ hac tua epistola lecta, cœpi de seculo nostro bene sperare, cũ uideam me tales habere uiros, idem mecum de tota philosophia & medicinæ arte sentientes. Qualis tu unus es, & alter Constantius noster Pistoriẽsis, uel quidam alij, exigui sanè numero, sed bello uiuida uirtus: quibus si nõ potero id quod tu maxime optas, & ut facere prosequar exhortaris, ob ætatem iam ingrauescentẽ adimplere, iuuabit saltem lucernam prætulisse, atq́ iter aperuisse, quo possit tetra ista barbaries, quæ pridem omnes bonas artes occupauit explodi, seu funditus profligari. Quare tuũ, ac cæterorũ, quos recta studia delectãt, erit officiũ, ut quod ego unus nõ possum efficere, mecũ simul facere studeatis, & quã sibi laudem quidam literatores dudum usurparunt uindicatæ Italiæ à Barbaris, multo iustius nobis asciscamus, qui non sermonem latium recuperamus, sed omnes planè homines à mortis periculo eripimus, dum expulsis seculi nostri tenebris, ueterem medicinam in lucem reuocamus. Hoc sanè mihi uidetur uere philosophari, non de uocabulis, sed de rebus ad hominum salutem plurimum necessarijs cum Barbaris decertare. Loquantur ipsi ut uelint, & uiperam tirum, uel quouis alio uocabulo nuncupent, modo quis serpens sit tirus, qui ad theriaces compositionem recipi debet, non ignorent. Qua sanè

inscitia

inſcitia, & Albertum cognomento Magnum, & Auicennã quoq; cui medicinæ principatũ tribuit hæc ætas, in dipſade noſtra laboraſſe demonſtrauimus. Quæ ſi tibi tantam ſitim induxit ut ſcribis, iure tuo poteras, ut ab ea ſerpente morſi, uno oris hiatu noſtri fontis aquas exhaurire. Cur enim tam pauca in tuæ epiſtolæ calce petiſti? cur etiã tuas quæſtiones partitus es, nõnullas epiſtolæ, nõnullas chirographo cõmittendo? An qa uerebaris ne nimiũ auare amicitiæ noſtræ primordijs, uel cõfirmatione potius abutereris? An qa id quod eſt ſuſpicaris? nõ fontem apud nos, ſed riuulum tantũ ſcaturire, quẽ facile poſſit immodicus potus exiccare? Conabor tamen pro tẽpore in hijs quæ ex me ſcire cõcupiſcis, tuo honeſtiſſimo deſiderio ſatisfacere. Forte illud aliquando uberius impleturus, ſi tibi contigerit mecum uagari in tuæ patriæ montibus, quos ad hunc ipſum finem uiſere inſtitui, ut poſſim herbas in ipſis naſcentes, tam ſalutares, quàm etiam noxias cõtemplari. Neq; enim me latet Tuſciam eſſe & medicaminum, ac uenenorum quoq; feraciſſimam, hoc idem Theophraſti libro De hiſtoria plantarũ IX uolumine, & Aeſchili autoritate confirmante: hoc dudũ fuiſſe mei animi inſtitutum teſtem facio Franciſcum Tottum, cui ob morũ integritatem, & doctrinæ præſtantiam, ſoleo omnes meos cogitatus aperire, ob idem meæ mentis propoſitũ, neq; illa quæ tu mihi tua humaniſſima epiſtola offers omnino reſpuo. Forte illis, ſi ita neceſſitas tulerit, uſurus ad id opus, quod etiã tibi ſpero placiturũ, qui non es in ea hæreſi, ut arbitror, in qua omnes ferè medici iuniores uerſantur, hanc herbarum & aliorũ ſimplicium medicamentorũ indagationẽ, non ad medicos, ſed ad ſeplaſiarios ſeu pharmacopolas pertinere opinantes. Quod ſi ſenſiſſet Hippocrates ille primus medicinæ parens, & qui illi ſucceſſere medici ueteres, non iuuiſſet eos ire per ſolitudines, & quærere herbas alias alijs diebus anni

Tuſcia ferax omnis generis herbarum.

diebus anni: ſed, ut ætate noſtra fit, ſediſſent in ſcholis potius de rebus nullius ad uitam momenti differentes, & fata hominum nõ ſua, ſed aliena fiducia gubernantes.

DE CASSIA FISTVLA.

VERVM ne imitari uideamur illam quã præcipue damnamus garrulitatẽ, iam ad illa ueniamus quæ à nobis in tuæ epiſtolæ calce quæſiſti. Quorũ primũ eſt, ſub quo capite contineatur caſſia fiſtula apud Dioſcoridem: &, quod eiuſdem quæſtionis eſt, ſub quo capite etiam manna, qua æque atq; caſſia fiſtula medici iuniores ad molliendam aluum utuntur. Quare ad utranq; reſpondeo, autores græcos, de ueteribus loquor, de neutra facere ſpecialem mentionem, uel quia ipſas non nouerunt, uel forte in uſu medicinæ non probauerunt. Siquidem Galenus ſimilem caſſiæ fiſtulæ fructum, quod à Græcis ceratia, ab Arabibus corrupto, ut puto, uocabulo carnubium nominatur, omnino improbat, adeo ut libro ſecũdo De alimẽtis optet, uel melius eſſe opinetur, quod nunquam ad ſuæ gentis homines ex locis in quibus naſcitur deferretẽ. Quorũ occaſione uerborũ mihi ſubit admirari, quomodo Auicenna, qui ſe Galeni fatetur interpretem, illum tamen perperam alleget, dicentem quod hic fructus non defertur ad alias regiones: Fruſtra enim Galenus optaſſet, ne deferretur ad ſuos, ſi ad alias regiones ex ſolo in quo gignitur non deferebatur. Dixi autẽ ceratia eſſe ſimilem caſſiæ fiſtulæ fructum, quoniam & color cortícis idem, & medulla etiam dulcis, ſicuti caſſiæ fiſtulæ, & præterea ſimilibus ſeminibus eadem medulla diſtinguitur, ut non ſolum ſenſus, ſed etiam Serapionis probat autoritas, qui capite De caſſia fiſtula inqt, quod intra cannas caſſiæ ſunt laminæ ex carne nigra, & parietes diuidẽtes inter eas, & inter laminã & laminã ſunt grana, ſicuti grana naxilocactæ, & eiuſdem magnitudinis, quorum color eſt

inter glaucedinem & ruborem. Per xilocaracta autem debemus intelligere fructum, quem Græci tum ceratia, tum etiam xilocaracta nominant, Latini siliquam dulcem, Arabes autem, ut antea diximus, carnubium. Sed & eadem est siliquæ dulcis, quæ etiam cassiæ fistulæ proprietas. Nam utriusq; medulla cum recens est laxat uentrẽ: cum uero exicata potius contrahit: Quod de siliqua dulci Dioscorides, Galenus & Paulus, ac Plinius quoq; testatur apud nos. De cassia fistula autem constat medicorum experientia. Hic tamen medicos iuniores commonefacere oportet, etiam in libris Græcorum, sicuti Dioscoridis atq; Galeni, de cassia fistula legi, sed non de illa de qua tu quæris, quæ uim habet aluum molliendi: atq; ideo à quibusdam recentioribus siliqua pharmaceutica nominatur, sed de quadã specie cassiæ ligneæ, quæ σύριγξ, id est fistula ab eisdem Græcis nominatur. Quapropter diligentius aduertendum, ne cum in libris Græcorum cassiam fistulam scriptum inuenimus, alteram putemus intelligi, de qua Arabes autores loquuntur. Quo quidem in errore scio pleroscp medicos recẽtiores frequenter implicari, qui cortice cassiæ fistulæ arabicæ medicinæ adcitanda menstrua utuntur, cum cassiam ligneam potius ad eundem usum debeant recipere, ex Dioscoridis & aliorum medicorum græcorum autoritate, qui alteram cassiam fistulam uidentur neglexisse, sicuti & alios arborũ fructus, quos autores Arabes, & medici iuniores illos sequentes, in frequenti usu habent, omnino despexerunt. Iuiubas quidam arabes autores, Serapio præsertim, ad multos usus medicinæ commendant. Vnde & medici iuniores aquã in qua decoctæ sunt iuiubæ calida & tenui pituita laborantibus ad potandum exhibent. Galenus tamen libro secũdo de alimentis, capite De sericis, id est zinzifis uel iuiubis, ingenue fatetur se non habere aliquid de ipsis testificari ad sanitatis cõ-

seruationẽ,

seruationem, aut ægritudinum curationẽ: Sunt enim, ut inquit, cibus mulierum & puerorum effrenatorũ, paucicp alimenti, & indigestibiles, simul cum hoc quod neq; eustomachum est alimentũ, palàm quod & ipsum dant paucũ corpori. Quid tritius est sermone medicorum, quàm sebasten, uel eclegma, siue, ut uocabulis usitatis apud iuniores medicos utamur, electuarium de sebastenis? De hac tamen tam famosa apud Arabes ac iuniores medicos medicina, neque Dioscorides, neque Galenus quicquã commeminerunt. Paulus uero utroque ætate posterior, hoc tantum de mixa dixit, quod est fructus arboris, minor quidem prunis, uiribus autem similis. Mixam autem esse fructum, quem Arabes sebasten nominant, minime dubitamus: quod & sensus ipse Pauli uerbis idem confirmantibus probat. Est enim, ut ille inquit, mixa pruno quidem similis fructus, sed minor eo. Plinius quoq; libro XIII de naturali historia, capite scilicet De Syriæ arboribus, de prunis in Damasco monte natis & mixis unà loquitur, & ait utrunq; fructũ iam esse familiarem Italiæ. Forte autem hoc studium nostrum facturum est scientiæ medicinæ utilitatem, si res illas, quas solent medici recentiores barbaris tantum nominibus enuntiare, & non nisi à Barbaris mendicare, iam latinis aut græcis uocabulis indicauero, & posse etiam in Italia inueniri demonstrauero. Dudum enim tiris pretij autoritatem ademimus, alios esse in Italia serpẽtes, multo quàm tiri Aegyptij ad theriaces compositionem utiliores ostendentes. Factiq; iam sumus illis odiosi, qui non uera remedia, sed nomina magis uenditant. Verũ hæc tibi & tui similibus scribimus, qui ex arte medicinæ non adeo quæstum quàm salutem hominum quærunt, & in Italia ægrotãtibus malunt latine quàm arabice medicari.

Mixa fructus.

DE MANNA.

DE manna, de qua etiam quæris quid sit apud Dioscoridem, si Simonis Genuensis probarem sententiam, qui in litera M. capite De melle, ait antiquos Græcorum non habuisse zuchari notitiam, quo nos utimur in uarijs compositionibus, dicerem quid ille loco allegato in suis uerbis insinuat mannam apud Dioscoridem esse, sacharum ab eodem Dioscoride in capite De melle nominatum. Verum ego aliter sentio, sacharū apud ipsum, sicut etiam apud Galenum, esse id quod nos uulgo zucharum nominamus: & Græcos ueteres de sacharo, siue zucharo quidem specialiter quandam speciem mellis esse dixerunt: de manna autē generatim tantummodo, non autem speciatim fuisse locutos: licet Mesues falsò Galenū tribus in locis alleget de manna loquentem: scilicet capite De manna, & capite De scamonea, & capite De cōfectione mannæ ex inuentione Galeni. Manna enim apud græcos autores non est medicina molliens uentrē, sed potius astringens, & frequentius man
Manna thuris na thuris, quæ manna simpliciter nuncupatur. Nam, ut inquit Galenus libro XIII artis curatiuæ, ea quæ manna uocatur est cōcussio thuris, quæ paruam quandam uim astringēdi participat, atq; ob id ad quædam melior est ipso thure. Hoc enim uim solam suppurandi habet, & quod minime stipticum existit, maximeq; illud quod pinguius est & colore albius: quēadmodum quod hoc flauius est magis exiccat. Illi autem quæ manna uocatur, parū quoddam ex cortice thuris admixtum est, à quo uim stipticam habet. In eandem sententiam scribit Plinius libro XII de naturali historia, capite XV De thuris natura & generibus eius inscripto: hæc enim sunt eius uerba: Micas concussu elisas mannā uocamus. Quanquam uitio codicis non mannā, sed mammam legatur: ut iam obiter sit tuæ tertiæ quæstioni satisfactum.

ctū, quid sit manna thuris apud Dioscoridē. Supra aūt dixi autores græcos de manna, cassiæ fistulæ compari medicina, etsi non speciatim, saltem generatim scribere: quoniam potest hæc manna uentrem soluens ad caput De melle apud eosdem græcos autores referri, sicuti etiam sacharū, quod species mellis tum à Dioscoride, tum etiam à Galeno ponitur: hæc enim sunt Dioscoridis de sacharo uerba: „ Vocatur autem quoddam etiam sacharū, species mellis existens, „ quod in India concrescit, & in Arabia felici inuenitur in ca„ lamis, simile secundum substantiā sali, & sub dentibus in„ star salis confringitur. Licet Simon Genuēsis, ut supra notauimus, sacharum hoc de quo Dioscorides, non zucharū nobis dictum, sed quandam mannæ speciem esse putauerit: ut hac una tantum ratione Mesues possit excusari, Galenū allegans de manna scribentem, si per mannam sacharum intelligit, quod Dioscorides atq; Galenus speciem mellis arbitrātur. Manna enim, de quo Arabes autores specialius loquuntur, parum differre à zucharo & melle, patet autoritate tum Serapionis, tum etiam Auicennæ: quorum alter tereniabim, quæ est species mannæ, mel roris appellat: Alter uero suacharum haoscer mannæ speciem esse dicit. Neq; obstat, quod mel ferè ubiq; nascatur, & sit apum opus, manna autem paucis in locis, & sit naturæ tantū munus. Quoniam si hæc ratio ualeat ad probandum mannam non debere ad caput De melle reduci, etiā de sacharo probaret, quod tēpore Dioscoridis, sicuti ex uerbis huius autoris supra notatis apparet, in India tantum & felici Arabia inueniebatur in calamis, & tamen inter species mellis non solum à Dioscoride, sed etiam à Galeno connumeratur. Qui duo autores eodem capite de utroq; scripserūt. Quanquam Auicenna uidetur salem Indum, de quo Dioscorides, non solum à melle, sed etiam à zucharo distinxisse: Siquidem quarto Ca

none & zucharũ taberzeth, & ſalem pariter Indum inter re/media nominat, quæ ad linguæ faciunt aſperitatem: ſed zu/charum taberzeth, cum hæc aſperitas ex uiſcoſitate proue/nit: ſalem autẽ Indum, cum ex ſiccitate: Adeo ut appareat Auicennã ſalem Indum aliud eſſe à zucharo taberzeth exi/ſtimare. Per ſalem tamen Indum & Auicẽnæ expoſitores, ſicuti Gentilis & Herculanus, zucharũ candi intelligũt. Ve rũ hæc expoſitio uerbis Auicennæ repugnat, quarto Cano/nis, capite De aſperitate linguæ febricitantiũ, inquientis, ſa lem qui aſportatur ex India eſſe in colore ſalis, & dulcedine mellis. Intelligit autẽ Auicenna, ſicuti & Paulus, à quo Aui cenna hoc remedium ijſdem ferè uerbis accepit, de ſale al/bo, qui pro condimento cibis admiſcetur: zucharum autẽ candi nominatũ non eſt colore album omnino, ſed potius ſubluteum. Illud præterea quæri ab Auicenna & eius expo ſitoribus poſſit, cur zucharũ taberzeth ad aſperitatem quæ ex uiſcoſitate prouenit habeat efficaciam, zucharum autẽ candi ad alteram quæ fit ex ſiccitate, cum zucharum taber/zeth, eodem Auicenna autore xx Canone, uim habeat leniendi, quod de zucharo candi nulla conſtat autoritate aut ratione: niſi per zucharum candi rubrum intelligamus: quoniam ſecundum Auicennam ſuimenum, & rubrum, uehementioris ſunt lenificationis: uerum zucharum candi à zucharo rubro etiam apud medicos iuniores diſtinguitur. Forte autem hic error Expoſitorũ, ſalem Indum zucharũ candi interpretantium, non magni eſt ad uitam momenti, quando & zucharum candi res factitia ſit, cuius materia eſt zucharum album. Illud potius eſt inueſtigatione dignum, nunquid zucharum candi debeat febricitantibus ad ſitim ſedandam exhiberi, in ore retinendum, ut plerique medici no ſtro tempore faciunt, & Montagnana in quodam conſi/lio innuit faciendum, qui ait zucharum candi à uiris illuſtri bus

Zucharum candi.

bus ſalem Conſtantinopolitanũ nominari, & colligendum eſſe ait prima quarti De cura ſitis in febribus. Quod tamen nulla ſpecies zuchari competat ad ſitim extinguendã, niſi forte zucharum haoſcer, quod eſt quædam ſpecies mannæ, patet autoritate Auicennæ, qui ſecũdo Canone ſcribit hæc
» uerba de zucharo haoſcer: Et non facit ſitim, ſicuti reli/
» quæ ſpecies zuchari: quoniam eius dulcedo eſt parua, & eſt
» bonum ſtomacho & epati. Ex quibus uerbis duo colligere poſſumus, zucharum haoſcer, quod eſt manna, cadens ſuper aluſar, & eſt ſicuti fruſta ſalis, tum zucharũ, tum etiã mannam nominari, & reliquas ſpecies zuchari facere ſua nimia dulcedine ſitim, excepta illa quæ zucharum haoſcer nuncupatur. Quare cum zucharum candi ſit modus zucha ri diuerſus à zucharo haoſcer, nõ uidetur ullã ad ſitim extin guendã habere efficaciã. Et ſi uerũ fateri uelimus, male Aui cẽna à Mõtagnana allegat, prima quarti, capite De cura ſi/tis in febribus: In eo eĩ capite nulla uerba ſunt, ex qbus ali qd de zucharo candi poſſimus colligere, quod ſit inter alia remedia ad ſitis extinctionẽ ꝓtinẽtia ab Auicẽna nominatũ.

DE IXIA VENENO.

DE ixia autẽ, de quo & in epiſtola quæris, quid ſit apud Dioſcoridẽ & in chirographo, qd apud Auicennã & medi cos iuniores, nõ facile eſt reſpõdere, propter nominis nõ ſo lum apud Græcos, ſed etiã apud Arabes ambiguitatẽ: Nam & chamæleon albus & niger ixias à Græcis nuncupatur, & præterea quoddã ueneni genus, qd nõ modo ixias, ſed etiã ulophonos cognominat: Quãꝯ & hæc cognominatio etiã radici chamæleõtis nigri, quæ & ipſa uenenũ eſt, ab eiſdem Græcis tribuat. De utraq; aũt radice, & chamæleõtis nigri, & ixia ueneno agit Paulus in tractatione uenenorũ. Dioſco rides uero in eadẽ tractatione de ixia tantũmodo, cuius etiã ueneni in libris ſuis De ſimplici medicina ſcriptis ſæpiſſime meminit.

meminit. Nam capite De absynthio inquit ipsum cum uino conferre ad ixiam & cicutam. Item capite De castoreo siue de testibus castoris, inquit eos bibi cum aceto contra pharmaca pernicioſa, sed peculiariter ixiã. De oxymellite etiam scribens quomodo paretur, postmodum inter alias utilitates hanc quoq; subiungit, quod iuuat illos qui meconiũ uel ixiam biberint. Itẽ capite De tragorigano ait quod omnes eius species cõtra ixiæ potum cum uino utiles sunt: & pluribus alijs in locis, quos nolumus nisi quantũ ad propositum nostrum attinet commemorare. De ixia ueneno Dioscorides loquitur. Quare si quæris quid sit ixias apud Dioscoridem libro quarto, possum in præsentiarum respõdere, esse proprij generis uenenum, radicem & ipsum, ut Paulus ubi de uenenis agit testificatur, licet cuius plantæ sit radix non explicet, tamen à radice chamæleontis nigri diuersam, quemadmodũ ex eodem Paulo constat, qui duo capita, alterum De radice chamæleontis nigri, alterum De ixia inter uenena facit, utetiam paulo ante significauimus. Hoc idem ueneni genus animaduerto Plinium sæpissime in suis de naturali historia libris uiscum, nescio an recte, nominasse, atq; eadem remedia contra uiscum scripsisse, quæ Dioscorides contra ixiam uenenum, de quibus paulo ante uerba fecimus: Nam libro XX, capite XVII De tragori
„ gano ita scribit: Tragoriganum simile est serpillo sylue
„ stri, urinam cit, tumores discutit, contra uiscum potum, ui
„ peræq; ictum efficacissimũ. Item libro XXIII, capite se
„ cundo: Oxymel, inquit, antiqui profuisse fatentur contra
„ uiscum. Item libro XXVII, capite VII, hijs uerbis uti
„ tur: Absynthij genera plura sunt, aduersantur uisco cicu
„ tæ cum uino. Libro pariter XXXII, capite tertio ita scribit:
„ Testes castorum medentur poti contra uenena, auxilian
„ tur priuatim contra uiscum ex aceto. Sed & idem Plinius libro

libro XX, capite XIII, ait rutam folijs tritis cum uino sumptis ualere contra aconitum, & maxime uiscum. Quo etiam remedio Dioscorides utitur in libro De uenenis contra potum ixiæ ueneni. Itidem Plinius libro XXIIII, capite VI, laudat resinas tanquam uisco aduersantes. Dioscorides in eodem libro contra ixiam uenenum resinam abietinam præcipue cõmendat. Ex quibus omnibus, tum Plinij, tum etiam Dioscoridis uerbis inuicem collatis, luce clarius apparet, Pliniũ id ueneni genus, quod Græci ixiam uocant, uiscum, ut diximus, appellasse. Auicenna quoque IIII Canonis de uisco tanquã ueneno loquitur, & eadem fere signa scribit atque remedia, quæ Dioscorides in ixiæ ueneni potione. Multi tamen medici iuniores hoc nõ animaduertentes putant tam Plinium, quàm etiam Auicennã de uisco loqui quo aues decipiuntur. Ego autem non uideo quomodo aut Plinio, aut Auicennæ conueniat, uiscum aucupum inter uenena connumerare. Plinius siquidem libro XVI, ca. ultimo, de uarijs uisci generibus accuratissime scribit. Tantumq; abest ut aliquid ipsorum dicat esse uenenũ, quod uiscum in robore arbore natum, certa tamen religione decerptum, dicat secundũ Druidum opinionem contra omnia uenena esse remedio. Superstitionum tamen eodem in loco Plinius improbat opinionẽ, non refellit quod multo magis fuerat faciendum, si uiscum esse uenenum existimasset. Neq; minus Auicenna II Canone, de uisco tanquã salubri medicina plurima refert, nullã nobis dans quod sit uenenum mortiferum significationem. Quare fateri oportet, utrunq; autorem aut sibijpsis in uarijs locis repugnare, aut cum de uisco tanquam ueneno loquuntur abuti uocabulo, quoniam ixias pro ueneno sumptum non sit uiscum, licet sit nomen à uisco deductum: Sicuti enim chamæleon albus & niger ideo ixias nominatur, quia in quibusdam locis

uiscum gignit sub alis foliorũ, ut inquit Plinius libro XXII, capite XVIII: ut autem Dioscorides, iuxta radicem, ita ixias uenenum, ut hoc nomine uocaretur, habuit à casu qui eius sequitur potionem. Nam sicuti uiscum quæcunque illi adhæserint retinet, ita ixias uenenum hausturn contrahit omnes corporis superfluitates. Nos quidem ita Plinium per abusionem uocabuli à contradictione uindicamus. Viderint autem medici iuniores, quo pacto Auicennam tueantur, quem uolunt IIII Canone, de uisco aucupum, inter alia uenena fuisse locutum. Nam quidam ipsorum, qui satis prolixum tractatum de uenenis ediderunt, Auicennam allegant talis uisci intus assumpti remedia scribentis: Neq; sanè admodum foret admirandum, ita in hoc ixia Auicennam, sicuti in altero, scilicet in radice chamæleontis nigri, hunc enim & ipsum ixiam à Græcis, licet dissimili ratione diximus nuncupari, nominis uicinitate fuisse deceptum. Sic enim quæ ixiæ uenení sunt propria, ixo, id est uisco, tanquam ueneno, quarto Canone Auicenna tribuit, ueluti quæ chamæleonti albo aut nigro cõueniunt, idem Auicenna alteri frutici adscribit, quẽ Græci chamæleam, Arabes mezereon appellant. Est autem chamælea nõ solum figura, sed etiam uiribus multum à cha-
Chamælea unde. mæleonte albo uel nigro diuersa: & chamælea quidem ideo hoc nomen sortita est apud Græcos, quia habet folia similia oliuæ. Chamæleon autem albus & niger, ut inquit Dioscorides, silybo, uel scolymo assimilatur. Qui uero in Creta insula herbam adhuc à Græcis chamæleontem uocatũ uiderunt, testantur ipsam esse aculeatam, & ferre uiscũ, ut de ipsa tum Dioscorides, tum etiam Plinius prodiderunt. Quo uisco etiam inquiunt Cretas pennas sagittis agglutinare. Aiunt præterea herbæ illi, quam nos carlinam nominamus, esse simílli-
Carlina herba. mam, quam quidam putant ideo carlinam à nostris nominari, quia fuerit Caroli regis inuentum. Ego potius carlinam una lite

una litera uariata, pro cardina dictam existimo, quoniam sit è genere carduorum, siue herbarum aculeatarum. Ideo autem chamæleon herba à Græcis nuncupata, hoc nomẽ apud ipsos obtinuit, quia mutat cum terra in qua gignitur colores more chamæleontis animalis, quod & ipsum stabilem non habet colorem, sed quencunq; proxime attingit, admittit, præter rubrum & candidum. Quamuis autem in chamælea frutice, & chamæleonte herba aculeata, sit non modo nominum, sed etiam naturæ ratio diuersa, Auicenna tamen atq; Serapio, & omnes ferè Arabes, ambarum proprietates in uno capite confuderunt. Quem quidem errorem licet apud Serapionẽ manifeste deprehendere, capite De mezereon, id est, chamælea, in quo scilicet capite mezereon describit eodem modo quo Dioscorides chamæleam, & eadem mezereon medicinæ tribuit proprietates, quas Dioscorides, quem etiam Serapio allegat, capite chamæleæ. Sed paulo post eodem capite etiam Paulum Serapion adducit de mezereone albo & nigro loquentem. Nigrum tamen & album non sunt mezereonis, id est, chamæleæ fruticis differentiæ, sed chamæleontis herbæ aculeatæ, cuius duo genera, alterum albi, alterum nigri, discrimine non modo à Dioscoride, sed etiam à Plinio distinguitur, imò ab ipso etiam Serapione, qui postea alio in loco, & capite diuerso de chamæleonte albo & nigro, eadem ferè scribit quæ de ambobus Dioscorides. Neq; meminit se de eisdem herbis capite De mezereon fecisse mentionem. Auicenna pariter id quod ipse aliis solet obijcere, caput in capite posuit: nam II Canonis, & chamæleæ, & chamæleontis albi & nigri proprietates, capite uno De mezereon inscripto complectitur: cuius plures facit species, cum tamen chamælea, quam Arabes proprie mezereon uocant, sit simplex species, se-

cundum Dioſcoridem, Galenum & Paulum, ac Plinium, qui omnes chamæleontem album, & nigrũ ſui generis herbas fecerunt, à chamælea, id eſt, mezereon frutice differentes. Hunc eundem errorem repetens Auicenna etiam II Canone in litera K: Chamæleon, inquit, eſt ſpecies de mezereon, nigra, mortifera. Eodem tamẽ libro II Auicenna de Chamæleonte tam albo, quàm nigro ſeorſim loquitur, & illas narrat proprietates utriuſq; quas etiã cap: De mezereon, id eſt, chamælea diuerſis eius ſpeciebus aſſignat. Ait præterea eodẽ cap: De mezereon, quod omnes ſpecies adminiſtrant ad morpheã, & albaras, & lentigines linitæ exterius, & quãdoq; admiſceẽ ſulphur, qui tamẽ medicinæ uſus uni tantũ chamæleonti nigro competit, ut non modo Dioſcorides, ſed etiã ipſe Auicenna in litera C, cap: De chamæleonte teſtificatur. Subiungit etiam Auicenna, quod omnes ſpecies eiuſdem mezereon adminiſtrãtur ad impetiginem, & ulcera ſordida cũ melle, & eradicant cortices. Hoc quoq; dictum falſum eſt, ſicuti prius, quia iſta proprietas purgandi ulcera ſordida, & quæ eſcaram habent cum melle, non eſt chamæleontis albi uel nigri, quos eo capite Auicenna falſõ innuit eſſe ſpecies mezereon, ſed chamæleæ tantũ, ut habetur ex Dioſcoridis & Galeni pariter autoritatibus. Hunc errorem continuans Auicenna etiam IIII Canone, accidentia atq; remedia, quæ chamæleontis nigri radici uenenatæ à Paulo aſſignantur, ipſe ad mezereon, id eſt, chamæleæ ſubſcribit. Et hoc eſt quod præcipue probare intendebamus, eodem modo erraſſe Auicennam, Ixon, id eſt uiſcum, pro ixia ueneno IIII Canone, inter uenena numerando, ſicuti eodẽ in libro pro chamæleonte nigro, mezereon, id eſt, chamæleam, itidem nominum propinquitate deceptus accepit. Sed & ſicuti Auicenna de mezereon in pluribus locis ſcribens ſibĩpſi non conſtat, quia aliquando facit chamæleontem al-

tem album & nigrum eſſe ſpecies mezereon, & de ipſis unà cum chamælea eodem cap: agit. Aliquando ſeorſim de chamæleonte albo & nigro pertractat, ita ixiam uenenum IIII Canone ad diuerſa cap: refert, alterũ de uiſco, de quo ſupra diſſeruimus, alterum de thephiſia, quam gummi rutæ montanæ interpretatur. Hic quoq; multis ſeſe erroribus implicans: Primus error eſt falſæ expoſitionis, qui etiã II Canone inuenitur cap: de Thephiſia, ubi thephiſiam pariter gummi rutæ ſylueſtris exponit. Quem etiam errorem ex parte ſecutus eſt in quodam conſilio Montagnana, in quo homini leproſo conſulit, & iubet applicari remedium ex ſerpente nigro factum, cum quo thephiſia humida, id eſt, recens coniungitur. Thephiſiam autem Montagnana exponens, ait quod eſt ruta ſylueſtris, quæ ſi deſit, uice eius ſatiuam, ſiue domeſticam rutam apponi præcipit. Verũ ſi Montagnana caput de thephiſia II Canone, cum cap: De tapſia apud Dioſcoridem cõtuliſſet, proculdubio intellexiſſet hoc nomen thephiſiam eſſe apud Auicennã deprauatum, et pro tapſia ſcribi thephiſiam. Vnde ex errore ſcripturæ etiam falſa expoſitio habuit originem. Ex eodem Dioſcoride diſcere Montagnana potuiſſet, tapſiam alio nomine non rutam ſylueſtrem, ſed ferulam potius ſylueſtrem nominari. Secundus error eſt apud Auicennam, quia quos effectus Dioſco. Paulusq; ixiæ ueneno tribuunt, eoſdem ipſe thephiſiæ, id eſt, gummi rutæ agreſtris attribuit, non animaduertens qđ de eodẽ ixia cap: De aldibe, id eſt, uiſco eodem in libro ſcilicet IIII Canone, paulo poſt erat tractaturus. Siquidẽ capite de thephiſia ſcribit hæc uerba: „ Hæc eſt gumma rutæ „ montanæ, & quandoq; ſentitur in ſapore eius, ſicuti ſapor „ albedagori, & eſt calida, & accidit illi qui bibit eam retentio „ eorum omnium quæ currunt ex utriſq; uijs, & apoſtematur „ lingua, & accidunt rugitus & inflatio. Quæ omnia ſigna etiã

ſcribit Dioſcorides in hijs q̃ ixiam uenenũ biberint. Tertius error eſt, & quidẽ multo prioribus grauior, quoniã Auicenna ipſe ſibi ipſi in thephiſia cõtradicit: nam II Canone, capite De thephiſia ſcribit, quod in radice eius, & corticibus ipſius, & lachrima eius eſt ſolutio. Quarto autẽ Canone de eadem thephiſia, id eſt, gummi rutæ montanæ inter uenena tractans, ait quod accidit ei qui bibit ipſum retentio eorum omniũ quæ currunt ex utriſq; uijs: Quare cum ſolutio atq; retentio ſuperfluitatũ ſint effectus contrarij, liquet illa quam in uerbis Auicennæ notauimus contradictio. Hæc autẽ à nobis de thephiſia obiter dicta ſunt, partim ut oſtenderemus quot noſtri temporis medicina erroribus inuoluatur, medicis iunioribus Auicennã in illa principem ſtatuentibus, & multa quæ idem Auicenna ſcripſit ſine ullo rationis examine pro uero admittentibus, quemadmodum de Montagnana medico ſuo tempore illuſtri paulo ante ſignificauimus: partim ut tibi unà manifeſtaremus id quod etiam ab initio inſinuauimus, difficillimũ eſſe quid ſit ixias apud Auicennam, & medicos iuniores illum ſequẽtes indicare: quandoquidem Auicenna in hoc ueneno uidetur ambiguus, modo uiſcum, modo thephiſiam, id eſt, gummi rutæ montanæ ipſum appellãs. Vnde & quidam recentiores de uenenis tractantes, duo capita faciunt ad Auicennæ imitationem, alterum de aucupum uiſco, quod uenenũ non eſt, uel ut ſit, non tamen ixias, de quo uidetur Auicenna capite De uiſco agere uoluiſſe: quando quidem non modo eadem ſigna, licet non omnia in uiſci notat potione, quæ Dioſcorides in hauſtu ixiæ uenenj, ſed etiam eadem ferè remedia contra ipſum ſcribit: alterũ de gummi rutæ ſylueſtris, ſiue montanæ, quod gummi nuſquã terrarum inuenitur. Eſt enim error, ut diximus Auicennæ, quẽ illi ijdem, quos ſtatim antea tetigimus, medici recentiores in ſuis de uenenis tractatibus animaduertentes, fatentur gummi rutæ agreſtis eſſe gũmi tapſiæ. Verũ iſti præter uiolentã expoſitionem, quia tapſiam rutam agreſtem nominari apud nullũ autorem quod ſciam, niſi apud Auicennã legitur, in alterũ multo maiorem incidunt errorẽ, in illam uidelicet contradictionẽ, quã nuper Auicennæ obiectauimus. Gummi enim tapſiæ, ut inquit Dioſcorides, purgat potenter ſuperius & inferius, adeo ut iuxta eundẽ Dioſcoridẽ doſis, quæ drachmã unã excedit, ſit periculoſa: Gummi autẽ rutæ agreſtis, de quo IIII Canone inter uenena Auicenna agit, intus aſſumptũ, uim habet retinendi omnia quæ currunt ex utriſq; uijs, ut ijſdem uerbis Auicenna teſtatur.

DE TVRBIT.

DE turbit autem de quo in chirographo quæris, difficile eſt etiam quo nomine apud Dioſcoridem cenſeatur determinare. Turbit enim eſt nomen barbarum: Barbari autẽ autores de ipſo uarie loquunt. Aliud ſiquidem de ipſo ſcribit Serapio, aliud Meſues. Quare ſi à me petas quid ſit apud Dioſcoridẽ turbit à Serapione deſcriptũ, poſſum tibi ſine aliqua hæſitatione reſpõdere eſſe tripoliũ, licet hoc nomẽ apud Serapionẽ allegãtem in eo Dioſco: ſit deprauatũ: Nam quæ de tripolio Dioſco: ac Plinius ſcripſerũt, quod in maritimis naſcit locis ubi allidit unda, neq; in mari, neq; in ſicco, folio iſatidis craſſiore, palmeo caule & mucrone diuiſo, radice alba, odorata, calida guſtu, et reliqua. Hæc eadẽ Serapio de turbit ſcribit, qd' caricamũ uitioſe, ut diximus, pro tripolio nominat. De quo uel codicis, uel autoris errore minus ſit admirandum, quando & apud Plinijũ non tripoliũ ſed trifoliũ potius corrupte legitur, adeo ut Simon dubitauerit, an ſit idem caput de trifolio apud Plinium, & de tripolio apud Dioſcoridem, & de turbit apud Serapionem. Pandectarius autem duo capita ſcripſit, alterum de tripolio ſecundum Dioſcoridem, alterum de turbit ſecundum Serapionem: quaſi turbit apud

apud Serapionem sit aliud à tripolio apud Dioscoridem: qui forte error Pandectarij, unà cum Simonis dubitatione, inde etiam habuere occasionem, quoniam in latino Dioscoride, cuius uerba citat Pandectarius, scribitur tripolium habere folia similia apio: Cum tamen uerius Dioscorides tradat esse similia isatidi herbæ, hoc est, illi quam uulgo guadum appellamus, quæ in usu tinctorum celeberrima est. Apud Serapionem autē hæc similitudo neq; ad apium, neq; ad isatidem refertur, sed ad quandam plantam, quæ arasatis nominatur. Quod uerbum puto apud Arabes esse corruptum, & pro isatide, arasatin scribi, sicuti etiam apud Plinium non folio isatidis, sed folio satis crassiore palmo itidem uitiose scriptum inuenitur. Qui quidem locus fuit à me pridem in libro De Plinij atq; aliorū medicorum erroribus castigatus. Si autem à me quæris quid sit turbit, quod describitur à Mesue, apud Dioscoridem, dicere oportebit, turbit illud Mesue non esse tripolium apud Dioscoridem, sed radicem alicuius herbæ habentis succum lacteum acutum, ex genere tithimalorum, seu lacticinorū, ut iuniores medici loquuntur. Tale enim est turbit, quod describitur à Mesue, nō habens folium simile isatidi, sed ferulæ potius: hæc enim sunt eius uerba, ut
» nosti: Turbit est radix herbæ, cuius folia sunt sicuti folia feru
» læ, minora tamen, & est ex habētibus lac. Quo circa Actuarius, grauis apud Græcos autoritatis medicus, multum tamen Galeno ac Paulo ætate posterior, qui multas Arabum medicinas illorū nominibus memorat, inquit turbit à Barbaris uocitatum esse radicem plantæ, quæ à Græcis pitiusa uocatur. In qua etiam opinione quidam alij Græci præter Actuarium fuisse uidentur, qui capite De pitiusa apud Dioscoridem, ubi de radice fit mentio, uerba illa interseruerunt, quæ non puto esse Dioscoridis, sed glossema potius ἣν καλοῦσιν τούρπετ, id est, quam radicem scilicet pitiusæ uocant turbit.

Turbit.

Sed

Sed contra hoc est quod hæc eadem radix à Serapione non turbit, sed sebram, id est esula nuncupatur: quod palàm fiet cōferenti ea quæ Serapio de sebram ex Dioscoridis atq; Galeni pariter scripsit autoritate, cum hijs quæ ijdem Græci autores de pitiusa prodiderūt. Quāuis Auicēna capite De sebram aliud potius uideatur describere, quàm radicem pitiusæ: Imò si uerba Galeni libro VIII De simplici medicina in pitiusa attendimus, & alia comparia secundo Canone, capite De mezetegi ab Auicenna scripta, liquidò apparet, quod mezetegi apud Auicennam sit pitiusa apud Dioscoridem: ita quod necessarium sit alterum duorum, uel sebram non esse esulam apud Auicennam, intelligendo per esulam radicem illius herbæ quam Græci pitiusam uocant, uel Auicennam in duobus capitibus secundi Canonis de eadem radice fuisse locutum, scilicet capite De sebram, & capite De mezetegi. Eadem eiusdem medicinæ repetitio superflua est apud Serapionem: Nam capite De tithimalo ultimo loco nominat speciem tithimali quæ dicitur ptia: uult autem dicere pitiusa: eadem enim de ea scribit quæ de pitiusa Dioscorides. Paulò infra aliud caput scribit De sebrā, & in eodem allegat Dioscoridem: quasi sebram alia sit à pitiusa medicina. Sed neq; illorum opinio est omittenda, qui putant turbit esse radicem herbæ, quam uulgo soldanā nominamus, passim in locis maritimis prouenientem. Hanc tamen opinionē esse falsam nos ita probamus: Soldana herba, uel eius radix non est turbit à Serapione descriptū, quia illud turbit est tripoliū apud Dioscoridē, & habet folia similia isatidi, ut nuper ostēdimus: Soldana autē herba nō est tripolium apud Dioscoridem, sed ad aliud caput refertur, ut mox ostendemus. Item soldana herba habet folia quadantenus hederæ similia, uel aristolochiæ rotundæ, turbit autē à Serapione descriptum: Sicuti etiam tripolium apud Dio-

G scoridem

ſcoridem habet folia ſimilia iſatidi. Eadē ratione probatur ſoldanā herbam non eſſe turbit deſcriptū à Meſue: quoniā iſtud turbit habet folia ſimilia ferulæ, ut etiā antea dictū eſt: ſoldanæ autē folia ſunt omnino à ferulæ foliis differētia. Simili argumento in libro De morbo gallico cōtra Gentilem probauimus, ſoldanā herbā nō eſſe cachilem apud Serapionem: quoniā cachile ſecundū eundē Serapionē habet folia naſturtij, quæ nullam præ ſe ferunt foliorū ſoldanæ ſimilitudinem. Hic autē uberioris doctrinæ gratia ſuperadiūgimus autores Arabes, ſoldanā herbam neq; ad caput De cachile, neq; ad caput De turbit retuliſſe, ſed Græcorū imitatione ad caput De caulibus. Eſt enim ſoldana herba uulgo à nobis dicta, illa quā Dioſcorides atq; Galenus braſſicā marinam appellant: quod liquidò apparebit, ſi quis inuicē contulerit ea quæ in herba ſoldana oculis intuemur, & quæ de braſſica marina Dioſcorides ſcribit. In hac tamen herba mihi uidentur autores Arabes eatenus aberraſſe, quatenus de caule domeſtico atq; ſylueſtri, ac ſubinde marino eodē capite continuatim tractauerūt, tanq; hæ omnes forent eiuſdē generis proximioris ſpecies, quod de ſylueſtri qdē atq; domeſtico caule cōcedi poſſet: quoniā tantū ſatiui atq; ſylueſtris differentijs diſtant: De marino autē caule nequaq;, qui omnino ab alijs duobus diuerſificatur, ut nō modo Dioſcorides, ſed etiā Galenus teſtificantur, quorū autorū ſententia braſſica marina, & braſſica ſatiua, uel etiā ſylueſtris æquiuoce dicuntur. Putaſſe autē Arabes caulem ſatiuū atq; ſylueſtrem, ac præterea marinū quandā habere inter ſe non modo figuræ, ſed etiā naturæ affinitatē, eo cōſtat argumēto, q; omnes eodem, ut diximus, capite cōplectunt. Et præter hoc etiā uerba Serapionis idem oſtendunt, qui de caulibus marinis ita ſcribit: Marini caules ſunt lōgin quiores à ſimilitudine domeſticorū, quàm ſcilicet ſint caules agreſtes. De illis em̄ ſatim

Cachile.

Soldanam eſſe braſſicam marinam.

tim antea locutus erat. Auicēna inſuper tres haſce ſpecies etiā effectuū cōmunitate cōſociat, ut cū II Canone De caulibus ſcribit in hūc modū: Sylueſtris, marinus, ac domeſticus maturat phlegmones & duritias. Quiqdē effectus à Dioſcoride cauli ſatiuo atq; ſylueſtri ex parte aſſignat: marino autē cauli à nemine adſcribit, & nulla experiētia cōprobat. Verior autē eſt Græcorū opinio à nobis tacta, q; caulis agreſtis atq; ſatiuus tantūmodo ſint figura, colore, & naturæ proprietatibus ſimiles, niſi q; agreſtis eſt albior & calidior, & ſiccior, ſicuti omnes aliæ plātæ ſylueſtres ſunt in eodē genere ſatiuis, ſecundū has duas qualitates, ut inqt Galenus, fortiores: marina aūt braſſica penitus ab illis ambabus euariat. Hæc ideo in Arabicis autoribus notanda cēſuimus, ne quis putaret nos ſoldanā herbā, ut illi fecerūt, forte qd eſſet apud Dioſcoridē atq; Galenū braſſica marina neſciētes, inter braſſicarū ſpecies cōnumerare. Sed quoniā multa interſeruimus ut te pleniori officio demereremur, iam ad illud redeamus de quo præcipue ab initio quærebat, qd ſit turbit apud Dioſcoridē. Forte aūt in tanta tum Arabū autorū, tum etiā Latinorū ſuper hac medicina opinionū diuerſitate, melius quæreret qd ſit apd' Dioſcoridē radix illa quā pro turbit officinæ uendūt. Ego qdē diu multūq; laboraui, ut herbā uirentē uiderē, cuius radix turbit nūcupat. Nā qui radicē tantū aridā ad nos afferūt, neq; ubi naſcat, neq; quali folio aut flore turbit inſigniat ſciūt dicere, niſi q; unus tantū pharmacopola id mihi de flore turbit eſt teſtatus, qd' de folio tripolij ſcribit Dioſcorides, q; uidelicet mane candidus, meridie purpureus, ueſpere phœniceus appareat. Qd' ſi mihi fuit uere relatū, p culdubio turbit, quo nos utimur, eſt tripolij apd' Dioſcoridē. Sed quoniā hoc de flore miraculū uix forte ipſi Dioſcoridi credat, nedū alicui pharmacopolæ, omnino ſatagendū, ut foliū ipſum uiride inſpiciamus, & an ſit folio iſatidis,

aut ferulæ ſimile, uel etiam neutro, diligẽtius cõſideremus: Fieri enim poteſt, ut radix illa qua utimur neq; ſit turbit Meſue, neq; etiam turbit Serapionis, tantã uideo in hijs rebus incuriam, quæ ſunt in uſu frequentiſſimo medicorũ. Siquis enim dixerit eſſe turbit Serapioni, illud obijcere poſſumus, quod turbit apud Serapionem eſt idem quod tripoliũ apud Dioſcoridem: Radix autẽ tripolij ſecundum eundem Dioſcoridem odorata eſt. Qua uero nos utimur pro radice turbit omnino caret odore. Si uero alter aſſerat hanc eſſe turbit deſcriptum à Meſue, cum ſit illud turbit ſecundũ eundẽ Meſuen ex genere habentiũ lac, ſeu lacticiniorũ, hoc eſt earum plantarum quæ habent lac maxime acutũ, interrogabimus ipſum, quidnam tandem erit ex hijs quæ à Dioſcoride uel Serapione deſcribuntur, an aliqua ſpecies tithimalorum. Sunt autem ſeptem uel octo, ſed nulla earum eſſe poteſt turbit à Meſue deſcriptũ: Nulla ſiquidẽ ex illis habet folia ſimilia ferulæ, qualia habet turbit à Meſue deſignatũ, ut conſtat ex Dioſcoride & Serapione, ſingulas tithimalorum ſpecies per folia ac flores, & reliquas proprietates deſcribentibus. Sed neq; lathiris eſt, quam iuniores medici cataputiã minorem uocãt. Auicenna autẽ mendanã, ut conſtat ex hijs quæ de lathiri Dioſcorides, & de mendana Auicẽna ſimilia ſcripſerũt, neq; peplios, de qua Dioſcorides agit inter alias quæ lac acutũ emittunt: Huius enim radix inutilis eſt, ut inquit Dioſcorides, & de hac quoq; Auicenna agit ſecundo Canone, ſub nomine bebilis, capite diuerſo à capite De turbit: eadẽ ratione neq; peplion, id eſt, portulaca ſylueſtris. Nam hanc quoq; Auicẽna ſecundo Canone bilomon nominat. Translatio autẽ librorũ Hippocratis De regimine acutorũ Feliciniũ uocauit, & nõ radice, ſed folio uel fructu ad uſum medicinæ adhibetur. Habet etiam folia ſimilia portulacæ, unde illi nomẽ, non autẽ ferulæ, ſicuti turbit deſcriptũ à Meſue

ſue. Deniq; per ſingulas ſpecies earũ plantarũ, quæ ſucco lacteo & acuto manant, diſcurrendo, non uidetur cuiq; earũ deſcriptio turbit, quæ apud Meſuẽ reperitur cõuenire. Forte autem neq; uere ſcribitur à Meſue, turbit eſſe è genere earum quæ lac habent. Siquidem hic idem autor inquit mezereon eſſe plantam lacticiniorũ maiorẽ, quæ tamen planta ab Arabibus mezereon nominatur, eadẽ à græcis Chamælea uocatur, ut cõſtat cõferenti caput De chamælea apud Dioſcoridem, cum capite De mezereon apud Serapionẽ, & etiã apud Auicennã, niſi q; Auicenna etiam ipſe, licet ſub nomine mezereon, chamæleam deſcribat, quam conſtat non eſſe de numero lactariarũ, ſiue lacticiniorũ, inqt mezereon eſſe lacticiniũ magnũ, ut uideantur Arabes, Auicẽna præſertim ac Meſues, capite De Mezereon in duplicẽ errorẽ incidiſſe, & quod mezereon, quæ à Græcis chamælea uocatur, inter lacticinia poſuerunt, & quod chamæleontẽ album & nigrũ cum chamælea ſiue mezereon confuderunt. Nam Meſuem quoq; non fuiſſe ſecundi huius erroris expertẽ probari poteſt ex hijs, quas ipſe mezereon in fine capitis tribuit proprietates, quas non chamæleæ, quam Arabes mezereon uocant, ſed chamæleõti potius albo uel nigro Dioſcorides aſſignauit: Quæ enim de mezereon Meſues ſcribit, q; interficit lumbricos, & quod collutio ex aceto eius cõfert dolori dentium, & quod fit unguentũ ex eo ad ſcabiẽ bonũ, & linimentũ ex eo & ſulphure delet morpheã, albaras, & lentigines, ſunt ferè proprietates, quæ chamæleonti albo & nigro, nõ autẽ chamæleæ, id eſt mezereon à Dioſcoride tribuũtur: Serapio uero etſi capite De mezereon ſimilem fecerit cõfuſionem chamæleontis, & chamæleæ, ut cum de ixia uerba faceremus oſtendimus, in eo tamen magis eſt quàm Meſues Auicenna probandus, q; mezereon haud quaq; fecit ex genere lacticiniorũ: & qui uerũ mezereon, hoc eſt chamæleã

agnoscũt, sciunt eã non habere lac. Dixi autem uerũ mezereon quod à Græcis chamælea dicitur, quia apud nõnullos Arabes, Ioannẽ scilicet Serapionẽ, ueluti Simon annnotauit, mezereon est mirdane, uel mendane: quæ autẽ mendane ab Auicenna uocatur, est lathiris apud Græcos, & cataputia minor apud medicos iuniores, quã certũ est non esse mezereon neq; ab Auicẽna, neq; à Serapione, neq; etiam à Mesue designatũ, ut satis constare ex uarijs descriptionibus arbitramur. Et quia aliud caput de mẽdane, aliud de mezereon Serapion atq; Auicenna scripserũt: non solent autem autores Arabes duo capita, sed unũ tantũ de eadem simplici medicina scribere, nisi forte nominũ uarietate decepti, quæ una sit geminã eã crediderint: Nam q; de Auicẽna supra dubitauimus, ne forte de esuladuobus capitibus egerit, & capite de sebram, & altero de mezetegi, hunc liquidò errorẽ in Serapione deprehẽdimus, q capite De tithimalo ultimo loco nominat speciẽ tithimali, qui dicitur ptias, uult autẽ dicere pitiusa, cuius radicẽ quidã esse turbit, ut supra ostendimus, existimauerũt. Et paulo infra aliud caput scribit de sebram, in quo easdẽ tribuit sebram proprietates, quas pitiusæ Dioscorides, neq; meminit se de eadem planta etiã inter species tithimalorũ fuisse locutũ. Supra autẽ diximus, ut ad id propter quod hæc omnia subiunximus reuertamur, turbit apud Serapionẽ esse tripoliũ apd' Dioscoridẽ, qui q̃dẽ Serapio neq; ipse mezereon, sicuti neq; tripoliũ Dioscorides lacticinijs annumerauit. Simon autẽ Genuensis in litera L, ubi de lacticinijs facit mentionẽ, etiã tripoliũ inter ista collocauit: Quia eñ Mesues ponit turbit inter lacticinia, turbit autẽ apud Serapionẽ est planta quã Dioscorides uocat tripolium, nesciens Simon hoc nomen turbit apud duos autores æquiuoce dici, apud alterũ de planta habẽte lac, & folia ferulæ simili; apud alterũ de planta carẽte lacte, & foliũ isatidi,

Mendane.

tidi, id est guado simile gerenti, propter uerba Mesue de turbit, tripoliũ quoq; inter lacticinia cõnumerauit. Vide quot difficultates, & q̃dẽ inexplicabiles, occurrũt medicis iuniorib⁹, Arabũ autorũ doctrinã sequẽtibus, ob eorundẽ autorũ nõ modo à Græcis, sed etiam à seipsis discordantiã. Quare nulla alia inter tot, quæ de simplicibus medicinis habent̃ ambiguitates relinq̃t uia, nisi ut ad sensum iudicẽ cõfugiamus, ut si plantã uirentẽ habere possimus, cuius radix pro uero turbit afferat̃, nunq̃d sit ex genere lacticiniorũ, uel alia, discutiamus.

DE BVGLOSSA.

DE bugloſſa autẽ, de qua quæris, an ea qua pro bugloſſa utimur ſit uera bugloſſa, ſi tibi quod ſentio reſpondero, uereor ne ſicuti tu admodũ docte dubitaſti, ita ego nimiũ proterue uidear uniuerſam noſtri temporis medicinã euertere: Nã ſi probare cõtendero, bugloſſam, quã medici iuniores ad uſum medicinæ adhibẽt, nõ eſſe uerã bugloſſam, cur etiã inquiet aliquis, lactucã qua ueſcimur, uerã eſſe lactucã non inficiaris? Non ita tamen ſumus animati: abſit enim à nobis tanta temeritas, ut omnia iuniorũ medicorũ placita ueli⁹ demoliri. Sed ſicuti multa eorũ probanda cẽſemus, ita plura ſunt in quibus autores ueteres magis ſequendos iudicamus, atq; in illis præſertim, in quibus ijdẽ medici iuniores inuicem uidentur diſſentire. De boragine Simon Genuenſis in litera B ita ſcribit: Borago herba nota cibo apta, & medicinæ, & flos, & folia, & ſemen bugloſſa dicitur, ſpecies eius ſylueſtris. Non reperio aliquẽ autorẽ autenticũ, facientẽ capitulũ de utraq;: ſi ſcribit de una, nõ ſcribit de alia. Hæc ille. Pandectarius aũt aliter ſentit: nã II capite ſcribit alterũ de boragine, in quo allegat Dioſcoridẽ: alterũ de bugloſſa, in quo citat Serapionẽ ex eiuſdem Dioſc: autoritate de bugloſſa loquentẽ. Mõtagnana uero in q̃dã cõſilio ſcribit hæc uerba: Borago aũt nõ placet, q̃a planta multũ uentoſabilis, &

Borago.

» & uentositiua, quod ostẽditur propter multitudinẽ eructu-
» ationũ quas efficit: Et licet ponatur temperata, quia est spe
» cies buglossæ, quæ temperata est, de ea parum ab autoribus
» scribitur, & plura de ea creduntur, quàm ratione & autorita
» te uerificari possint: Auicenna tamen de ea nihil dixit. Vi
» de quanta sit istorum autorũ discordia: Alter dicit nullum
autorẽ de utraq; , scilicet de boragine & de buglossa loqui:
Alter super ambabus herbis citat Dioscoridem: alter facit
buglossam speciem boraginis syluestris: alter boraginẽ bu
glossæ tanq; generi subijcit. Auicenna quoq; secundo Ca
none, capite De lingua bouis notat sui temporis medicos,
qui non uera buglossa uterentur, sed alia quæ non habet eas
dem utilitates. Quare in tanta medicorũ tum latinorũ, tum
etiam Arabum de herba buglossa controuersia, quid mihi
uideatur aperiam. Primum illud pro confesso habetur, bu
Buglossa un- glossã græco interpretamẽto linguæ bouis assimilari. Duæ
de dicta. autẽ sunt herbæ linguæ bubulæ, atq; ideo etiam inuicẽ simi
les: altera à nobis lingua bouis, altera borago nominatæ: sed
duæ quoq; herbæ itidẽ linguæ bubulæ similes celebrant græ
cis nominibus apud Græcos: altera buglossum, altera cris
sion ab eisdẽ Græcis nũcupatæ: adeo ut miníme dubitẽ duas
illas herbas, quarũ alterã linguã bubulam, alterã boraginẽ
sermone nostro uocitamus, ad duo capita apud Dioscoridẽ
debere referri: quorũ alterũ est de buglosso, alterũ de crissio:
Nam & hoc propter magnã quam habet cũ buglosso simi
litudinẽ, buglossum magnum pariter à Græcis appellatur.
Verum diligẽtius considerantibus descriptio buglossi apud
Dioscoridem plus boragini cõuenit: descriptio autẽ crissij,
siue buglossi magni plus alteri quadrat, quã nos uulgo bu
glossam seu linguam bubulam nominamus: siquidẽ idem
Dioscorides inquit folia crissij esse longiora foliis buglossi.
Quanq; apud Plinium, qui crission libro XXVII, capite VIII
ferè

ferè eodem modo quo Dioscorides describit eandem crissi-
on habere folia non longiora buglosso, seu ut ipse interpre-
tatur, lingua bouis, sed potius minora scribatur. Quẽ puto
errorem ex uocabuli græci similitudine, & codicis mendo
quem Plinius habuit, contigisse: quoniam pro macrotera,
quod uerbum significat longiora, microtera, id est minora
scriptũ inuenit. Ego uero in multis codicibus græcis non so
lum impressis, sed etiam manu scriptis apud Dioscoridem
μακρότερα, id est longiora, non autẽ μικρότερα, id est, minora re-
peri. Liquidò autẽ sensui subijcitur, folia herbæ illius, quæ
uulgo buglossa dicitur, esse foliis boraginis longiora. Item
idẽ Dioscorides inquit, in summo caule crissij esse capitula
purpurea, quæ soluuntur in lanugines, quod etiam in herba
buglossa à nobis appellata usu deprehenditur, contrà in bo
ragine capitula cerulea, non autẽ purpurea conspiciuntur.
In autore autem De simplici medicina leguntur hæc uerba:
» Buglossam Romani linguã bubulam, Lucani corago, na
» scitur locis cultis & fabulosis. Forte autẽ pro borago uerbo,
corago uitiose scribitur, aut nomen coraginis una litera uari
ata est in boraginem uersum. Quod autẽ inquit nasci locis
cultis & fabulosis, hoc idem de suo buglosso Dioscorides
tradit. Pandectarius quoq;, si qua est huius hominis autori-
tas, in litera L lisinaltaur, quod nomen apud Arabes signifi-
cat linguam bouis, ipse boraginẽ interpretatur. Quare forte
melius fuerit, cũ buglossam, de qua Dioscorides, Galenus,
& autores Arabes utrunq; allegãtes, ad usum medicinæ ad-
hibemus, boraginem potius quàm illã quæ passim buglos-
sa nuncupatur recipere. Atq; ita falsum erit id, quod Monta
gnana existimauit, Auicennam nihil de boragine dixisse:
nã nisi mea me fallit opinio, caput De buglossa, seu lingua
bouis apud Auicennam est caput De boragine, sicuti etiã
apud Serapionẽ: Falsum etiã erit id quod Simon scribit, qui
putauit neminem autorem de utraq; herba simul scripsisse.

Siquidem Dioscorides apud Græcos, & Plinius apud nos, tam de bugloſſa, quàm etiã de criſſio fecere mentionẽ. Negari autem non poteſt quin borago ſit alterum duorũ apud Dioſcoridẽ, aut criſſion, aut bugloſſum, ab hijs præſertim, qui boraginem bugloſſæ, uel bugloſſam boraginis ſpeciem confitentur: quãdo & Dioſcorides ipſe criſſion habere folia ſimilia bugloſſo, & bugloſſum magnũ uocari teſtificatur. Si tamen borago ſit criſſium apud Græcos, uerũ erit quod à Montagnana ſcribitur, tam multa de boragine à iuniorĩbus medicis temere prædicari: Nam Dioſcorides hoc tantũ de criſſio retulit: quod ſi radix eius alligatur ſuper locũ dolentem, ſedat dolorem. Plinius autem, quod herba aut radix alligata ſanat dolores uaricum. Quare medici iuniores utrũ uelint acceptent, aut quod borago ſit uera bugloſſa, ut nos opinamur, aut quod eius herbæ uſus non ſit ad illa utilis, ad quæ ipſi arbitrantur.

DE CICERBITA.

CICERBITA autem, de qua etiam ſcire cupis, eſt & ipſa ſicuti borago, etiam in hoc uſu Callimachi carmine inclyta. Eſt enim illa quam Theſeo apponit ruſtica illa Echate, ut Plinius meminit. Verũ in operibus medicinæ minus hodie celebrata: quia forte medici iuniores non nouerunt quo nomine apud ueteres autores, qui de medicina ſcripſerunt, nuncupetur, atq; ideo neſciunt eius utilitates, quod nos nunc indicabimus. Dioſcorides ipſam ſonchum nominat, & à Romanis cicerbitam aſperam uocari teſtificatur: quãuis hoc nomen, ut pleraq; alia Romana uocabula apud Dioſcoridem ſit deprauatũ, quia non cicerbita aſpera, ſed circita aſpra in græco codice uitioſe legitur. Idcirco autem à Romanis aſpera fuit cognominata, quia ſpinoſa eſt cum inueteraſcit. Græci ſanè adhuc herbam, quam nos latine cicer
Sonchus. bitam nominamus, uulgo ſonchum appellãt, ut mirandum ſit Simonem Genuenſem, qui multa herbarum uocabula à græca herbaria didicit, quid tamen eſſet ſonchus apud Græcos ignorauerit: nam de ipſa meminit in litera *s*, & adducit uerba Dioſcoridis de ſoncho, quæ tamen herba ſit, aut quo nomine cenſeatur apud nos, dicere prætermiſit: Neq; minus admiratione dignũ, Plinium huic herbæ, tam in uſu cibario frequenti, latinum nomen non reddidiſſe: nam & ipſe libro XXII, capite eiuſdem numeri, quam nos uulgo cicerbitam nominamus, græco uocabulo ſonchum appellauit, atq; ita ipſam deſcripſit, ut dubitari non poſſit ſonchum apud Græcos eſſe herbam, quã Latini cicerbitam uocant. Sed præterea idem Plinius unà cũ Dioſcoride, tot huius herbæ uſus enumerat, ut me aliquando pudeat noſtri tẽporis medicorũ, qui tantũ illa remedia probant, quæ magno impendio parantur, quibus meliora aliquando pauperrimus quiſq; cœnat: ferè tamen, de quo nos etiã magis pudere oporteat, non Indicas atq; Arabicas, ſiue externi orbis quærũt medicinas, ſed quas natura illa omniũ rerum parẽs uulgo etiã expoſuit. Muſtela pugnatura contra ſerpentes paſtu ſe cicerbitæ munit, atq; inter pugnandum eodem crebro repetito ſe refouet. Compertum eſt hoc apud multos, qui dimicationem conſertam uidere. Nos theriacam contra uenena ab Aegyptijs magno emimus pretio, cuius potiſſimam partem, quã baſim uocamus, illi adhuc ignorant, præter multa alia ſimplicia medicamenta, ad eandem compoſitionẽ neceſſaria, quæ noſtra hac ætate neq; à Græcis, neq; à Latinis, nedum à Barbaris cognoſcuntur: quorũ etiã uel unius defectus, ſi Galeni medicorũ principi credimus, poteſt totam compoſitionẽ corrumpere. Naturæ uero opera ſunt abſolutiora inuentu faciliora, niſi ob hoc ipſum uileſcerẽt. Sonchum autẽ, ſiue cicerbitã, cuius occaſione hæc interpoſuimus, magnã habere cõtra uenena, ſed præcipue ſcorpionũ efficaciã teſtant tum Dioſco: apud

Græcos, tum etiam Plinius apud nos, & ex recentioribus Conciliator, qui lactucellam, per quam ut puto cicerbitam intelligit, quæ ut etiã inquit Plinius, lactucæ similis est, nisi spinosa foret, septem alijs herbis annumerat, quæ theriacæ æqualem habent contra uenena potestatem. Atq; insuper Auicenna apud Arabes, si modo cicerbita sit herba, quam ille II Canone taraxacon nominat, ut scio plerosq; ætate nostra medicos celeberrimos, ac præsertim Gerardum Veronensem existimasse. Nolo enim ego nunc de isto decernere, qui dudum opus ad hoc ipsum destinaui, ad declarãdum scilicet nomina Arabica, quæ II Canone apud Auicennã scripta inueniuntur. Quod idem opus forte maturius absoluemus, quando te hoc quoque non minus cupere, quàm illa quæ nuper à nobis explanata sunt, intelleximus. Si tamẽ tuam in hac re auiditatem plusculum fuerimus commorati, æquo animo patieris, futurum illud maxime sperans, quod tibi in hac epistola contigit, si modo epistolæ nomen meretẽ, quæ ferè ad uoluminis magnitudinẽ excreuit, quæ quanto tardius, tanto maiori cum fœnore est tibi reddita. De cicercia reliquum est, quo tuis quæsitis omni ex parte satisfiat, ut etiã de cicercia respondeam, hoc leguminis genus uulgo cicercia. cicerciam nominatũ à Plinio libro XVIII, capite XII, cicercula nuncupatur à Theophrasto libro IX De plantis, & à Galeno eundem Theopraſtum allegante, libro II De alimentis, lathiron: hoc enim uerbum Theodorus, græce latine q; doctissimus, in translatione Theophrasti cicercu lam interpretatur. Vale Ferrariæ, Calendis Februarij. M. D. IIII.

FINIS.

NICOLAI

NICOLAI LEONICENI DE DIPSADE, ET PLVribus alijs serpentibus, opus ad illustrissimam D. Lucretiam Ferrariæ ducem.



NIHIL est quod libẽtius arripiam, quàm illas quæ mihi offeruntur quotidie iuuandæ mortalitatis occasiones. Vnde hijs quoque obligatũ me sentio: qui superioribus annis ad scribendum de tiro & uipera uel contradicẽtes excitarunt. Quare Lucretia dux Ferrariæ inclyta, ad tuorum erga me beneficiorum cumulum hoc quoq; accessit, quod etiam de dipsade serpente, tam uiperæ simili ut difficile sit internoscere, ut dictarem aliqua prima dedisti causam. Nam per Herculem Strozam poẽtam insignem tibi familiarem, cuius nutu pridem gymnasium philosophorũ ac medicorum gubernabatur, eisdem professoribus de ea serpente quæstionem quænam esset, aut qualis proponi iussisti: Es enim, ut omniũ semper uirtutũ, ita bonarũ artium, & medicinæ præsertim, apprime studiosa. Huius tui studij, & propensæ in hanc maxime facultatem humano generi salutarem amplificandam uoluntatis, ego testis optimus esse possum, quem aliquando magnæ etiam mercedis sponsione hortari non destitisti, ut omnia Galeni de medicina uolumina latina facerẽ, quod opus iamdudum à me inchoatum, sed postea propter temporum calamitates intermissum, forte si ætas suffecerit, tuo mihi fauore aspirante complebitur, aut saltem magna pars eius & potior conficietur. Nunc quod instat agamus, effigiem dipsadis atq; naturam, quã nosse cupis, & quî conueniat cum uipera, q; tue differat, manifestemus, rem tibi, ut spero, futuram non iniu- *Hercules Stroza.*

 cundam,

cundam, medicis autem admodũ scitu necessariam: ne quæ-
rentes uiperam ad theriaces compositionem, decepti simi-
litudine dipsadem capiant. Quem quidem errorem recen-
tioris ætatis medicis suspicor contigisse, anteq; à nobis quid
esset tirus aut uipera indicaretur. Sed & hunc & plures alios
ad cognitionem serpentium attinentes, contra autores bar-
baros, qui hanc quoq; medicinæ partem, sicuti & omnes ali
as infinitis penè mendacijs deprauarunt, hoc eodem opere
sumus demõstraturi, sumpto à uipera initio, quæ magnam
habet, ut diximus, cum dipsade similitudinem. Erit autem
tãto in dipsade inuestigatio difficilior, q; in uipera fuerit aut
Dipsas. etiam futura sit, quanto dipsas non habet aliquam naturæ
proprietatem, per quam possimus ipsam ab alijs serpẽtibus
omnibus quemadmodum in uipera fecimus separare, atq;
ad eius notitiam certam atq; indubitabilem peruenire. Fal-
luntur enim, qui putant alia uia melius q; illa qua nos inces-
simus, quæ serpens sit uipera, & quo nomine uulgo nuncu-
petur manifestari. Nam ex eis quæ Auicẽna scribit libro V,
capite De uiperis ad theriacæ compositionem recipiendis,
nemo quid uipera sit facile dijudicauerit, tum propter ser-
monis, qua ubiq; ferè Auicẽna, siue eius interpres utitur, ob
scuritatem, tum quia pleraq; etiam inibi scripta possunt fal-
sa existimari, si cum hijs conferantur, quæ de eisdem serpen
tibus antea Galenus scripserat libro suo De theriaca ad Pi-
sonem. Quem uidetur de eodem antidoto Auicenna scri-
bens uoluisse interpretari: licet multa peruerterit, quemad-
modum statim sumus ostensuri. Galenus siquidem eo quo
diximus De theriaca ad Pisonem libro, uult uiperas habere
caput & totum corpus latius, nõ autem subtile collum atq;
minutum, ut scribit Auicenna. Quod etiam inquit Auicen
na, earum caudas esse curtas, ut eius utar uocabulis, strepitũ
facientes in incessu, haud omnino ad illa uerba Galeni con-
gruit,

gruit, quibus uiperas ad theriaces compositionem exigi præ
cipit, non habentes caudas inuolutas, neq; incessum cũ stre-
pitu, sed tacitum magis atq; quietum. Signum quoq; quo
Auicenna marem distinguit à fœmina in eodem genere ui-
perarum, non est idem omnino cum eo quod à Galeno po
nitur. Galenus siquidem ait, caninos dentes plures esse duo
bus in fœmina: In mari autem duos tantum. Quod etiã di-
scrimen Nicander, clarus medicinæ uates, eleganti carmine
cecinit:

Mas geminis notus uirus ructare caninis
Dentibus: hijs autem fert fœmina uipera plures.

Hanc eandẽ differentiam ex dentibus simpliciter, nõ ex ca-
ninis dentibus, ex qbus autores antedictos Auicenna nota
» uit hijs uerbis: Et eorũ signum est, q; masculi in omni latere
» habẽt unũ dentem, & fœminæ plures. Forte autẽ falsum est,
q; mas unũ tantum dentem habeat in omni latere, & fœmi-
na plures, nisi de caninis intelligamus. Fieri enim potest, ut
mas etiã plures duobus ex alijs dentibus habeat, qui canini
nõ sunt. Nec minus dubitationẽ faciũt quæ postea Auicen-
» na subiungit. Et oportet ut alienent cornutæ uariæ atq; aspi
» des. Hæcenim uerba ostẽdũt sensisse Auicennã has etiam
serpẽtes esse ex genere uiperarũ, quæ sicuti mares in eodẽ ge
nere & in piscinis degẽtes, & littoribus aquarũ, & mari sint
» abijciendæ. Subiũgit deinde Auicenna: Et petrosæ omitten
» dæ. Cuius præcepti statim attulit causam, quoniã in eis sunt
quercinæ faciẽtes sitim. In qbus uerbis duo sunt errores, al-
ter q; quercinas, hoc est id genus serpentium, quod Græci Quercinæ.
δρυῖνες appellant, eò q; in quercuũ radicibus habitãt, facit ex
eodem genere uiperarũ, quum tamẽ sint genus diuersum:
alter q; quercinas à sitim faciẽtibus nõ distinguit. Quæ sitim
facientes ab eodẽ effectu Græce δίψαδες nuncupantẽ. Aper
tius autẽ Auicẽna libro IIII, capite De speciebus serpentũ

uiperam

uiperam nõ esse speciem, sed genus potius, multas sub se cõ
» tinens species indicauit his uerbis: Et ordo secundus est de
» uiperis, quarum species iterum sunt diuersæ. De eis enim
» sunt uiperæ aleliſati, & de eis sunt uiperæ quercinæ, & de eis
» faciẽtes sitire, & reliquæ quas dicemus. Sed neq; ex hijs quæ
eodem libro IIII, capite De morsu uiperarum Auicen-
na scribit, plus sciat quispiam quæ serpens sit uipera, & quo
nomine uulgo cẽseatur indicare: quoniam quæ hic ab Aui
cenna scribunt signa morsus uiperarũ, partim sunt alijs etiã
serpentibus cõmunia, partim ex Paulo male translata. Nam
& amphisbena serpens suo ictu facit eosdem quos uipera
casus: quemadmodũ non solum Dioscorides & Paulus, sed
etiam ipse Auicenna testatur: Nisi q̃ Auicenna in hac serpẽ
te uidetur ambiguus: Quoniam eam aliquãdo salientem ad
duas partes appellat ad Græci nominis imitationẽ: aliquan-
autem haren aut carenet. Et dicit se existimare q̃ sit ex gene-
Scytale. re draconum marinorũ. Scytale quoq;, quamcorrupto uo-
cabulo Auicenna Scyscetalin uocat, eadem affert mala quæ
uiperæ, ut Dioscorides & Paulus aperte significãt: Obscure
autem Auicenna, qui colorem Scyscetalis similem esse sali-
enti ad partes dicit: & accidentia esse illa, & curam eius esse il
lam. Neq; tamẽ propterea Auicennã improbamus, q̃ com
munia accidentia & uiperæ, & quibusdam alijs serpentibus
ponat, quando hoc Dioscorides Paulusq; fecerunt. Sed so-
lum hoc cõuincere intendimus, nõ posse ex hijs, ut nõnulli
opinantur, quid uipera sit euidẽter ostendi. Ex alijs quæ idẽ
Auicenna de Paulo perperam transtulit, utrũq; nitimur ma
nifestare, & nihil ista conferre ad uiperæ cognitionẽ: & ma-
le Auicennã uerba antiquorũ plerũq; interpretari. Inter alia
signa morsus uiperarum hoc in primis Auicenna ponit, q̃
aliquando sanguis incipit aquosus, deinde spumosus. Pau-
lus autem, quem uidetur uoluisse Auicenna in hoc imitari,
dicit

dicit sanguinem & sanioſum humorem primum fluere, de-
inde oleaginoſum, non ſpumoſum, ut Auicenna tranſtulit.
» Deinde ſubiungit Auicenna: Poſtea apparet apoſtema ca-
» lidum, rubeũ habens bothor, & ueſicas ſicuti ex aduſtione
» ignis, & quandoq; perambulat, deinde fit uiride illud apo-
» ſtema prope morſum & ſub ore. Et accidit in uiſceribus in-
» flammatio, & in corpore rubedo cum rigore. Paulus autem
ait circa morſum fieri tumores ſubrubeos & liuidos, reliquũ
autem corpus decolorari. De ardore in uiſceribus neq; Dio
ſcorides, neq; Paulus ullam faciunt mentionem, niſi q̃ Dio
ſcorides, hepati accidere inflammationem inſinuat. Paulus
quoq; & Dioſcorides unà non ſanguinis fluxum è naribus
ſicuti Auicenna, ſed gingiuas ſanguinolẽtas inter caſus qui
morſum uiperæ conſequuntur, enumerãt. Iam legentes ex-
timent q̃ multa duci poſſint in controuerſiam, ſi quis uelit
ex Auicẽnæ ſcriptis quæ qualisũe ſerpens ſit uipera, noſce-
re, id cupientibus notificare. Si quis uero eadem, qua nos
gradiatur uia, atq; ita paucis ratiocinetur: Sola uipera inter
ſerpentes parit animal, autore Ariſtotele nõ uno in loco, ſed
pluribus, maraſſus ſerpẽs ſeu maraſſi fœmina parit animal,
ut ſenſus oſtendit, igitur uipera atq; maraſſus eadem eſt ſpe
cies diuerſis nominibus apud diuerſas gẽtes nuncupata. Ne
minem puto è numero philoſophorũ, qui modeſtiſſimũ pu-
tant Ariſtotelis cedere autoritati, contradicturum. Niſi quis
forte etiam philoſophus dubitauerit maior ne ſit Herodoto
fides adhibenda, an Ariſtoteli. Herodoto inquã, qui uniuer *Herodotus*
ſam Græciam ſuis mẽdacijs infamauit: propter enim ipſum *fabulator.*
ſcriptũ eſt: Et quicquid Græcia mẽdax Audet in hiſtoria.
Hic autem, neſcio an dixerim hiſtoriarũ, uel magis fabula-
rum ſcriptor, hoc quoq; inter cætera fabulatur, ſerpẽtes eſſe
in Arabia ſubalatos, qui eodem modo quo uiperæ coẽũt,
ac pariunt. Idq; factum ſolertis naturæ prouidentia, ne ſi ean

dem habeant, quam cæteræ ſerpentes, generationem, fiant humani generis internecio: ſtatim in hac ipſa ratione mendaciſſimus. Nam ſi uera ſit, oportuit eadem naturæ prouidentia baſiliſcum, aſpides, ceraſtes, hemoroũ, hydrum, cenchrida, & pleraſq; alias ſerpentum ſpecies: quarum aliquæ non minus noxiæ, aliquæ uero magis etiã quàm ſubalati ſerpentes ſunt homini exitiales, animal & non ouã parere, & marem in coitu, fœminam autem in partu interire: quorũ utrunq; de uipera tantum traditur. Quod autem ſola inter ſerpentes animal pariat, etiam ab Ariſtotele confirmatur. Sed ut alterum quoq; uerum ſit, in genere uiperarum marem in coitu, fœminam obire in partu, non tamen Herodotus ſua ratione id efficit quod uult. Nam duobus è medio ſublatis multi ſuperſunt, cum ſit uiperæ partus fœcundiſſimus, ut quæ una die pariat plusq̃ uiginti numero, autore Ariſtotele libro de hiſtoria animalium VI. De quo etiam numero Plinius libro X De naturali hiſtoria teſtificatur, niſi q̃ non omnes uel plures uno die, ut ait Ariſtoteles, ſed ſingulos ſingulis diebus catulos parí à uipera idem Plinius affirmat. Quam etiam ſententiam ſecutus eſt in translatione Theodorus, nimius aliquando uerborum Plinij affectator. Ex hijs enim ſequitur uiperam eſſe maraſſum, ſeu ſcorctionem, & non eſſe. Nam cum ſola uipera inter ſerpentes pariat animal, ut ait Ariſtoteles, & Plinius quoq; conſentit, ſequitur neceſſariò, uiperam eſſe ſerpentem, quam uulgo maraſſum, uel ſcorctionem nuncupamus: quoniam & maraſſus fœmina uipera eſt. Quia autem uipera parit ſingulos ſingulis diebus uiginti ferè numero, ut inquit Plinius, maraſſus autem, quod etiam uiſui ſubijcitur, uno die plures edit in lucem, hac ratiocinatione in ſecunda figura colligitur, uiperam non eſſe maraſſum. Itaq; ex Plinij uerbis, imò etiam Ariſtotelis, ſi Theodoro Gazæ interpreti credimus,

ſequitur

ſequitur contradictio. Sed uiderint alij quomodo Plinium tueantur. Nos ſummum philoſophum Ariſtotelem facile à tanto errore uindicamus, ſicuti & quoſdam alios eiuſdem philoſophi locos male à iunioribus philoſophis intellectos ſumus hoc ope quãuis aliud agẽtes defenſuri. Verba Ariſtotelis de uiperæ partu ita in græco codice ſcripta inueniunt̃: τίκτει δ' ἐνμίᾳ ἡμέρᾳ ἕκαστον, τίκτει δὲ πλείω ἢ εἴκοσιν. Quæ nos uerbum ex uerbo ita interpretamur: Parit autem una die ſingulos, parit autem plusq̃ uiginti numero. Eſt autem ſenſus horum uerborum: non q̃ ſingulos ſingulis diebus pariat: imò q̃ una die plusq̃ uiginti numero, ſingulos tamen, hoc eſt, non binos, aut ternos, aut quaternos ſimul, ſed unum poſt alterum. Quod etiam facit maraſſus fœmina, quæ plures una die, ſigillatim tamen, parere uiſitur. Vtrum autem plures quàm uiginti numero ſemp̃ una die pariat, uel aliquando paucíores, non puto hoc ex rerum natura conſtare. Fieri enim poteſt, ut ſicuti in pleriſq; alijs animalibus numerus fœtuum non eſt præfinitus, ita neq; in huius ſerpentis partu Ariſtoteles de ipſo non id quod ſemper fiat, ſed potius quod crebro contingat, in animalium hiſtoria ſcribere non dubitauerit. Vnde nulla ex ſcriptis eius recte interpretatis ſequitur contrarietas. Sed neq; ut Herodotus uerum dixerit ſerpentes eſſe in Arabia ſubalatos animal parientes, propterea Ariſtotelis unam tantum uiperam inter ſerpentes animal parere aſſerentis, ſententia deſtruitur: quoniam ſecundum eundem philoſophum alatum & inalatũ non uariant ſpeciem, ut probat primo de partibus animalium argumento formicarum & cicindelarum, quæ in eadem ſpecie & alatæ & non alatæ inueniuntur. Hæc autem obiter dicta ſint tum ad Ariſtotelis, tum ad noſtræ quoq;, quæmaxime Ariſtotelis nititur autoritate, de uipera opinionis defenſionẽ. Nunc ad dipſadẽ redeamus, in qua eadẽ

est quæ in uipera ratio: nam si uelimus eam per uerba Auicennæ libro IIII, capite De serpente faciente sitim, designare, & quæ sit uulgaris nomenclatura hanc scire uolentibus aperire, non minus in hac, quàm etiam in uipera legentis animus hæsitabit, & tanto magis, quanto uidetur Auicenna sibi ipsi in dipsadis figuratione repugnare, cum in capite libri IIII statim antea allegato, dipsadem pingat capite paruo & collo grosso, incipiente curuatura eius ex collo grosso usq; ad caudam subtilem: hæc enim sunt Auicennæ ferè ad literam uerba. Et postea subiungit ex quorundam autoritate, formam dipsadis esse formam uiperæ. Et tamen ipse Auicenna libro V, capite quo de uiperis agit, quæ ueniunt in theriaces compositionem, dicit quod uiperæ sunt serpentes capita habentes plana, quæ sunt lata proprie apud propinquitatem colli minuti & subtilis ualde. Quare nõ poterit dipsadis forma, siue figura esse forma uiperæ. Siquidẽ dipsas secundum Auicennam habet caput planum & latum, collum autem minutũ & subtile ualde. Præterea dipsadis & uiperarũ assimilatio plurimam habere potest apud Auicennã ambiguitatem. Quoniã hic autor, ut supra ostendimus, uult uiperam non esse nomen speciei, sed generis potius multas sub se species comprehendentis. Quare relinquitur dubitatio, cui uiperæ speciei dipsas assimiletur, nisi forte quis dixerit omnes serpentum species, quæ secundum Auicennã sub uiperarum genere continentur, eandem habere formam, ut simpliciter potuerit enuntiare formam dipsadis esse formã uiperæ: quod tamen fatuum est imaginari. Quo etiam concesso alterum æque ridiculum sequitur, Auicennam nihil aliud uoluisse dicere, nisi dipsadem sibi ipsi in forma assimilari: cum secundum Auicennam dipsas sit uiperæ species, ut antea probauimus. Quare quærendum est aliquid, quod ita sit dipsadi peculiare, ut in nullo alio serpentum genere repe-

riatur,

riatur, sicuti parere animal est soli uiperæ inter omniũ serpentum genera proprium. Sed hoc dipsadi peculiare, inquiet aliquis, facile est adinuenire ex uerbis Auicennæ, qui eã sitim facientem nominat: quoniã sitim intolerabilem facit, ut etiã Lucani uersus ostendunt, qui ita scripti apud ipsum legunt:

Signiferum iuuenem Tyrrheni sanguinis Aulum
Tota caput retro dipsas calcata momordit.
Vix dolor aut sensus dentis fuit, ipsaq; lethi
Frons caret inuidia, necquicquam plaga minatur.
Ecce subit uirus tacitum, carpitq; medullas
Ignis edax, calidaq; incendit uiscera tabe:
Ebibit humorem circa uitalia fusum
Pestis, & in sicco linguam torrere palato
Cœpit, defessus iret qui sudor in artus
Non fuit, atq; oculos lachrymarum uena refugit.

Qui uero hoc mihi responderit, forte aliquid dixerit, nisi sit idem effectus etiam serpentibus, quæ uiperæ nominantur cõmunes. Conueniunt siquidem uiperæ & dipsades non in forma siue figura solũmodo, quemadmodum uidetur Auicenna existimare, sed etiam in pluribus alijs: & nonnullæ ex ipsis in hac præcipue naturæ proprietate, quod carnium suarum esu uel ictu, quem dentibus ingerunt, sitim inæstimabilem faciunt, adeo ut Galenus dubitauerit idem ne esset uiperarum ac dipsadum genus, an potius diuersum, ut multi ante ipsum philosophi ac medici uisi sunt existimasse: qui uiperam à dipsade distinxerunt. Ideirco scribit Galenus libro XI De simplici medicina, se in hac ambiguitate Marsos interrogasse: Nun quid haberent aliquod signũ per quod scirent utrunq; genus, dipsadum scilicet & uiperarum discernere. Qui nullũ esse omnino genus dipsadum uiperarũ responderũt, sed eas quæ circa mare & loca plena salsugine uiuerent, carnes habere salsas: Vnde et in Libya plurimas esse

tales: Carere autem illis Italiam propter regionis humiditatem. Hæc quidem Marsi: Quorum si sit uera sententia, paucis possumus propositam soluere quæstionem, ita dicentes: Dipsadem esse uiperam Libycam, siue marassum Libycũ, aut in locis aridis & salsuginosis, qualis est terra Libyæ, degentem. Vt autem ad hanc Marsorũ sententiam facile declinemus, illud præcipue facit, quod Aristoteles Pliniusue, duo autores in tradenda tum cæterorũ animalium, tum serpentũ maxime historia diligentissimi, nihil, quod sciam, de natura dipsadum scriptum reliquerunt, quasi ea inter uiperas eiusdem generis serpentes tacta: nisi quod Plinius uno aut altero tantum in loco in quarundam medicinarum mentione dipsadis unà cum uipera meminit. Ex quo tamen conuinci nõ potest dipsadem esse speciem à uipera differentem, cum sint uiperæ aliquæ sitim facientes, aliquæ non facientes pro uarietate locorum, in quibus degunt. Et quæ quidem sitim faciunt dipsades cognominantur: quæ uero non faciunt, simpliciter uiperæ nuncupantur, quemadmodum ex uerbis Galeni paulopost sumus demonstraturi. Accedit ad hoc quod Galenus non ausus aperte hanc Marsorum damnare opinionem, tantũ dubitare se dixit, uerá ne omnino, an secundum aliquid falsa forent quæ à Marsis accepisset. Quare & nos sicuti certiorem sententiam super hoc in aliud tempus differimus, ita nunc constanter affirmamus, dipsadem uel esse marassum, in locis aridis & salsuginosis genitum, uel marasso quamsimillimũ, adeo ut difficillimum sit internoscere. Quando quidem Galenus, tantæ alioquin doctrinæ atq; experientiæ uir, ingenue fatetur se nescisse alterum distinguere ab altero: atq; ideo desuper Marsos tanq; assiduo serpentum uenatu peritiores consuluisse. Qui neq; ipsi scierunt, quantumuis in tractandis impune serpentibus exerci-

Dipsadem esse marassum

exercitati, aliam inter uiperas dipsadasq; præterquã ex solo in quo uiuunt differentiam assignare. Subijciam autem eiusdem Galeni uerba, ut forte quispiam non habeat causam me etiam cum risu reprehendendi, usque adeo marassis addictum, qui uelim omnes serpentes ad marassorũ speciem relegare, ut etiam sicuti in uipera, quam probaui esse marassum, uel ut alij nominant scorctionem, nemo me potuit refellere, nisi Aristotelem philosophorum antistitem unà redargueret, ita in dipsade nemo me arguat, nisi Galenum alterum medicorum principem coarguat. Hæc sunt huius autoris libro, quo diximus XI De simplici medicina uerba, ubi de carne uiperarum loquitur. Viperarum quidem caro ad tantam peruenit exiccandi potentiam: quia uero nonnulli ex esu eius in uehementissimam sitim inciderunt, & propterea uiperas illas dipsades nominant: Sunt autem & qui ex morsu earum inquiunt impleri bibentes, sed dissrumpi prius quàm sitis sedetur. Propterea Romæ uiperarum uenatores, quos Marsos uocant, interrogaui si quod signum possent me docere, per quod utrunque genus uiperarum inuicem distingueretur. Hij uero nullum omnino esse genus dipsadum uiperarum dixerunt, sed eas quæ circa mare habitant, & circa loca plurimam habentia salsuginem, carnem habere salsam. Vnde & in Libya multas huiusce modi nasci. In Italia autem non esse propter regionis humiditatem. Hæc quidem à Marsis audiui, non tamen possum affirmare si omni ex parte uerum dicant, an secundum aliquid mentiantur. Quod enim in hijs, quæ dixere locis, uiperæ nascantur carnem salsam habentes, mihi uidetur uerisimile, quoniam me non latet carnes animalium ex alimentis transmutari. Non tamen possum quod nullum sit genus dipsadum uiperarum demonstrare. Tutissimum autem est cauere uiperas, quas in talibus locis uenantur,

siue

„ siue ad usum cibarium, siue ad pharmaci compositionem.
„ Quale est istud celeberrimũ, quod omnes medici theriacen
„ nominant. Ex quibus ultimis Galeni uerbis iã discere pos-
„ sunt nostræ ætatis medici, quãto fuerint dudum in errore uer
sati, qui hactenus tirum, id est uiperam, ex terris admodum
calentibus aridisq; ueluti ex Aegypto & Arabia perquisi-
erunt, cum tamen hunc haberent in Italia serpentem multo
peregrinis salubriorem. Hæc habui quæ de dipsade scriberẽ
secundum Galeni opinionem: qui dipsadem aut minimũ,
aut nihil distare figura à uipera nobis insinuauit. A qua etiã
opinione non multum Auicenna discessit, cum dixit for-
mam dipsadis esse formam uiperæ. Si quis uero aliorũ ma-
uult sententiam sequi, qui fecere dipsadem non solum spe-
cie, sed etiam effigie aliquantulum à uipera differentem, sub
ijciam Nicandri uersus, dipsadis formam, magnitudinẽ, ac
mores describentis, quos nos ita in latinã uertimus linguã.
Nicandri de dipsade uersus à nobis translati hij sunt:

Dipsadis est species, quæ uipera parua uidetur.
Ocius hæc hominem, quem forte momorderit, ictu
Terribili exanimat cauda extenuata, colore
Lurida, in extremis urunt incendia pectus
Dipsadis ex morsu, nec labra madescere possunt
Dum sitis infestat, multo licet oris hiatu
Persimilis tauro, qui pronus mergitur undis,
Hauriat immodicum potum, nec desinat ante
Quàm misero uenter disrumpitur, atq; ita magno
Pondere, quod nequeat longum tolerare, leuatur.

Eosdem in dipsade effectus quos Nicander cecinit, Dioscorides etiam & Paulus scripserunt, qui & ipsi uisi sunt dipsadem differre specie à uipera putauisse. Qui præterea autores hanc eandem serpentem duobus alijs nominibus insignierunt, non dipsadem tantum à siti, sed & præstera & causonẽ ab incendio,

ab incendio, cuius est causa, uocitantes. De qua nominũ uarietate etiã Suidas autor bonus apud Græcos testificat hijs
„ uerbis: Dipsas species serpẽtis, est uero uipera masculo mi-
„ nor, sed in necando uelocior, est autem colore alba, & habet
„ lineas in cauda duas. Quidã uero ipsam præstera nominãt,
„ alij causonem. Nascitur autem in Libya & Arabia magis.
„ Alijs etiam censetur nominibus, uidelicet melanuros, id est
„ uerbum ex uerbo, nigricauda, & ammoatis, id est arenosa,
„ & centris, id est stimulo similis. Hanc eandem nominum in
eadem serpente uarietatem Aelianus libro VI De historia animalium annotauit, & eodem colore, ijsdemq; in cauda lineis eius pinxit imaginem. Verum hic ingens oritur difficultas, in qua non solum Lucani, sed etiam Alberti existimatio periclitatur. Cui tamen Alberto minus sit ignoscendum: quoniã Magni cognomentum adeptus ob eam quã habere creditus est, & adhuc creditur, in omni philosophiæ genere excellentiam, ubi de rebus, quarum cognitio ad philosophos spectat, agebatur, debuit pluscq; Poëta peruidere. Difficultas quæ oritur hæc est. Quo pacto, cum eadem sit serpens præster & dipsas, quemadmodum antedicti nõ parum uerendæ autoritatis uiri testificantur, Lucanus tamen & de præstere & de dipsade separatim, ueluti de diuersis serpentibus loquatur: atq; ab altera quidem, id est dipsade,

Signiferum iuuenem tyrrheni sanguinis Aulum

dicat miserabiliter exanimatum, quemadmodum eiusdem Lucani uersus alij supra notati manifestant: ab altero uero præstere scilicet scribat Narsidium marsi agri cultorem non minus crudeliter, sed propè eodem mortis genere fuisse enecatum, ut infrascripti uersus ostendunt:

Narsidium marsi cultorem torridus agri
Percussit præster, illi rubor igneus ora
Succendit, tenditq; cutem pereunte figura,

Miſcet cuncta tumor, maior iam corpore toto,
Humanumq; egreſſa modum ſuper omnia membra
Inflatu ſanies late tollente ueneno.

Quomodo etiam Albertus magnus duo capita faciat, alterum de dipſade, alterum de præſtere. An dicẽdum fuerit eſſe duas dipſadis ſpecies: alteram, quæ uiperæ ſimillima ſit, de qua Galenus dubitauit, an in idem genus coiret cum uipera: alteram omnino à uipera differentem, quæ tum dipſas, tum etiam præſter nominetur, & primam quidem Aulum, ſecundam uero Narſidium iuxta Lucani uerſus occidiſſe, aut duos præſteras, alterum generis proprij, alterũ cum dipſade communis: atq; ita excuſetur Albertus, & quicunq; alij duo capita alterum de dipſade, alterum de præſtere ſuis tractatibus inſeruerunt. Sed huic excuſationi illud aduerſatur, quod Dioſcorides, Paulus atq; Nicander, & Plinius apud nos de una tantum dipſadis ſpecie meminere, quæ à diuerſis effectibus, à ſiti quidem dipſas, ab incẽdio autem præſter nominatur. Eandem autem eſſe de qua antedicti autores loquuntur & præſterem, de quo Lucanus, eo pariter argumento probari poteſt: quoniam idem ferè effectus & ab illis dipſadi, & à Lucano præſteri tribuuntur. Forte etiam & centris & ammoatis non ſunt ſerpentum aliarum à dipſade nomina, ſed ipſa una eſt quæ & præſter & cauſon ab incendio, ut diximus, nuncupatur, & centris pariter: quoniã, ut ait Nicandri expoſitor, facies eius tendit in acutum, atque ita centro aſſimilatur: Ammoatis autẽ quia ſua habet in arenis latibula. Verum de hoc nolo decernere, tum quia res eſt in obſcuro, tum quia utraq; opinio magnos habet autores. Non deſunt alia mihi exempla quamplurima, ex quibus oſtendere poſſum Albertum philoſophum citra Lucani poëtæ autoritatem plures ſerpentum ſpecies, deceptum, ut uidere licet, nominum diuerſitate, fruſtra multiplicaſſe,

plicaſſe, quaſi natura, cum fieri uoluit ex parente nouerca, non ſatis multas huiuſmodi peſtes in ſerpentum generatione protuliſſet, niſi nos ipſi alias inſuper earundem ſerpentum ſpecies, & totidem mortium inutiliter fingeremus. Baſiliſcum ſerpentem omnium pernicioſiſſimum, qui non contactu, ſed etiam afflatu unumquodq; ſibi uicinum exanimat, cuius ſementem, ſi fieri potuiſſet, oportuit funditus abolere, Albertus tamen nobis congeminauit. Siquidem duo capita facit, alterum de baſiliſco, alterum de armene, quaſi ſint ſpecies ſerpentum differentes, æquale uirus habentes, cum tamen una ſit, quæ græco quidem uocabulo βασιλίσκος, latino regulus, barbaro autem armene nuncupatur. Eſſe autem unicam ſpeciem baſiliſcum & armenem, & nõ duas, ut putauit Albertus, effectus indicant, qui idem baſiliſco & armene partim ab Alberto & Auicenna, partim à Dioſcoride, Galeno ac Paulo, atq; in primis à Nicandro ſoli baſiliſco tribuuntur. Siquidem hij græci autores nihil de armene ſerpente parem habente cum baſiliſco poteſtatem meminerũt. Medicinæ etiam, quas ad morſum armene ſerpentis Auicenna ſcribit, ſunt quas Dioſcorides & Paulus ex Eraſiſtrati ſententia ad morſum baſiliſci tradiderunt. Subijciam autem Dioſcoridis ac Pauli uerba, ad quorum imitationem eadem ferè ſcripſiſſe uidetur Auicenna, ut maior mihi ſuper hac ſerpente fides adhibeatur. Dioſcorides ac Paulus ita ſcribũt. Hijs autem quos baſiliſcus momorderit, ut inquit Eraſiſtratus, prodeſt caſtorei drachma una pota cum uino, ſimiliter autem & papaueris. Hanc eandem curationem inſerens Auicenna ſcribit in hunc modum. Et dixerunt q̃ morſo ab eo, ſcilicet armene, non confert aliquid. Si uero aliquid confert ei, tunc ſemen papaueris uſque ad drachmã unam, & caſtoreum uſque ad drachmam unam, quidam iam

teſtificati ſunt illud. Quare non temere ſtatim in titulo capitis De baſiliſco & armene inſcripti Auicenna dubitat, ſit ne idem ſerpens armene cum baſiliſco, uel diuerſus. Quid tamen opus erat Auicennam dubitare? cum neq; Nicander, neq; Dioſcorides, Galenus, aut Paulus, ut diximus, ullam faciant de armene ſerpente mentionē. Niſi forte quis putet per armenem apud Arabes eam feram intelligi, quā Græci
Catoblepa. catoblepam nominant, de qua Plinius libro VIII, capite XXI, & Solinus quoq; libro ſuo De ſitu & memorabilibus orbis, capite XLIII cōmeminit. Verum hij duo autores uidentur catoblepam non ſerpentibus, ſed quibuſdam alijs feris, lyncibus, ſphingibus, crocutis, & cercopithecis, Indicis bubus, leucrocutis, caletauris Aethiopiæ, manticoræ, & monoceroti Plinius: Camelopardali uero et cephis, rhinocerotí, & quibuſdam alijs beſtijs, quibus regio Aethiopum plena eſt, Solinus annumerare. Quod ſi Plinius ſtatim poſt factam de catoblepa mentionem etiam capite eodem de baſiliſco ſubiungit, non puto ob id facere, quia utrunq; animal ſub eodem proximo genere ſcilicet ſerpentum contineatur, alioquin ambos, tam ſcilicet catoblepam, quàm etiam baſiliſcum inter ſerpentes retuliſſet, capite ſcilicet eiuſdem libri XXIII, cui De ſerpētibus titulus eſt. Sed catoblepa fera eſt, ideo de ea inter alias feras mirabiles facit mentionem. Quia uero eandem habet, quam baſiliſcus, ſolo intuitu oculorum hominē exanimandi uim, ideo illi baſiliſcum annexuit. Plinius quoq; baſiliſcum ſerpentū, Catoblepam autem feram generaliori uocabulo nuncupauit, uolens, ut arbitror, hac appellationum diuerſitate non eſſe eiuſdem proximi generis hæc duo animalia nobis ſignificare. Sed & alia Plinij catoblepam deſcribētis uerba, cæteris membris inertem, caput prægraue ægre ferentem, deiectum ſemper in terram etiam nobis inſinuant catoblepam eſſe animal quadrupes potius, qualia

qualia ſunt reliqua, quæ eodem capite à Plinio cōmemoran
tur. Quam ſerpentem Aelianus quoq; non contemnendæ *Aelianus.*
apud græcos autoritatis, talem catoblepum, ſic enim ipſe nominat, nobis deſcribit, ut non ſerpentis, ſed feræ quadrupedis effigiem repræſentet, hæc ſunt eius autoris libro VI De
» hiſtoria animaliū, de catoblepo uerba: Terra Libyca mul
» tarum ac diuerſarum ferarum fertilis eſt: parit autem & ca
» toblepum ita uocatum tauri effigie, ſed aſpectu horribilio
» rem: nam ſupercilia illi eminentia & hirſuta, oculi uero ſub
» ijciuntur non ut bobus magni, breuiores autem & ſubcru
» enti, non directum habentes intuitum, ſed in terram pronū:
» unde beſtiæ nomen. Iuba uero ex uertice incipiens, equinis
» ſimilis ſetis deſuper à fronte deſcendit in faciem, atq; ipſum
» uiſu reddit terribiliorem. Hæc Aelianus, qui luce clarius nobis oſtendit catoblepū non eſſe, ut nonnulli putauere, ſerpentem armenem apud Arabes nuncupatum. Præterea qui dixerunt quod morſo ab armene nō confert aliquid: ſi uero aliquid confert ei, tunc ſemen papaueris uſq; ad drachmā unam, & caſtoreum uſq; ad drachmā unam. Et quod quidā teſtificati ſunt illud, neq; illud dixerunt, neq; etiā ſunt teſtificati de catoblepo, neq; de aliquo ſerpente à baſiliſco diuerſo, ſed de baſiliſco tantūmodo, ſicuti Dioſcorides Pauluſq; ex Eraſiſtrati, ut antea diximus, teſtimonio. Eſt autem Auicennæ mos, cum uult medicos ueteres, præcipue Dioſcoridem, Galenum, & Paulū citare, ſine nomine uti hoc uerbo, dixerunt, ut poſſum multis apud eundem Auicennā exemplis oſtendere de hijs, quæ illi autores ſupra memorati antea dixere, & ipſe poſtea Auicenna non tamen eos nominatim adducendo recitauit. Multo tamen plus eſt, ut mihi uidetur, Albertus, quàm Auicenna dubitans reprehendendus: Albertus inquā, qui ſtudio prolapſus multa ſerpentū genera, quæ nunquā natura genuit, connumerandi duas eſſe ſerpen

tum ſpecies baſiliſcũ & armene eaſdem uires habentes ſine aliqua dubitatione aſſeuerauerit. Subiungam autem etiam Alberti de armene uerba, ex quibus unuſquiſq; poterit dijudicare nullam feciſſe ipſum inter armenem & baſiliſcum, ſiue regulum, niſi ſolam nominis & magnitudinis differentiam, Alberti de armene uerba libro XXV De animalibus
» hæc ſunt: Armene ſerpens eſt, quo nullus penitus ſerpens
» peior eſt, niſi regulus ſolus: Norrenim differt à regulo in no
» cumento, quia uiſu interficit, & auditu ſibili ſui ſicuti regu-
» lus, & quodcunq; animal mordet, ſtatim diſſoluitur & mo-
» ritur. Et ſimiliter moritur omne animal, quod animal appro
» pinquat ei, etiam ſi ab eo non mordeatur, ſed quantitate ma
» ior eſt quàm regulus, & eſt quantitas eius ab uno cubito in
» cubitũ, & morſus eius nullam penitus recipit curationem.
Hæc quidem Albertus: Miror autẽ cum ipſe eaſdem tribuat nocendi uires armene, quas etiam baſiliſco, quomodo ſolum regulum eſſe armene peiorem inſinuat. Niſi forte putauit Albertus non eſſe armenem adeo maleficum ſicuti baſiliſcus, quia poſſit quidem, ſed tamen nolit tantum nocere, quantũ baſiliſcus. Sed unde hæc armene pietas? unde miſeri cordia? Equidem puto nõ poſſe baſiliſcũ armene in malitia conferri, niſi idem ſibi ipſi comparetur, qui cum unus ſit ſerpens, ut pro duobus ſit habitus cauſam fuiſſe puto, quia uarij autores de eodem ſerpente, alij ſub uocabulo græco baſiliſcus, alij ſub barbaro armene, eoſdem tamen effectus & eandem curationem, ut antea oſtendimus, tradiderunt. Verum qui de baſiliſco ſcribunt, nihil de armene loquuntur. Qui uero de armene tractant, baſiliſcum prætermittunt, niſi quod Auicenna utrunq; nominat, dubitans tamen, ut dixímus, ne unus ſit, qui duo à quibuſdam cenſentur. Præterea Semerion qui de ſerpentibus ſcripſit, à quo, ut coniectari poſſumus, multa de eiſdem ſerpentibus tractans Auicenna accepit,

Auicenna quædam ex Semerione hauſit.

na accepit, in baſiliſco quidem ab Alberto citatur: in armene autem minime, quod uidere licet in omnibus alijs ſerpentibus fruſtra ab Alberto duplicatis: Nam ſi in uno ſerpentis nomine Semerion allegatur, in altero omittitur, unde unuſquiſque facile poſſit animaduertere Albertum in multiplicandis ſerpentum ſpeciebus nulla re magis, quàm ex nominum uarietate fuiſſe deceptum. Nam & ſimili cauſa alteram quoque eiuſdem ordinis ſerpentis ſpeciem, & prope ueneno baſiliſco æqualem idem Albertus duplicauit, ceraſtem ſcilicet, de quo ſerpente agit, & ſub ceraſtis nomine primum, & poſtea ceriſtalis, neſciens tamen eandem eſſe ſpeciem diuerſis nominibus appellatam, ceraſtes uocabulo, ut opinor, in ceriſtalim deprauato. Quanquam apud Auicennam non ceriſtalis, ſed ſirtalis ſcriptura adhuc magis corrupta legatur. Quod autem non ſit ceriſtalis ſiue ſirtalis ſerpens à ceraſte ſerpente differens, plura habemus argumenta. Primum quod omnia ſigna quæ ſcribit Albertus ex Semerionis & Auicennæ autoritate ad ceriſtalis morſum notificandum, ſunt quæ in ceraſte à Dioſcoride & Paulo etiam traduntur, quæ nos ſubijciemus, ut facta utrorunque collatione non differre altera ab alteris, niſi diuerſitas tranſlationum aliquid immutat, ab omnibus intelligatur. Hæc ſunt ſigna morſus ceriſtalis ſeu ſirtalis à Semerione atque
» Auicennæ, ipſo Alberto teſtante ſcripta: Ceriſtalis eſt ſer
» pens de genere uiperarum, & ſecundi ordinis, & eſt cine-
» reus, duorum cubitorum. In loco morſus accidit inflatio,
» & ueſicæ duritia, apparent & fluxus humiditatis ſanguineæ
» nigræ ex loco morſus, & patitur læſus alienationem ratio-
» nis, & tenebroſitatem uiſus, & ſpaſmum mortificantem. In
hijs autem, quos ceraſtes momordit, Dioſcorides Paulusq;
» hæc ſigna ſcribunt. Locus quidem attollitur cum duritie &
» puſtulatione. Fluit autem à morſu ſanies nonnunquã quidem

Ceraſtes.

dem nigra, nonnunq; uero ſubruffa. Circa autem totum corpus pallor apparet, & penis quidē tetanum patitur, mens uero extra ſe fit: Oculis autem caligines oboriuntur, tandē conuulſus per modū tetani moritur. Quiſpiam tamē poſſit pro Alberto reſpondere duas eſſe ſerpentum ſpecies, quarū morſus ijdem caſus conſequuntur. Sed cōtra hoc eſt, q̄ qui de ceriſtali ſcribunt, ſicuti Semerio, atq; Auicenna, nihil præterea de ceraſte loquuntur: alioquin, ſicuti in ceriſtali, ita etiam in ceraſte autor uterq; ab Alberto citaretur. Qui autem de ceraſte uerba faciunt, ſicuti Nicander, Dioſcorides, Galenus, ac Paulus, nullam de ceriſtali uel ſirtali fecere mentionem. Quam quidem rationem puto efficacem non ſolum ad probandum erraſſe Albertum, ſed etiam ad oſtendendū unde errandi habuerit occaſionē. Quia enim ſeorſim apud Plinium atq; Solinum, ſiue quoſcunq; alios latinos uel græcos autores de ceraſte legerat, ſeorſim autem de ceriſtali uel ſirtali apud Semerionem & Auicennam: hāc tantum in nominibus diuerſitatem attendēs, incidit in errorem, putās eam quæ fuit in uocabulis ſolum, eſſe etiam in re ipſa differentiam. Videtur autem & hæc confuſio nominum non mediocriter Auicennam perturbaſſe, adeo ut in hac ipſa ſerpente, quam ſirtalim nominat, dubitauerit cuius ordinis eſſet: licet Albertus non tantum ex Semerionis, quantum etiā ex Auicennæ ſententia eam ſecundi ordinis ſtatuat. Hæc enim
„ ſunt Auicennæ de ſirtali non parum ambigentis uerba: Et
„ ego quidem dixi hunc ſerpentem in loco extimatiue, & nō
„ noſco eum, neq; ordinem eius, neq; ipſius genus cum uerifi
„ catione, & nec ſcio an iſte ſit in iteratione, an non. Hæc quidem Auicenna plenus, ut apparet, dubitationum: quarum tamen nonnullas ſpero me poſſe facile perſoluere nixus Nicandri, Dioſcoridis atq; Galeni & Pauli, à quibus Arabes omnia ferè, licet perperam quædam acceperunt, autoritate.

Arabes omnia ex Græcis hauſerunt.

Nam

Nam de ordine, in quo ſit ſirtalis ſerpens reponenda, promptum habemus ex ijſdem autoribus reſpondere, ex quibus etiam probauimus ceriſtalim aut ſirtalim eſſe ſerpentem ceraſtem apud Græcos nominatam. Cum enim apud autores græcos ſupra commemoratos baſiliſcus aſpis atq; ceraſtes in eo ſerpentum ordine collocentur, quorum morſus nō recipit curationem, niſi per membri tacti ueneno abſciſſionē, iam liquere poteſt ſirtalim eſſe ordinis primi, ſecundū quod de ſerpentum ordinibus loquitur Auicenna. Quare non ſatis recte eam in ſecundo ordine uidetur Albertus poſuiſſe. Alteram autem de ſirtali ſerpente Auicennæ dubitationem, an ſcilicet facta ſit apud ipſum ſuperflua repetitio, nō æque facile eſt ſoluere, quoniam cornuta, de qua antecq; de ſirtali loqueretur Auicenna uerba fecerat, ſi nomen attendimus, atq; remedia quæ ad morſum cornutæ Auicenna adhibet, uidetur ea eſſe ſerpētis ſpecies, quam Græci ceraſtem nominant: quam corrupto uocabulo ceriſtalim ab Alberto, ſirtalim autē ab Auicenna nuncupari ſupra demonſtrauimus. Auicenna ſiquidem de cornutæ ſerpentis curatione ita ſcri-
„ bit: Et quod ei appropriatur eſt, ut in potu detur ſemē rapha
„ ni cum uino. Idem raphanidis ſemen cum uino potum ſcribit Dioſcorides contra morſum ceraſtis auxiliari. Deinde ſubiungit Auicenna, q̄ eidem morſui confert cyminum indum, & ſiſamum cum uino, & caſtoreum cum uino. De ſiſamo itidem ſcribit Dioſcorides, q̄ ſanat morſum ceraſtis. Cyminum aūt indum eſt id, quod à Græcis & à Latinis ammi nominatur. Licet Dioſcorides ammi non cyminum indum, ſed potius æthiopicum uocari teſtetur. De ammi autē Plinius libri de naturali hiſtoria uolumine uigeſimo ſcribit
„ in hunc modum: Eſt & cymino ſimillimū, quod Græci uo-
„ cant ammi, mitigat cum lini ſemine ſcorpionum ictus cum
„ uino potum drachmæ duæ, priuatimq; ceraſtū pari potione

L myrthæ.

myrrhæ. Idem Plinius II & XXX uolumine ita de casto-
„ reo scribit: Testes castorum medentur aduersus cerastem.
Auicēna quoq; morsui cornutæ iubet imponi salem tritum
confectum cum alkitran. Plinius uero XXXI eiusdem li-
bri de naturali historia uolumine, salis naturam cum origa-
no & cedria, id est gummi cedri, quam arabes alkitran uo-
cant, quidam male picem liquidam interpretantur, contra
cerastem commendat. Si uero cornutæ descriptionem apud
Auicennam consideremus, uidetur cornuta non esse ex ce-
rastum, sed aspidum genere potius: quandoquidem Alber-
tus tum Auicennā, tum etiam Semerionem in cornuta aspi-
de allegās, ait ꝙ est serpēs ordinis primi, cuius longitudo est
ab uno cubito usq; ad duos, & sunt sup caput eius duæ emi-
nentiæ, sicuti duo cornua, & color corporis eius est color ru-
beus, & uenter eius est sicuti squamæ siccæ duræ, quæ cum
ambulant strident super terram, & strepitum faciūt. Et den
tes eius æquales, non recurui, secundum plurimum habitat
in locis arenosis. Quæ quidem omnia ad uerbū ferè scribit
Auicenna de cornuta. Quare alterum duorum non potest
Auicenna euitare, quin aut remedia, quæ erāt ad cerastes
oportuna, male ad aspidum morsus accommodauerit: aut
si serpens de qua agit cornuta sit illa, quam græci cerasten
uocant, frustra eundem serpētem in altero capite De sirtali
repetierit. Forte autem seorsim diligentius contra Semeri-
onem & Albertum considerandum, an in genere aspidum
sint aliqui serpentes cornuti. Hoc enim Nicander negat,
qui ait aspides non habere cornua, sed quosdam ueluti cal-
los in fronte circa supercilia prominentes, propter quos ui-
dentur eorum oculi in quadam cauitate reconditi. Alber-
tus insuper scribit Solinum dicere, ꝙ aspides cornibus im-
petunt homines, sed hoc non esse probabile. Ego uero
neque ꝙ omnino sint aspides habentes cornua, neque ꝙ
dipsas

Aspides cornis carēt.

dipsas sit ex aspidum genere, quoniam & hoc quoq; So-
linus refert, puto eidem Solino credendum, quoniam al-
terum, ut dixi, Nicander improbat: alterum uero est non
modo Nicandri, sed etiā Dioscoridis, Galeni, Pauliúe sen-
tentiæ contrarium, quemadmodum ex hijs, quæ supra ex
horum autorum testimonio de dipsade scripsimus, satis de-
claratum arbitramur. Sed & in hoc ipso aspidū genere mul
tipliciter errat Albertus: Nam cum sint tres aspidum spe-
cies, ut scribit Galenus libro De theriaca ad Pisonē: una q̄
χερσαῖος, id est terrestris à Græcis nominatur, quæ, ut opi-
nor, est illa, quam Auicenna aspidem siccam appellat:
Altera quæ χελιδόνιον, id est hirundinacea ab eisdem Græcis
uocatur, ab Auicenna hirundo: Tertia, quæ πτύας, lati-
ne autem spuens ab Auicenna seu ab Auicennæ inter-
prete nuncupatur. Albertus de multo pluribus scribit aspi
dum speciebus: Nam præter cornutam aspidem de aspi-
de sicca primū facit mentionē. Deinde de asilo, quam uult
eandem esse cum spuente speciem, licet de hoc Auicenna
fuerit ambiguus. Deinde de hipupice, quod puto esse uerbū
à græco uocabulo ptyade transformatū, tanq̄ specie serpen-
tis à spuente differente commeminit, & ait esse illam, ex cu-
ius ueneno suauem mortem sibi Cleopatra consciuit. Ex
quibus uerbis Alberti præter nominis similitudinem etiam
colligimus hipupicem non esse aspidis speciem à ptyade si-
ue spuente diuersam, quandoquidem Galenus quoq; testa
tur Cleopatram ex tribus supra commemoratis aspidis spe-
ciebus ptyaden sibi festinandæ mortis gratia, ne uiua foret
Romanis spectaculum, in triumpho Augusti Cæsaris ad-
mouisse. Vltimo loco etiam obtrialum alijs aspidis spe-
ciebus Albertus annumerat, adeo ut idem Albertus ui-
deatur plus nimio serpentum genera, de quibus scripsi-
mus, fœcundasse, nō solum species sub generibus multipli-

Aspidū tres species.

Cleopatræ mors.

cando, sed etiam in speciebus cornua, cum & aspides cornutos finxerit, qui tamen cornibus uacant, ut antea probauimus Nicandri autoritate, & ceraſtis octo dederit cornua, quasi duo aut quatuor non satis essent ad noxam, quot tantum illis Nicander, Plinius, atq; Solinus, & alij, qui de ceraſtis scripserunt, assignauere. Verum Albertus parum in latinis literis elegans, cum apud Plinium & Solinum legisset ceraſtas habere cornicula quadrigemina, per quadrigemina bis quatuor, ut coniectari possumus, intellexit. Auicennæ uero de asilo dubitationem, an sit eadem cum spuente aspidis species, licet neq; ipse, neq; etiam Albertus, quantum ex uerbis eorum datur intelligi, uideantur asilum, siue spuentem aspidibus annumerare, nos hoc modo soluimus: dicimus asilum à spuenti, sicuti genus à specie differre: siquidem priyada, siue spuentem esse aspidis speciẽ supra Galeni autoritate monstrauimus. Asilum uero nõ aspidis speciẽ, sed simpliciter aspidem apud Auicennã significare ea ratione probamus, quod quæ à Dioscoride & Paulo in hijs quos aspis momorderit scripta inueniuntur, eadem in morsu asili ab Auicenna referuntur. Verba enim Dioscoridis ac Pauli in

Spuens serpens.

» hijs quos aspis momorderit, ita se habent: Morsus quidem
» similis est puncturis acus, & paruus uidetur omnino absq;
» tumore. Sanguis autem non multus, sed paucus & niger di-
» stillat. Velox autem obtenebratio oculorũ hominem occu-
» pat, & labor totius corporis uarius, omnino autem leuis &
» non sine uoluptate consequitur. Quare Nicander ita de hu-
» ius serpentis morsu pronunciauit: Sine labore autẽ moritur
» homo, color uiridis apparet, cordis morsus exiguus, frons
» continuo cõuellitur, palpebræ ueluti in dormiente sine sen-
» su aliquo mouentur: Inter hæc autem mors hominem rapit
ante diem tertiam. Apud Auicennam autem asili serpentis
» morsus signa in hunc modum scripta reperiuntur: Locus
morsus

» morsus eius est paruus secundum quantitatẽ punctura acus
» absque apostemate, & currit ex eo sanguis paucus niger, &
» accidunt ei, qui ab eo morsus est, tenebrositas oculorum, &
» dolor in uisceribus, & ore stomachi in primis: Deinde clau-
» sio oculorũ, & profunditas somni, & non uiuit ultra tertiam
» diem. Quare ex hijs omnibus colligere possumus duplici-
ter Albertum errasse, & quia spuentem atq; asilum eandem speciem putauit, quæ tamen eo modo, quo diximus, differant: Et quia hippupicem, quæ eadem erat cum spuente, ut antea monstrauimus, specie esse tamen differentem existimauit. Sed neq; minus Albertus serpẽtem miliarem plus quàm fuerat oportunum multiplicauit. In hoc quoque deceptus nominum, ut uidere licet, uarietate: nam de eo agit primum sub nomine arachis, deinde sub nomine centris, in quo male Lucani uersum allegat, quem ille non de centride, sed cenchride potius, id est, miliari serpente protulit in hunc modum:

Miliaris serpens.

Et semper recto lapsurus limite cenchris.

Deinde sub nomine barbaro faliuisus, siue, ut apud Auicennam scribitur, famiusus. Postremo sub nomine latino miliaris. Cenchridem autem pro quo centridem scripsit Albertus, esse eandem serpentem quæ & miliaris, neminem puto dubitaturum, qui scierit cenchrum idem apud Græcos significare, quod apud Latinos miliũ. Sed & ea naturæ proprietas, quam Lucanus cenchridi serpenti uersu supra scripto tribuit, multo antea fuerat à Nicandro in eodem serpente patefacta, qui admonet hominẽ ne cenchridi recto cursu obuiet, qa nihil est ipso uelocius. Arachin autẽ & faliuisum nõ esse serpentes à cenchride siue miliari differentes, ijsdem probabimus rationibus, quibus etiam in prioribus probationibus usi fuimus: quia uidelicet eadem signa, quæ scribit Dioscorides in hijs quos cenchris, id est, miliaris momor-

derit, ſunt quæ partim ab Auicenna, partim ab Alberto in falauiſo uel famiuſo ſcribuntur. Verba Dioſcoridis ac Pau-
» li ſuper morſu cenchridis, ſeu miliaris hæc ſunt: Hijs uero
» quos cenchris momorderit, morſus quidē ſimilis eſt mor-
» ſui uiperino. Putredo autem conſequitur, & carnes circun-
» fluunt, quæ prius ſicuti in hydrope intumuerunt: fiunt au-
» tem Lethargici, & profundo ſomno capiuntur. Auicenna
» autem de famiuſi ſerpentis morſu ita ſcriptū reliquit: Dixe-
» runt: morſus eius ſimilis eſt morſui uiperarum, ſed accidunt
» carni eius qui morſus eſt ab eo corruptio & mollificatio,
» ſicuti accidit ei qui habet hydropiſin, & accidunt ei profun-
» ditas ſomni, & obliuio, & ægritudines in hepate, & ieiuno,
» & colon. Albertus quoq; de faliuiſo ſerpente & morſu ei-
» us ferè eadem quæ Auicenna retulit, hoc modo ſcilicet: Fa
» liuiſus eſt ſerpens diſcolor ordinis ſecundi, morſus eius eſt
» ſimilis morſui uiperarū, & accidit morſo ab eo corruptio &
» mollificatio, ſicuti accidit habenti hydropiſim, & profundi-
» tas ſomni, & obliuio, & ægritudines hepatis, & colon, & ie-
» iuni. Iam uidere licet eadem eſſe ſigna morſus cenchridis a-
pud Dioſcoridem & Paulum, quæ apud Auicennā in mor ſu falauiſi, ſiue famiuſi. Vnam tamen inuenio differentiam, quæ facta eſt ex errore translationis. Hic autē error accidit ex nominum uicinitate, quia enim Græci ieiunum inteſtinum νῆσιν nominant, ueſicam autem ὐσιν, uidetur translator pro cyſti niſtin, id eſt, pro ueſica ieiunū poſuiſſe. Quod autem Albertus faliuiſum eſſe ſerpentem diſcolorem enunciat, hoc quoq; probare poſſit non differre ipſum à ſerpente, quem Græci cenchrida, ut diximus, nominant, de cuius colore uario ita Lucanus ſcribit:

Pluribus ille notis uariatum tingitur aluum
Quàm paruis tinctus maculis thebanus ophites.

Ex quibus etiam Lucani uerſibus poſſumus coniectari cur hic

hic diſcolor ſerpens apud Græcos cenchris nominetur, quia uidelicet eius corpus maculis paruis, quæ ſunt ueluti grana milij diſtinguatur: Ex eiuſdem etiam morſus ſignis atq; una coloris uarietate monſtratur, arachin & ipſum eundem eſſe cum cenchride ſeu miliari, & faliuiſo, uel famiuſo ſerpentem. De arachi enim Albertus atque Auicenna pariter tradiderunt, quod eſt ſerpens malignus, ſecundi ordinis, interficiens die ſecundo cum corroſione hepatis, & fractione inteſtinorū, & eſt in colore uarius, non magnæ quantitatis. Confractio enim inteſtinorū eſt paſſio, quam unà cum hepatis ſimili affectu fieri inquit Eraſiſtratus in colo & ieiuno inteſtinis, licet errore translationis, ut diximus, ſit ieiunum pro ueſica poſitū. Videbor autem ſupra fidem loqui, ſi dixero Albertum atque Auicennam tot ferè nominibus hunc ſerpentem diuerſificaſſe, quot illum maculis natura uariauit: nam non modo arachim, centrida, faliuiſum, aut famiuſum, & miliarem eandem ſerpentis ſpeciem diuerſis in locis appellarunt, ſed pro cenchride etiam caharum nominaſſe, partim ex ſignis quæ traduntur in corpore, partim in morſu cahari ſerpentis, ac præterea remedijs, quibus ad eiuſdem ſerpētis morſum Auicenna utitur, quiſpiam facile poſſit coniectari: nam de caharo etiā ſerpente ſcribit Albertus atq; Auicenna ſimul, quod color eius eſt color arenæ, & ſuper corpus ipſius ſunt ueſtigia: per ueſtigia, ut arbitror, notas ſiue maculas intelligentes, & quod ex morſu eius accidit apoſtema, uel ut inquit Albertus, inflatura permaxima. Per hanc, ut arbitror, inflaturam innuentes tumorem carnium, quem Dioſcorides Pauluſq; ſcripſerunt ex morſu cenchridis, ut antea diximus, prouenire. In codice autē Auicennæ hebræo inter alia ſigna morſus cahari ſerpentis, etiam dolor acutus in ueſica & in hepate & mirach connumeratur, quæ non multum etiam diſtant ab hijs, quæ in cenchridis morſu

Eraſiſtra-

Erasistratus, cuius uerba supra recitauimus, testificatur. Facta autem inter alia signa morsus cahari de uesica mentio tactũ à nobis in alio eiusdẽ serpẽtis nomine, faliuiso scilicet, errorẽ translationis ostendit, quo antea diximus ieiunũ pro uesica propter nominum in lingua Græcorum uicinitatem fuisse positum. Eandem autem esse serpentem, quæ pro uarietate linguarum sub tot nominibus fuerit multiplicata, illo pariter probatur argumento, q̃ Semerion de miliari tantummodo loquit̃, sicuti de cenchride Nicander, Dioscorides, Paulus atq̃ Lucanus apud nos. Alia autem nomina neq̃ in cenchride aut miliari, neq̃ in ulla alia serpentis specie apud eosdem autores inueniuntur. Sed ipse Auicenna suum uisus est errorem agnouisse. Nam cum de miliari & arachi antea locutus esset, postea de famiuso uerba faciens,
» ita subinfert: Et sermonem quidem in hoc serpente attuli se
» cundum extimationem, sicuti sermonem de illo qui est ante
» ipsum, & fortasse non est huius ordinis, sed est ordinis pu
» trefacientium, & cura eius est cura uiperarũ. Secundũ extimationem, inquit Auicenna, de hoc serpente locutus sum, hoc est, sola ductus coniectura, & non habens certã de ipso notitiam. Remedia etiam, quæ ad cahari morsum Auicenna subiũgit, sunt ferè omnia illa, quæ ad morsum cenchridis Dioscorides, Paulusq̃ notarunt, scilicet radix aristolochiæ cum uino, radix asphodeli. Quod tamen uerbum corruptũ est apud Auicennã: nam pro asphodelo assoasu scribitur: centaurium, gentiana, semen lactucæ, semen lini, ruta syluestris, pro qua apud Auicennam legitur alharmel. Vnde error illorum manifestatur, qui pro semine alharmel semen cicutæ quibusdam compositionibus addunt, quod est uenenum, ut alibi ostendimus, pernitiosum. Nisi q̃ dubitari potest, quomodo Auicenna unà cum alharmel etiã rutam syluestrem in eadem morsus cahari serpentis curatione nominauerit.

minauerit. Ego autem puto rutam syluestrem fuisse expositionem in margine positam, postmodum uitio codicis alijs medicinis insertã. Neq̃ enim dici potest alharmel hoc in loco cicutam uel eius semen significare, cum utrumq̃ uenenum sit, & nullam habeat contra serpentum morsus efficaciã. Sed & inter has ipsas medicinas ad morsus chaari ab Auicenna nominatas, duos alios errores inuenio, quoniam pro cardamomo apud Dioscoridẽ scripto inuenio cynamomum apud Auicennam: Pro serpillo autem uolubilem. Minimus autem & ferè nullus in cynamomo error, cum æque atq̃ cardamomum aduersum animalia uenenata commendetur. Multo plus in uolubili herba delinquitur, quæ nullã habet contra serpentes naturæ efficaciam. Serpillũ uero tantam habet, ut uel hac causa illi inditum nomen quidam existimauerint, quia serpentibus aduersetur. Hydri quoq̃ serpentis speciem uidetur Albertus temere duplicasse: Nam de eo loquitur capite proprio de hydro, & altero de andrio. Auicenna autem dubitat an andrius & hydra idem sit serpens, licet de eis duo capita scripserit. Sed hanc Auicẽnæ dubitationẽ ita ex Nicandro, Dioscoride, ac Paulo soluimus. Quem hydrum priores dixerunt, posteriores chersidrum, ut inquit Nicandri expositor, uocauerunt: quoniam tam terræ quàm aquæ incola est. Dioscorides tamen ac Paulus prisco uocabulo hydrum nuncuparunt; & quæ in morsu hydræ signa ab Auicenna referuntur, eadem apud Dioscoridẽ ac Paulum in hijs quos hydrus momorderit scripta reperiuntur, Sed & ea remedia, quæ in andrij serpentis curatione Auicenna tradit, eadẽ ferè Dioscorides & Paulus item ad eos sanandos, quos hydrus momorderit, præceperunt; adeo ut tum ex signis, tum ex modo curationis dubitari nõ possit hydrum & andrium esse eundem serpentem apud Auicennam, atque ideo frustra ab Alberto, qui in hijs serpentũ nominibus

Serpillũ unde dictum.

Hydrus.

minibus ſequitur Auicennam fuiſſe duplicatũ. Sed & hic maioris fidei faciendæ gratia, autorum tum Arabum, tum etiam Græcorum ſententias parum diſcrepantes, tam ſuper hydro, quàm ſuper andrio ſerpentibus, uel potius ſerpente, cum unus & idem ſit, ſolis nominibus uariatus, ſubiungemus. Signa morſus hydri uel hydræ apud Auicennam
„ hæc ſunt: Morſus eius egreditur & dilatatur, & offuſca-
„ tur color eius: Et egreditur ex eo humiditas nigra, plu-
„ rima, ac fœtida ualde. Dioſcorides autem ac Paulus de hijs
„ quos hydrus momorderit, ita ſcripſerunt. Vlcus dilata-
„ tur, & magnum fit cum liuore. Saníes uero ex ipſo nigra
„ & multa ac fœtida profluit, qualis ex depaſcentibus mem
„ brum ulceribus ſolet excerni. In andrio autem licet alia ſigna morſus eius ſcribat Auicenna, eadem tamen in curatione remedia adhibet, quæ in morſu hydri Dioſcorides ac Paulus adhibuerũt, ſcilicet ariſtolochiæ põdus drachmarum duarum cum uino, aut cum aceto commixto, ut ſcribit Auicenna. Vt autem ſcribit Dioſcorides, cum puſca ſuccum praſſij, emplaſtrum ex calce & oleo, ut ſcribit Auicenna: Vt autem Dioſcorides, ex cinere & oleo cortices radicis quercus, & farina ordei, & calamentum montanum, ut apud Auicennam ſcribitur. Nam pro eo origanum apud Dioſcoridẽ ſcriptũ inuenimus. Accedit ad hæc quod in hydro quidem ſerpente citatur ab Alberto Semerion, parum, aut nihil in ſignis morſus ab Auicenna aut Dioſcoride poſitis uarians: In andrio autem omnino reticetur. De hæmorrhoo etiam, quæ eſt ſimplex ſerpẽtis ſpecies, neq; diſtinguitur apud Græcos autores, niſi per maris ac fœminæ differentiam, quorum alter hæmorrhous, altera hæmorrhois nominatur, agit Albertus ſub tribus nominibus: halſordio primum, deinde hæmorrhoo, poſtea ſabri, neq; animaduertit ſolam eſſe nominum, non autem naturæ ſerpentis differentiam.

tiam. cum ſit eadem in omnibus ſanguinẽ humanum exinaniendi uis, ut etiam Albertus ipſe ſub eiſdem nominibus teſtificatur. Allegat autem in ſolo ſabri Semerionem, quem ſabrim idemmet Albertus fatetur parum ab halſordio differre. Verũ in hoc ſerpentis genere, ut dixi, nõ eſt alia quàm ſexus, aut nominum differentia, quoniam hæmorrhous & hæmorrhois ſunt nomina græca. Halſordium autem & ſabrin barbara, forte idem maris ac fœminæ diſcrimen importantia. Ideo rectius Auicenna tacuit hæmorrhoum, qui nomine tantum ab alſordio, ſiue ſabri diuerſificat, niſi quod poſtea Auicenna alio capite hãc ipſam animantis ſpeciem, ſanguinẽ humanũ ſuo morſu exhaurientis ſub altero uocabulo, ſcilicet pediculo uulturis multiplicauit. Male, ut mihi uidetur, in eo Galenum allegans, qui de nullo alio reptili talem habẽte poteſtatem præterq; de hæmorrhoo atq; hæmorrhoide loquitur, ſicuti etiam Nicãder, Dioſcorides, Paulus, atq; Lucanus apud nos de ſolo hæmorrhoo atq; hæmorhoide meminerunt, neq; aliam ſanguifluam ſerpentis ſpeciem ſuperaddiderunt. Sed neq; Albertus eſt eius erroris, quem Auicẽnæ aſcripſimus, expers, imò tanto plus quàm Auicenna peccat, quoniã ait Galenum pediculum uulturis nomi- *Pediculus uulturis.*
nare, cum tamẽ Auicenna dicit, & ipſemet Albertus affirmat, pediculũ uulturis græce memucle nũcupari. Sed quod pediculus uulturis nõ ſit græca appellatio, auſim pro certo affirmare. Memucle autem poteſt eſſe græcum uocabulum, pro myrmecio poſitũ. Eſt autem myrmecium ſpecies phalangij, de qua Nicander, & Plinius quoq; in ſuis libris fecere mẽtionẽ. Cuius morſus traditẽ eſſe pexiguus, adeo ut uix ſenſu uiſus percipiat. Qualẽ etiã eſſe morſum pediculi uulturis Galeno autore Albertus atq; Auic. ſcripſerũt. Sed q hæc phalãgij ſpecies eãdẽ uim habet ſanguinẽ humanũ exhauriẽdi, quã hæmorrhous uel hæmorrhois, neq; Galenus,

neq; alter græcus autor, quẽ sciam, prodidit scripto. Verum in hoc reptili Alberti mendacium est euidentius, qui ait ipsum nasci in inguine hominis, & in pilis, & sub aselis, & eius morsum non uideri, nisi quando multũ creuerit, & tunc morsum esse uenenosum: Et quod facit morsus aliquando erumpere sanguinem per uenam ani, & per nares, & ex stomacho per uomitum, & ex pectore, & pulmone, & ex radicibus dentium, & aliquando ita magnificatur tumor, quod nõ recipit medicinam. Quæ quidem ab Alberto ad literam scripta sicubi gentium uera sunt, nõ parum Italiæ gratulandum censeo, quæ talem pestem natam in corpore humano non agnoscit. Longum esset & forte legẽtibus fastidiosum, si uelim omnia partim Alberti, partim Auicennæ errata, ubi de serpentibus agunt, in lucem patefacere: Verum sat erit duos tantum alios subiungere, qui magis ad institutam de dipsade & uipera quæstionem uidentur pertinere. De dipsade supra diximus secundum Marsorũ opinionem non esse speciem à uipera differentem: Verum secundum Nicandrũ & plures alios esse speciem per se simplicem tantum. Alber
Situla. tus autem situlam, quæ idem uidetur apud Latinos significare quod apud Græcos dipsas, in duas species diuidit: alteram, quam græco uocabulo dipsadem uocat: alteram, quam generis nomine situlam. Et de hac secũda specie dicit, quod est serpens ex uarietate miro modo pulcher, ita quod admiratione detinet intuentes: sed est piger & paruus, & ita ignei ueneni, quod ille qui percutitur totus exuritur, & in hyeme pellem deponit. Sed mirum in modum in hoc serpente Al-
Scytale. bertus decipitur: nõ enim situla, sed scytale potius nominatur, & est ille quem postea paucis uersibus interpositis sub
» sisiculi nomine describit hoc modo: Sisiculus est serpens
» fere sicut ille, qui salit ad duas partes, quem Græci amphise-
» lenen uocant, quasi duo capita habentẽ, & morsus istius est sicuti

» sicuti morsus illius, quia iste quidã modus illius, licet in hoc
» differat, quod non adeo expresse duo capita habere uidetur,
» & hæc de hoc serpente dicit Auicenna. Hæc quidem Albertus. Auicenna autem, quem Albertus allegat, ita de eisdem serpentibus scribit libro IIII, capite De serpente scisceta li:
» Color eius similis est salienti ad duas partes, sed ille est de-
» terior, & accidentia eius sunt illa, & cura eius est illa cura. Verum contra Auicennã & Albertum merito quispiam possit dubitare qualis sit morsus, uel accidentia, quæ ex morsu amphisibenæ consequuntur. Qualis etiã modus curationis, ne uideatur id quod quæritur per alterum æque ignotum manifestare. Hic autẽ error inde prouenit, quoniam uerba Alberti & Auicennæ de scisceta li & amphisele ne, uel, ut dicere debuit, amphisibene, siue saliente ad utranq; partem sunt uerba Dioscoridis & Pauli de scytale amphisibene, sed male interpretata, quia, ut taceam nominũ deprauationem, de quibus non multum est philosophis medicisq; curandum, non sunt suo loco relata. Dioscorides enim cum docuisset qualia sunt accidentia quæ ex morsu fiunt uiperarũ, & quis modus curationis, postea de scytale & amphisibene serpen
» tibus ista subiungit: Similia autem hijs accidunt, quæ à ser
» pente amphisibene nominato, uel scytale morsis eueniunt:
» Eadem autem sunt remedia, quapropter in hoc genere non
» est opus propriam facere scriptionem. Oportuit ergo Auicennam uel Albertũ, qui uidetur in hijs secutus Auicennã, scisceta lim & amphisibenẽ, siue salientem ad utranq; partẽ eodẽ quo Dioscorides ordine, post uiperas scilicet collocare, quod & eosdem facerẽt casus, eandemq; exigerent curationem unà docere: uel saltem si ordinem mutare uoluerãt, quænam essent eorũ morsus accidẽtia, & quæ curatio legentibus manifestare: quod tamen uidentur in alio capite, sed alijs nominibus feciſſe, harem scilicet & carem, de quibus ita

» ſcripſit Auicenna capite Harem & carem: Dixerũt quidam
» Arabes ſapientes, & exiſtimo quod ſunt de genere draconũ
» marinorũ, aut aliorum, quos ambos nominauit Semerion
» ille ſapiens, dicens quod accidit ex morſu eorũ illud, quod
» accidit ex morſu uiperarũ, & ſimilatur quod cura eorum ſit
» cura uiperarũ. Eadem ferè Albertus de harem & carem ex
Semerionis & Auicennæ autoritate. Qui tamen Semerion
in ſcyſcetali & amphiſibene, ſiue ſaliente ad utranq; partem
nõ allegatur, adeo ut ueriſimile fiat Auicennã atq; Albertũ
de eiſdem ſerpentibus tanquã diuerſis duo ſcripſiſſe capita:
alterũ inſcriptione Scyſcetali, alterũ Harem & carem. Mul-
to tamen plus peccauit Albertus, qui ſerpentem ſcytalem à
Græcis & etiã Latinis nominatũ, non modo duplicauit, ſed
etiam triplicauit ſub nomine ſiſeculi, ſub arem uel carem, &
ſub nomine ſitulæ: & modo proprij generis, modo alterius
eſſe inſinuauit, hoc eſt, ſitulæ ſpeciem. Quod autẽ ſpecies al
tera ſitulæ ab Alberto deſcripta, ſit ea quã Græci atq; Latini
ſcytalem nominant, et Dioſcorides cõparem facit in caſibus
& morſus curatione amphiſibenæ: conſtat ex hijs, quæ de
eadẽ ſitulæ ſpecie ſcribit Albertus, & de ſcytale Solinus, atq;
Lucanus de ſitula ſua, quæ tamen non eſt ſitula, neq; ſpecies
eius. Scribit Albertus, quod eſt ſerpẽs miro modo pulcher,
ita quod admiratione detinet intuentes, ſed eſt piger & par-
uus, quod ille quẽ percutit totus exuritur, & hic ſerpens in
hyeme pellem deponit. Sed hæc eadem de ſcytale Solinus
» ſcribit hijs uerbis: Scytale tanta præfulget tergi uarietate,
» ut notarum gratia uidentes retardet, & quoniã reptando pi-
» grior eſt, quos aſſequi nequit, miraculo ſuo capit ſtupen-
» tes. In hoc tamen ſquamarũ nitore hyemales exuuias prima
» ponit Idem Lucanus de ſcytale ſcribit: Et ſcytale ſparſis
» etiam nunc ſola pruinis Exuuias poſitura ſuas. Quare luce
» clarius apparet Albertũ pro ſcytale ſitulam accepiſſe, & no-
minũ

minũ uicinitate deceptum, proprij generis ſerpentem alteri
cõtribuiſſe. Sed hic quidem error ad dipſadem pertinet, quã
Albertus ſub eodem genere cũ ſcytale poſuit, alter uero ad
uiperam: nam ſicuti ſciſeculum à ſitula, uel ſi recte loqui ue
limus, à ſcytale, ita etiam tirum à uipera eſſe ſpecie differen-
tem exiſtimauit. Quemadmodũ eiuſdem Alberti libro II
De animalibus indicant uerba, quæ in hunc modum ſcripta
» inueniuntur: Omnia enim genera ſerpentum faciunt oua
» præter tirum, ut dicit Ariſtoteles, & eſt corrupta ſua litera,
» quoniam ille qui uere eſt tirus notus eſt apud nos, & fit ex
» ipſo theriaca. In quibus uerbis Alberti duo ſunt errata, alterũ
quod ignorauerit arabicæ translationis conſuetudinẽ, tirum
pro uipera ſæpiſſime ſupponentis: Alterũ multo maioris ad
uitam momenti, quod ſerpentẽ ex qua uera theriaca confici-
tur eſſe ouiparam, nõ autem uiuiparam exiſtimauit, contra
omnium ueterũ, & præcipue Andromachi, qui primus do-
cuit uiperas, & nõ alias ſerpentes theriacæ admiſcere præce-
ptum. Vtrum autem Albertus hunc errorem, ſicuti pleroſq;
alios, ab ipſo Auicenna acceperit, cũ in eiuſdem Auicennæ
libris ex arabica in linguam latinam translatis appareat, ti-
rum & uiperam tanquã diuerſos ſerpentes frequenter nomi
nari, non poſſum certiſſime dijudicare. Fieri enim poteſt, ut
Auicennæ interpres pro uipera tirum, id eſt, genus pro ſpe-
cie aliquando poſuerit, quod non adeo fuiſſe errorem, quan
tum dediſſe alijs non animaduertentibus errandi occaſionẽ
exiſtimamus. Quod ſi Auicenna ubique eodem uocabulo
utitur, alphe ſcilicet, quod apud Arabes ſignificat uiperam,
multo plus ipſe aliquãdo quam eius interpres aberrat: nam
nomen ſpeciei ſimplicis ponit pro nomine generis, ut cum
libro IIII, capite De ſpeciebus ſerpentũ ſcribit hæc uerba:
» Et ordo ſecũdus de uiperis, quarũ ſpecies ſunt diuerſæ, de
» eis enim ſunt uiperæ aleliſati, & de eis ſunt facientes ſitire, &
reliquæ

reliquæ quas dicemus, q̃ ſerpentem facientem ſitire, q̃uam Græci dipſada uocant, pro ſpecie uiperæ nominet, cũ ſit eadem quæ uipera ſerpens ſecundum Marſorum ſentẽtiam, uel uiperæ quamſimillima ſecundum omnium aliorum, & ipſius quoq; Auicẽnæ opinionem, facile poſſit tolerari. Sed q̃ ſerpentes quercinas, quod genus eſt à uiperis diuerſum, & à Græcis dryini, ut antea diximus, nominantur, quia in quercuũ radicibus habitant, quod poſtea Auicẽna in aliarum ſpecierum ſerpentum enumeratione ilicinium uocat, uel non faciens inter quercum & ilicem differentiã, uel forte putans quercinas eſſe ab ilicinis differentes, deceptus nominum, ut in multis alijs oſtendimus, diuerſitate. Quod, inquam, & quercinas, & multas alias, de quibus ſe dicturum promittit, uult eſſe uiperæ ſpecies, hominis eſt ſpeciei nomine pro nomine generis abutentis. Siquidem alphe uiperam ſignificat apud Arabes, quæ ſimplex eſt ſpecies ſecundum Ariſtotelem, Nicandrũ, Dioſcoridem, Andromachũ, Galenum, & Paulum, ac reliquos medicos uetuſtiores. Auicennæ autem interpres ſicubi alphem uerbũ arabicũ tirum interpretatur, quaſi therium uelit dicere, nomen generis ponit pro nomine ſpeciei, quod ab omnibus hominibus frequenter ſolere fieri teſtatur Galenus in expoſitione libri ſecundi De uictu acutorum. Et hoc ſanè uidemus non modo apud Galenum, ſed etiam apud Ariſtotelem in hac eadem ſerpente factitari, ut cum Galenus ait in libro De theriaca ad Piſonẽ, primum Andromachũ theria, id eſt uiperas theriacæ admiſcere inſtituiſſe, & cum eodem in loco alteram quoq; probat etymologiam, quam nos libro noſtro de Plinij, atq; aliorum medicorum erroribus inſcripto, nixi eiuſdẽ Galeni autoritate, licet inibi Galenum nominatim nõ citauerimus, inſeruimus: Vbi diximus theriacam Andromachi: de ea enim tunc loquebamur, & trociſcos theriacos inde habuiſſe

habuiſſe nomen, quoniam ex therijs, id eſt uiperis, quæ ex genere ferarum ſunt, conficiuntur. Sed cur, inquiũt aliqui, non potius uiperini dicantur quàm theriaci, ſiue latine ferales, à nomine ſcilicet ſerpẽtis proprio, & non communiori? Et quid uetat, inquam ego, ita eoſdem trociſcos latine uiperinos nominare, ſicuti græce theriacos? Quandoquidem Plinius uir eruditiſſimus ſalem theriacum eadẽ apud Græcos ratione theriacum, qua trociſci theriaci, nominatũ, quia uidelicet ex uiperis fit, maluit dicere uiperinum, quàm nomine infauſto feralem, libro ſcilicet XXX, capite III, ubi ita ſcribit: Item gallinacei cerebrum recentibus plagis ſale uiperino in cibo ſumptũ. Eadem eſt in tota antidoto ratio, quam, ſi libuerit, poſſumus uiperinam nominare, ut eam Græci aliquando ἀντίδοτον Αἰ'χιδνῶν, id eſt, antidotum ex uiperis nominãt. Quid enim refert antidotum uiperinam, uel antidotum ex uiperis nominare? cum æque fiat ex uiperis denominatio? Qui autem etiam aiunt theriacam non poſſe apud Græcos ob id ſortiri nomen, quod theria, id eſt feras in ſui compoſitionem admittat, quoniam cum fera ſit nomen ualde generale, non magis ex ui uocabuli uiperam, quàm etiam baſiliſcum intelligeretur eſſe ad theriacæ compoſitionem recipiendum. Non animaduertunt eandem rationem etiam in ipſos reciprocare. Quoniam ſi ideo theriaca græce dicitur, latine autem feralis, ut ipſi interpretantur, quoniam confert contra morſus ferarum, deberet etiam cõtra aprorum, leonum & elephantũ morſus auxiliari, quos eſſe ex ferarum genere nemo dubitauerit. Quare neutra etymologia poteſt pro uera defendi, niſi in utraq; nomen generalius in ſignificato ſpecialiori capiatur. Sicuti autem in tota antidoto utranq; probamus autore Galeno etymologiam, & illam ſcilicet quæ ab uſu, quem præſtat contra feras uenenatas, aſſignatur, & alterã quæ à feris, quæ in ipſa commiſcentur:

miſcentur: non ſunt autem aliæ quàm uiperæ: ita in trociſcis theriacis unam tantũ admittimus, quod uidelicet ob id ſint theriaci nominati, quoniam ex therijs, id eſt uiperis confi-ciuntur. Necꝫ enim de ipſis æque atcꝫ de tota antidoto, cuius ſunt una portio, dici poteſt, quod contra omnia animalia uenenata auxiliẽtur. Superuacuum enim Andromachi, & aliorum ueterum medicorum ſtudium extitiſſet, tot medicinarum uires in una compoſitione commiſcere, & ſcrupulatim colligere, ſi ſoli trociſci theriaci eundem nobis effectũ poſſent præſtare. Niſi forte quis putet Andromachi compoſitioni alias adiungi medicinas, nõ propter ſerpentes, ſed plurimos morbos, quos poteſt ſanare theriaca: Soli autem trociſci theriaci non poſſent. Atqui & ad illa etiam quotcũcꝫ quis enumerauerit uenena altera antidotus priuſcꝫ theriaca adinuenta, ſufficiebat, quæ ab inuentore mithridates cognominat. De hac enim Galenus libro De antidotis primo
» ita ſcribit: Ad uiperarum quidem uenena melior eſt theria-
» ca quàm mithridates, ad alia uero nihilominus mithrida-
» tes, ſed in quibuſdam etiam melior. Eandem etiam ſententiam Galenus libri eiuſdem ſecundo uolumine repetit, ubi ait ſe uelle à mithridate inchoare, quæ ad plurima quidem alia uenena maiorẽ habet quàm theriaca efficaciam: In uno autẽ ſolo relinquitur, quod à uipera dicitur. Auicẽna quoꝫ libro v capite De confectione mithridatis, nõ aliud quàm Galenus de mithridate ſentit: Ita enim de ipſo eodem capite ſcribit: Deinde poſtcꝫ accidit Andromacho illud, quod
» expertus fuit ſuper iuuamentum carnium ſerpentum & ali-
» orum, addidit in eo trociſcos de uiperis, & alteratum eſt pa-
» rum per additionem & diminutionẽ. Fuit ergo theriaca ma
» gna in multitudine iuuamenti. Veruntamen theriaca ma-
» gna eſt magis iuuatiua ipſo in re una, & eſt uenenum ſerpen
» tum. In reliquis uero rebus non diminuitur mithridatum à theriaca

» theriaca diminutione, de qua ſit curandum. Imò eſt ma-
» gis additi in pluribus eorum iuuamenti, & confidentioris
» utilitatis. Hæc autem duorum autorum uerba etſi plurimum conſentire uideantur, non parum tamen, niſi ea recte intelligamus, diſſentiunt. Et ſi enim tam Galenus quàm etiam Auicenna conueniant in hoc quod mithridates ſit æque ad omnia alia utilis, uel etiam utilior in quibuſdã quàm theriaca, diſcrepant tamen: quoniam Galenus uult theriacam contra morſus uiperarum plus habere efficaciæ. Auicenna autem non contra uiperas tantum, ſed contra ſerpentes ſimpliciter, niſi quod, ut poſtea ſumus oſtenſuri, ſerpentis nomine non quicuncꝫ ſerpens, ſed uipera tantum etiam apud Auicennam aliquando ſignificatur. Et quidem eſt rationabilius uiperas ſeu carnes uiperarum, ex quibus trociſci theriaci cononſtant, n contra omnes ſerpentes, ſed cõtra ſe potius eſſe medicinam. Nam, ut inquit Galenus libro De theriaca ad Piſonem, ſicuti ad morſum crocodili adeps eius uulneri illato mirabiliter prodeſt, & mygale ſerpens pariter trita & ſuperimpoſita morſus ſuos abſque dolore ſanat, ita & quos uipera momorderit, carnes eiuſdem ſerpentis ſimiliter tritæ, & ſuper uulnus poſitæ curant. Forte eſt & alia inter Galenum atque Auicennã diſcordia: Quoniam Galenus non in rebus alijs quàmplurimis, ſed in uenenis tãtum ait mithridatem eſſe theriaca potiorem. Quare uidetur ſermo Auicennæ multo eſſe generalior, & ideo non parum à ueritate deuiare, cum ſint quidam morbi præter illos, qui ex uenenis contrahuntur, contra quos eſt theriaca iuuantior. Quod quidem Galenus libro primo De antidotis
» declarat hijs uerbis: Illas quæ paſſiones ſanant facultates,
» quæ non extrinſecus imponuntur, ſed intus aſſumuntur,
» medici antidotos nominant. Tres autem ſunt primæ ea- *Antidotus.*
» rum differentiæ: Quædam enim propter mortifera phar-

maca exhibentur: Quædam morsibus animalium uenatorũ: Quædã uero aliis passionibus, quæ ex uitioso uictu contingunt, auxiliantur: Quædam autẽ tres profitentur utilitates, sicuti illa quæ theriaca uocatur, quã composuit Andromachus repudiata mithridate, quæ & ipsa ab eo qui eam composuit nomen accepit. Ex quibus Galeni uerbis duo maxime elicimus, nõ modo in uiperæ morsu, sed etiam in multis citra uenena passionibus theriacam esse mithridate potiorem, & præterea solam Andromachi cõpositionem simpliciter theriacam nominari, alias autem compositiones non theriacas, sed antidotos tantummodo nuncupari. Quam itidem nominis differentiam possumus ex multis aliis apud Galenum locis demonstrare, sicuti ex illo, quem per initia nostræ disputationis ex libro XI De simplici medicina citauimus, cum de uiperis ad theriacæ cõpositionem eligendis
» sermo haberetur, de quibus Galenus ita scriptitauit: Tutis-
» simum autẽ est cauere uiperas, quas in talibus locis, scilicet
» aridis & salsuginosis uenantur, siue ad usum cibarium, siue
» ad pharmaci compositionem, quale est istud celeberrimũ,
» quod omnes medici theriacem nominant. In libro etiam de theriaca ad Pisonem planè Galenus ostendit nullam fuisse ante Andromachum antidotum, quæ theriaca diceretẽ, quãuis esset & illa compositio, qua rex magnus Antiochus contra omnia animalia uenenata usus dicitur, & altera mithridates à rege Mithridate, cuius fuit inuentũ appellata. Ita enim de Mithridate rege, & de antidoto ab eo inuenta libro quo
» diximus Galenus scribit: Inquit enim quod & Mithridates
» ille bellator magnus theriacam quidem nõ assumpsit, non-
» dum enim erat, sed alterã multæ mixturæ antidotum, quæ &
» ipsa ab eius nomine uocitatur. Quod si, ut inquit Galenus, tẽpore Mithridatis nondum erat theriaca, neq; etiam Antiochi theriaca fuit, qui longe ætate præcessit. Si quis uero mihi Plinium

Plinium obiiciat, ut sanè animaduerti in quodam libello de serpentibus edito mihi fuisse, meo tamen supresso nomine, latenter obiectum, facientem de theriaca Antiochi mentionem: uel plus me Galeno credere, ubi de nominibus græcis præsertim medicinalibus agitur, uel neq; Plinium, si uerba eius diligentius inspiciantur, quicquã à Galeno dissidere respondebo. Cum enim Plinius circa finem libri XX De naturali historia unam compositionẽ retulisset, quæ constat ex serpillo, opoponace, milio, trifolio, anethi, & feniculi, anisi, ami, apij q̃ seminibus, & farina erinacea, postmodũ ita subiungit: Hac theriaca magnus rex Antiochus aduersus o-
» mnia uenena usus traditur. Quasi idem uoluerit Plinius de hac compositione, quod etiam Galenus de mithridate antidoto dicere, licet nondum foret tẽpore Antiochi, sicuti neq; regis Mithridatis theriaca: Antiochũ tamen compositione antea scripta pro theriaca usum, sicuti etiam sua compositione Mithridates. In eandem sententiam Auicenna de mithridate antidoto loquens illa protulit uerba, quæ etiam supra recitauimus, quod ante Andromachum compositio mithridatis fuit theriaca magna in multitudine iuuamenti. Theriaca ergo diatessaron eatenus & ipsa dicit̃ theriaca, quatenus uicem supplet theriacæ: & allium eadem ratione rusticorũ theriaca aliquãdo à Galeno nominat̃, quia cum theriaca rusticis careãt, allio utuntur uice theriacæ. Galenus etiã eodem de theriaca ad Pisonem libro cum multa de antidoto mithridate dixisset, & modum quo eius cõpositionem rex Mithridates inuestigasset, edocuisset, postmodum illa uerba subiunxit: Postea uero Andromachus Neronis archimedicus
» quædam addens, quædam autem & adimens, scilicet de mi-
» thridatis cõpositione, de ea enim fuerat sermo, fecit eam an-
» tidotum, quæ theriaca nominatur, miscens unà cum aliis nõ
» paruam carnis uiperarũ portionem. In quibus uerbis Gale-

Allium theriaca rusticorum.

Andromachus Neronis medicus.

nus innuit,& ſolam Andromachi compoſitionem theriacã ſimpliciter nominari, & cauſam pariter oſtendit, ob quam præcipue ipſa ex omnibus alijs antidotis theriaca uocetur, carnis uidelicet uiperarum cõmixtionem: nam ſi à ſola, quã præſtat contra morſus ſerpentũ, utilitate idem nomen indipiſceretur, tunc ante inuentionem theriacæ theriaca fuiſſet, cum antidotus mithridates ad eoſdem morſus, uiperino tantum excepto, non minus ualeat, imò ad quoſdam ex eis multo plus, ut loco ſuperius allegato Galenus inquit, quàm theriaca. Alexander quoque ultimo primi libri problemate, in quo quærit cur hijs quos dipſas momorderit, cum ſiti præmantur intolerabili, theriaca tamen, quæ calida eſt & ſicca, nihilominus ſitim ſedet, & non magis exaugeat. Manifeſtũ ſe facit ex ſuo ſermone de theriaca ſimpliciter prolato unam tantum exiſtimaſſe antidotum theriacam nominari, quæ in ſua uiperas recipit compoſitura. Siquidem in ſolutione problematis circa finem ait: carnes uiperarum alijs ſimul medicinis, quæ in theriaca ponuntur, admixtas, uim habere naturalem contra omnia animalia uenenata & exitialia pharmaca reſiſtendi. Ex quibus etiã Alexandri uerbis illud conſtare poteſt, non carnes ſolas uiperinas, uel etiam oleo & anitho cõditas, ſed cum alijs pluribus medicinis plus quàm ſexaginta numero in unam quodãmodo naturã confuſis: id quod uult etiam libro De theriaca ad Piſonem ſæpius à nobis allegato Galenus, tantã habere cõtra omnia uenena, ſed præcipue uiperæ poteſtatem. Quare ut ad trociſcos theriacos, à quibus noſtra cœpit diſputatio reuertamur, cum non haberent ipſi maiorem quàm carnes uiperinæ, à quibus ſola ſimilagine ſuperabundant contra uenena efficaciam: ſiquidem hæc non ad uim carnium augendam, ſed potius ad trociſcorum formationem eſt ſuperaddita, nõ ſunt ijdem trociſci ab utilitate quã ferunt, ſed potius ab ea quæ in ipſis continetur

cõtinetur fera, græco uocabulo theriaci cognominati. Alioquin occurreret quæſtio, cur non & carnes ipſæ per ſe theriacæ dicerentur. Quæ quidem quæſtio illis eſt inſolubilis, qui ſolam eius nominis cauſam aſſignant utilitatem: nobis autẽ facillima, qui non uſum, ſed potius id quod continetur aſſignamus. Carnes ſiquidem uiperinæ non ſe ipſas continent, ſed potius in alteris continentur. Idcirco nõ conſueuere medici carnes theriacas, ſicuti trociſcos theriacos, & ſales quoque theriacos, qui & ipſi ex carnibus uiperinis quibuſdam alijs additis conficiuntur, appellare. Quod ſi quis ſpreta loquendi conſuetudine, uiperæ carnes uelit etiã theriacas nominare, ſciat ſe nihilo plus quàm uiperinas ſignificaturũ, uel ſaltem uſurũ uocabulo ualde generali, omnem medicinã, quæ quouis modo poſſit contra aliqua uenena prodeſſe, ſignificante. Ne autem multũ ex nominis ambiguitate laboremus, ſciendum eſt tres eſſe, ut antea diximus, antidotorũ ſpecies: Vnam, quæ ualet cõtra pharmaca mortifera, quæ ſicet uel per cibum, uel per potionem aſſumpta hominem interimunt. Alteram, quæ prodeſt contra morſus quorundã animalium uenenatorũ, ueluti canis rabidi, ſcorpionis, phalangiorũ & uiperarũ: Et tales antidotos, ut inquit Galenus ſuo De antidotis libro, medici iuniores, quorum unus fuit Aſclepiades, ſolitι erãt medicamẽta theriaca nominare. Tertia antidotorum ſpecies eſt, quæ morbis ex uictu prauo contractis auxiliatr. Si qua uero antidotus, ut illa quam inſtituit Andromachus, omnibus malis, quæ diximus, opitulatr: hæc non theriacũ pharmacũ, ſed theriaca ſimpliciter nominatur. Quo circa Galenus cum eodẽ De antidotis libro de multis antidotis faciat mentionẽ, quæ contra medicamẽta mortifera, & morſus uenenatorũ animalium mire proficiunt, ſicuti de mithridate, athanaſia, ambroſia Philippi Macedonis, & antidoto ex ſanguinibus, & altera ex ſcinco nuncupata, nullam

Tres antidotorũ ſpecies.

Iam tamen ex hijs putat theriacæ nomine insigniendam, sed tantum Andromachi compositionem, quam nō medicinā theriacam, sed theriacam simpliciter nominat. Si uero Arabes, & quidā Latini plusq; oporteat aliquādo Arabibus credentes, fusius utuntur hoc nomine theriaca, nos in græco uocabulo maiorem græcis autoribus fidem adhibendam iudicamus. Quāquā & ipsi Arabes, si ea quæ diximus supra de theriaca Antiochi, de theriaca Diatesseron, & alia theriaca rusticorū memoria repetantē, facile possunt in unam cum Græcis concordiā reuocari. Et si enim II Canonis capite De squilla Auicenna dicat, q̄ est theriaca uenenosis: & de opoponaco pariter quod cum aristolochia ad pūcturas bibitum est theriaca, & similiter eius succus, idem tamē Auicenna fatetur eodem in libro impropriā esse locutionē, cum simplex medicina theriaca dicitur: Quoniā, ut inquit, nomē theriacæ dignius attribuitur medicinis artificialibus, id est compositis, & nomē bezaar singularibus cadentibus secundum naturam. Licet aliâs idem Auicenna bezaar cum theriaca uideatur confundere, scribens in hūc modum: Albezaar & theriaca sunt omnes medicinæ, quarum proprietas est, ut conseruent sanitatem, & uirtutem in spiritu, ut expellāt nocumentum ueneni à se. Mihi uero uidetur nomen bezaar apud Arabes significare idē, quod apud Græcos alexipharmacum, quod est uocabulum generale ad omnia remedia, siue contra morsus animalium uenenosorū, siue contra uenena mortifera, sicuti aconitum, argētum uiuum, atq; similia, quæ uel per cibos, uel potiones nostris corporibus inferuntur. Pharmacum autem theriacū, seu medicina theriacalis, ut medici iuniores loquuntur, tantū ad morsus serpentum, ut supra diximus, ex Asclepiadis medici autoritate accommodatur. Quod etiam ipsum indicat nomē à therijs, id est animalibus uenenosis deriuatum. Simpliciter autem theriacam

Alexipharmacum.

Theriaca ad serpentū morsus tantū accōmodatur.

theriacam Galenus, ut diximus, nominat solam Andromachi compositionē. Quare, ut opinor, Nicolus Florentinus non satis recte de eisdem nominibus libro IIII capite De medicinis bezaaralibus determinauit, scribens hæc uerba:

„ Videre potes quod ista duo nomina bezaar & theriaca tri„ pliciter possunt sumi, ut innuit Serapio in simplicibus, capi„ te De lapide bezaar: uno modo largissime pro omni medi„ cina principaliter, uel secūdario faciente ad liberationē à ue„ nenis: alio modo large pro medicinis bezaaralibus supradi„ ctis: & tertio modo stricte, uerbi gratia: Theriaca pro theria„ ca ipsa, quæ est una confectio dicta theriaca magna, uel libe„ rans, & dicitur theriaca Galeni, & est illa, in qua ingreditur „ caro tiri, & non propterea, ut multi accipiūt, uocata est the„ riaca: imò propter suæ uirtutis theriacalis excellentiam no„ men generis sortita est, & suo nomine meruit appellari. Et „ est de qua intelligitur cum absolute profertur, & consimili„ ter bezaar stricte sumptum dicitur de quodā lapide, qui præ „ excellentia suæ bezaaralis uirtutis nomine generis consimi„ liter uocatus est. Hæc quidē Nicolus. Ex quibus uerbis apparet ipsum quoq; ista duo nomina bezaar siue alexipharmacum cum theriaca confundere, cum tamen bezaar apud Arabes, sicuti alexipharmacon apud Græcos sit tam medicina simplex quàm etiam composita. Theriaca autem tātum composita, & non quæcunq;, sed quam Andromachus dicitur composuisse. Quare neq; largissima, neq; larga acceptio theriacæ apud ipsum recta est. Tertia uero arctissima, & ipsa ob id potest improbari, quoniam theriaca ita accepta nō est Galeni theriaca, sed Andromachi potius. Videtur autē Nicolus nimium Auicennæ falsō Galenum calumnianti credidisse, quod frustra Andromachi antidotū quædā addendo, & quædam subtrahendo commutasset: nulla uidelicet ductus necessitate, sed solum ut eiusdem antidoti sibi titu-

lum usurparet, cum tamen Galenus in suis omnibus de theriaca antidotis tractatibusq; maxime probet Andromachi compositionem, & eam solam, ut sæpe diximus, nominet theriacam, tanquam omnium aliarum antidotorum utilitates complectentem, atq; ideo ubiq; illam seruare studeat incorruptam. Quod uero etiam Nicolus illos reprehẽdit, qui Galeni theriacam inde dictam putant, quod ex tiri carne conficiatur, forte melius illos reprehendisset, qui uerum tirum non agnouerunt. Nõ animaduertit autem uir iste, alioqui Galeni doctrinæ studiosus, se principi medicorum, homini non minus literatura, quàm etiam medicinæ arte conspicuo imputare, quod male suæ antidoti nomen fuerit interpretatus, & eius ignorauerit significationem. Vt autẽ hic Nicoli error, & aliorum idem existimantium euidentius appareat, subijciam Galeni uerba, quæ libro De theriaca ad
„ Pisonem ita de eius uocabuli scribit etymologia: Quia uir
„ iste, Andromachus scilicet, de eo enim statim antea locutus
„ erat, miscere pharmaco theria, id est uiperas, quæ sunt ex ge
„ nere ferarum uenenosarum, excogitauit: non solum quoni
„ am ad morsus earum bene cõgruit, theriaca à nobis dicitur,
„ sed quia etiam ipsas feras uenenosas, uiperas scilicet, in sua
„ mixtura recipit propterea promptum fit nobis theriacam
nominare. Verum hic error Nicoli, qui tamen, ut uerum fatear, non est error ipsius, sed aliorum sua ætate celebris nominis autorum, ex quorum libris accepit, forte possit tolerari, ob eam quam uitiatam habemus, ac mutilatam librorum Galeni de theriaca translationem. Gentilis autem in expositõe quinti Canonis Auicẽnæ, capite De theriacis magnis, utrãq; admittit theriacæ significationẽ, quod uidelicet dicatur ab effectu suo contra serpentes, & alias medicinas uenenosas, & à carne tiri, nõ tam utrãq; in una & eadẽ theriaca, sed potius diuersis: Ita enim capite antedicto de theriacæ

„ riacæ nomine scribit: Cũ nomen theriacæ sumitur ab effectu,
„ quia est conformis uenenis, imponitur omnibus medicinis
„ conferentibus ad uenena, & ad difficiles passiones, & dicun
„ tur medicinæ theriacales, siue simplices, siue compositæ, sicu
„ ti allium uocatur theriaca rusticorũ à Galeno XII therapeu
„ ticæ, & pira theriaca fungorum, & sic de multis: & sic dicitur
„ theriaca diatesseron, in qua nõ intrat caro tiri, & hoc modo
„ sumit nomẽ tiriacalis Auicenna de uiribus cordis, & II Ca
„ nonis capite XX. Cum autẽ hoc nomẽ sumitur à carnibus
„ tiri, cadit solum super tiriaca illas recipiẽte. Hæc quidẽ Gentilis. Qui si forte interrogaretur quomodo pira recte dicant theriaca fungorum, cum fungi non sint serpentes, nomen autem theriacæ sit à therijs, id est serpentibus deriuatum, nõ aliud, ut opinor, ad hoc respõderit, nisi quod pauloante uerba suprascripta notauerat ex cuiusdã Arabis Azarangi nomine autoritate, quod uidelicet theriaca dicitur, quia confert uenenis serpentum, & aliarum medicinarum uenenosarum. Hoc enim nomen, ut inquiunt, habet duas partes: unam tiri, quæ significat serpentes: alteram ka, quæ significat medicinas uenenosas. Quare propter secundam partem nominis theriaca quæ est ka, uidetur Azarangi, atque Gentili ipsum sequenti, pira recte dici fungorum, qui sunt uenenosi, theriacam. Pudet me aliquando, cum uideo celebres in arte medicinæ uiros circa medicinalia nomina tam pueriliter aberrare. Quanquam utinam usque ad nomina eorum errata terminarentur, & non etiam in res ipsas uitæ periculosas præcipitarent. Quod in tiri, sic enim ipsi nominant, carne tam necessaria ad theriaces compositionem, medicina factum usque ad hæc tempora demonstrauimus. Quantum uero ad pira attinet, quæ fungorum theriaca dicuntur, etiam antea declarauimus, cur allium à Galeno theriaca nominetur. Idem autem de piris

eſt ſtatuendum, quod uidelicet eatenus fungorum theriaca nominantur, quatenus eundem habent effectum contra uenenum boletorum, ſiue fungorum, quem contra omnia uenena theriaca. Quod autē idem Gentilis inquit, quod quando hoc nomen theriaca ſumitur à carnibus tiri, cadit ſolum ſuper theriaca illas recipiēte. Forte rationabilius eadem uerba ita protuliſſet: cadit ſuper uera theriaca, quæ carnes uiperæ recipit: quoniā aliæ compoſitiones non ſunt ueræ theriacæ, ſed per quandam metaphoram ita cognominantur. Sed etiam ipſa uera theriaca non ſolum à ſerpente quem recipit dicitur theriaca, ſed etiam ab uſu quem affert contra morſus ſerpentū. Quare diſtinctio Gentilis, quod aliqua theriaca à recepto, aliqua ab effectu tantum nominetur, non eſt omnino comprobanda, cum nulla ſit ſine carne ſerpentis uera theriaca, & illa quæ hanc recipit, duplici ratione, ut antea Galeni autoritate monſtrauimus, theriaca nuncupatur. Sed forte tam longa de nominibus quæſtio magis ſit grammatiſtis quàm philoſophis medicisúe conueniens. Quoniam, ut inquit Galenus, & quodam de ſimplici medicina loco, & plurib⁹ alijs, non ex uerborum, ſed rerum potius cognitione curatio morborū perficitur. Quia tamen dudum animaduertimus fuiſſe nos in libro, de Plinij atq; aliorum medicorum erroribus inſcripto, longis ſermonibus ſuper uocabuli theriaca etymologia à quibuſdā medicis atq; leguleis taxatos, coacti fuimus & ipſi, nunc primū data nobis occaſione, in noſtri defenſionem fieri uerboſiores, qua ſimul etiam Auicennæ interpres excuſatur, qui uiperam tirum, quamuis therium dicere debuit, aliquando interpretatur. Hunc autē ipſum interpretem ideo excuſandum cenſuimus, quod putauerimus fuiſſe errorem Serapionis, quod fuit interpretis uitium. Sed quomodo id cuiquam errori tribuimus, quod neq; eſſe errorem iudicauimus? In eo etenim libro De medicorum

corum erroribus agētes, liberum unicuiq; relinquimus, ſerpentem illam, cuius caro theriacæ admiſcetur, uel tirum, uel uiperam, uel quouis alio liberet nomine appellare. Quare medicos iuniores inceſſuimus, non quod uiperam tirum aliquando nominent, ſed potius quod tirum putarent à uipera differentem: Quod tirum ex Syria uſq; quærerent, qui multo melior in Italia haberetur. Deniq; quod qui ſerpens eſſet uel tirus, uel uipera, hactenus uiderentur ignoraſſe: non fuit hic error in nomine, ſed in re magis. Fingamus enim Serapionis interpretem feciſſe uerum de carne uiperæ titulum, & omnes illas, quæ carni tiri tribuuntur facultates fuiſſe in eadem translatione, mutato ſolo ſerpentis nomine, uiperæ carni contributas, an propterea medici iuniores ex Serapione ſciuiſſent, quænam aut qualis ſerpens uipera foret, cuius caro tantopere ad uſum medicinæ cōmendaretur? Non arbitror equidem: Si enim hoc recta exiſtente uerborū Serapionis translatione, ſcire potuerunt: cur non æque ijdem ex Auicenna didicerunt, qui II Canonis etiam ſcribit carnis uiperinæ proprietates inſigniores. Cur non pariter ex Dioſcoride atque Galeno, eadem de carne echidnæ uel uiperæ ſcribētibus, quæ Serapio de carne tiri, uel ipſo Serapione utrunque autorem ſuper eiuſdem carnis uiribus allegāte. Ex qua allegatione facile percipere potuerunt tirum & echidnam & uiperam eandem eſſe ſerpentem. Sed cum plericq; eorum quid nomen uiperæ apud Latinos ſignificaret ignorarent, neq; quid echidna in græca, quid tirus in arabica translatione importaret potuerunt intelligere. Quare de quo ſumus nos in noſtra ad Alexandrum Agathimerū de tiro & uipera epiſtola gloriati, de hoc quoq; nunc iure gloriamur, nos primos fuiſſe, qui decennio ante eandem epiſtolam editam tirum & uiperam eſſe ſerpentem, qui uulgo maraſſus, aut ſcortio nuncupatur docuimus: quod neq; Gentilis, qui tam

prolixas atq; subtiles scripsit de theriaca quæstiones, antea docuerat: imò contrariũ in suis scriptis nobis insinuauerat, in quibus tirum ait esse sicco ueneno serpentem, cuius oculi à smaragdo, si hunc lapidem intueantur, dissipantur. Per uiperas autem non tirum, non specialem aliquam serpentis naturam, sed cõmunes tantum serpentes putat intelligendas. Quare sicubi nos Auicennam notandum censuimus, quod tirum putauerit à uipera differentem, fecimus hoc secũdum Gentilis, qui anima Auicennæ reputatur, expositionẽ: nam cum sensus Auicennæ ubiq; abstrusi sint, ac quasi imperceptibiles propter autoris, aut saltem interpretis barbaram obscuritatem, nõ possumus aliter de Auicenna iudicare, quàm sicuti is, qui inter ipsius expositores habetur præcipuus, nobis sua expositione subiecerit. Tunc uero nõ malam expositionem, sed ipsum potius autorem debemus damnare, cum eidem malæ expositioni autor dederit occasionem, quod liquidò uidemus Auicennam fecisse in uiperis, quarũ multas species & libro quarto & quinto, ut antea ostẽdimus, numerauit: Cum tamẽ uipera sit simplex species ex Aristotele, Nicandro, Dioscoride, atq; Galeno. Quos etiam autores uidetur & ipse Auicenna ex parte secutus, ut cum eam notat in uiperis maris ac fœminæ ex dentibus differẽtiam, quã etiam Nicander atq; Galenus in uipera simplici specie notauerũt. Nisi forte Auicenna, qui uiperã, quæ species est, pro genere posuit, eodem errore peculiarẽ uiperæ differentiam etiã alijs serpentibus cõmunicauit. Quem sanè geminum Auicennæ errorem uidetur Albertus libro xxv De animalibus imitatus, ubi post factam secundum Auicennã generis uiperarum in species diuisionẽ, quarũ multas ait esse species, alias alelisati, alias quercinas, alias sitire facientes, & reliquas, de quibus se dicturũ promittit, postmodum hæc uerba subiungit: Adhuc autẽ serpentibus accidit magna diuersitas in acui

Gentilis animã Auicennæ existimatus est.

» tate &

» tate & hebetudine ueneni, secundũ sexum masculinũ & fœ» mininũ, quãuis sint in specie una: Masculi enim pauciores » habẽt dentes, & plus ueneni, & acutius uenenũ, quàm fœmi» næ: & quod dicitur, quod fœminæ deteriores sunt maribus, » intelligitur in morsu, in quantũ est plurium dentiũ morsus » earũ. Hæc quidem Albertus. Forsitan autẽ non est in omnibus serpẽtibus, ut loqui uidetur Albertus, id quod dicit uniuersaliter uerũ, sed in una tantũ specie, scilicet uipera. In hac enim Nicãder, Dioscorides, Galenus, & Paulus unà testantur, quod mares fœminis sunt pernicioſiores, & fœminæ plures, mares autẽ pauciores habent dentes, non quoscunq; tamen, ut etiã circa initia operis diximus, sed caninos tantũ. In alijs uero serpẽtibus nõ desunt autores Arabes, qui cõtrariũ asserant, fœminas scilicet maribus esse peiores: nam quod ait Albertus, hoc intelligendũ esse in morsu propter multitudinem dentiũ, in morsu quidem elephantũ atq; aliarũ ferarũ, quæ magnos & aduncos habent dentes esset probabile: In serpentibus autẽ non est acceptandum, in quibus non turba uulnerũ, quæ ita aliquando sunt exigua, ut acus uideatur pupugisse, sed uirus potius maleficũ debet attendi, quod potest esse maleficentius, etiã si à paucioribus dentibus imprimat, quẽadmodum in specie uiperina est experientia cõprobatũ. In alijs autẽ serpentũ generibus neutrũ puto satis haberi exploratũ, neq; utrum fœminæ plures habeãt dentes quàm mares, neq; utrum sint minus suo ueneno exitiales: nam de ueneno, ut antea diximus, sententiæ medicorũ ambigunt. De numero autẽ dentium uidetur Aristoteles dubitare, qui II De historia animaliũ libro, de dentibus in uarijs animalibus » agens scribit hæc uerba: Planos ab acutis disterminãt, qui » canini appellant, ferme utrorũq; participes sunt, quippe qui » infra latiusculi supra acutiusculi sint. Maribus dentes plures, » q̃ fœminis, ut in genere hominũ, ouiũ, suũ, caprarũ patet. In

cæteris

cæteris nullũ exploratũ est, quibus plures. Exqbus Aristote lis uerbis illud etiã liquere arbitror, quod initio operis cõtra Auicennã diximus, aliud esse de dentibus loqui simpliciter, aliud de hijs qui canini appellãtur. Nam canínos quidẽ den tes plures esse in uipera fœmina quàm in masculo Nicãder, Galenus, & Paulus Aeginita testant. De reliquis autẽ ser pentibus nihil determinant, sicuti in omnibus animalibus Aristoteles sub dubio relinqt, præterqꝫ in homine, sue, oue & capra. Ad maiorem autem & nostri, & interpretis Se rapionis, atqꝫ Auicennæ excusationem, pro uipera tirum, quasi therium dicere uoluerit, nõ raro interpretãtis, iam su peresse uidetur, ut etiam apud Aristotelem nomine generis, licet aliquanto proximioris, ἔφιος scilicet, id est serpentis ui peram aliquando intelligi demonstremus. Hæc sunt huius
» philosophi libro De historia animalium secũdo uerba: Nũc
» interiorum ordinem persequemur, & primum in eo genere
» quod sanguine constat, hæc enim ratione summa genera à
» cæteris differũt, quod hæc sanguinea sunt, illa exanguia. San
» guine prædita sunt homo & quadrupedes, quæ animal, o
» uumúe pariunt, atqꝫ etiam aues, pisces, cete, & si quid aliud
» uacans nomine, quoniam genus nõ sit, sed species simplex
» in singulis intelligatur, ut serpens, ut crocodilus. Habet au tem hic locus in græco codice maiorem difficultatẽ, in quo postrema uerba ita scribuntur:
hoc est, Sed simplex sit species, ut serpens, ut crocodilus. Ne quis forte arbitretur Aristotelẽ dicere serpentem, uel croco dilum non esse simplicem speciem, sed simplicem speciem tantum intelligi. Quare remanet integra dubitatio, quomo do uterqꝫ sit simplex species, cum tamen in alias species di uidantur. Hanc autem dubitationem Albertus, Aristotelis paraphastes, licet sit forte prolixior quàm ut nomen para phrastis mereatur, super horum uerborũ cõtextu, quæ pau

loante

lo ante citauimus dissimulauit. Alteram tamen de serpente uidet alibi uoluisse soluere, libro scilicet primo, capite VIII De diuersitate animalium, quæ sunt penes communia gene
» ra ipsorum, ubi ita scribit: Animaliũ autem genera præter
» hæc non magna genera dicuntur, quia species multas non
» continent, sed quædam ex eis simplicia sunt, quæ formalem
» in se non recipiũt diuisionem, & hæc sunt species ultimæ, si
» cuti homo. Quædam autem per formales differentias diuer
» sos modos, sed non habent propria nomina specierum, quæ
» nota sint nobis. Dehinc paucos post uersus illa uerba sub
» iungit: Adhuc autem genus serpẽtum est unum de gene
» ribus simplicibus animalium, non ideo quod non diuida
» tur in species, sed quia nomina specierum subalternarũ non
» sunt nobis nota, tirus tamen & uipera nota sunt nobis. In
» hijs quidem uerbis Albertus innuit serpentem esse simplex genus, sicuti homo, alia tamen ratione, non quia scilicet nõ diuidatur in species, sed quia illæ, in quas diuiditur, uacant nomine, præter tirum & uiperam. Talia autem dicere nescio cui minus quàm Alberto conueniat, qui præter tirum ac uí peram libro XXV, ubi de serpẽtibus agit, tot species serpen tum nominat subalternas, sicuti aspidem, cerasten, situlam, & si quas alias frustra multiplicauit. Sed neqꝫ propterea ali quid dicitur simplex genus, quia speciebus eius subalternis sua desint nomina, imò secundum Aristotelem libro primo De historia animalium, capite illo unde hanc diuisionẽ sim plicis generis uidetur Albertus accepisse, contrarium potius apparet. Nam tale genus quod diuidi quidem potest in spe cies, sed nullis nominibus distinctas, simplici opponitur ge neri, ut simplex genus ibidem accipit Aristoteles pro simpli ci scilicet specie, hoc est specialissima, quæ in alias species diui dit̃, ut homo. Hæc enim sunt Aristotelis, loco ex quo dixí mus Albertũ suam generis simplicis sumpsisse diuisionem,

P uerba:

» uerba: Reliquorum animantium genera nulla præterea am
» pla intelliguntur. Vnum enim quod plura contineat, nul
» lum est, sed aut simplex est, nullis ipsum specificis euarians
» discriminibus, ut homo: aut diuidi quidē potest in species,
» sed nullis nominibus distinctas. Adhuc si carentia nominū
in speciebus faceret generis simplicitatem, tunc hæc non na
tura, sed nostro potius arbitrio consisteret: cum nomina im
ponātur ad placitum, ut uult Aristoteles suo De interpreta
tione libro. Aristoteles etiam serpentem nō ait esse simplex
genus, sed simplicem speciem. Quare nisi per serpentē, aut
uiperam, aut aliquam alteram speciē specialissimā intelliga
mus, dubitatio proposita erit insolubilis. Quod uero ἔχις,
id est serpentis nomine apud græcos per quādam exochen
uipera intelligatur, possem multis exemplis apud Nican
Andromachi Elegi. drum, Oppianum, atq; Andromachum in elegis, quos Ne
roni Imperatori de theriaca nuncupauit, ostendere, nisi ue
rerer de rebus tum ad philosophum, tum ad medicinam præ
cipue attinentibus scribens, uideri non adeo medicos, quan
tum poëtas allegare, quoniam autores antedicti non solu
ta, sed numeris astricta oratione scripserunt. Quare unum
tantum ex Paulo medico nobilissimo exemplum sat erit in
medium adducere, quod medicis non erit inutile, quoniam
uel hoc uno exemplo commonebuntur, quot passim sint in
Auicennæ libris errores. Docet Paulus componere medica
men ad strumas, quas uulgo scrofulas appellamus, in hunc
» modum: Serpentem mortuum in ollam cōiicito illitam gy
» pso, & da ad comburendum in fornace, ac serpētis cinerem
» misce æquali portione cū fœno græco, mox cum melle con
» fice. & utere. Hoc idem medicamentum, ut inspicere licet,
ex Paulo acceptū, sed aliqua in parte, ut solet, deprauatum,
» ita Auicenna notauit: Sumatur serpēs mortuus, & proiicia
» tur in uas lutuatum luto sapientiæ, & dimittatur in furno de
lateribus

» lateribus, deinde conficiatur cum æquali quantitate sui ace
» ti permixti cum melle secundum medietatem. Hæc quidem
Auicenna, qui pro gypso male lutū sapientiæ posuit, quod *Lutum sapientiæ.*
nō est gypsum, ut constat ex Dini in hæc uerba expositiōe,
Quam tamen Dini expositionem nos non improbamus,
sed alteram potius, in qua scribit serpentes in communi ex
autorum, quos tamen nō allegat, opinione habere proprie
tatem, ut nō permittant augeri scrofulas. Ego autem puto
per serpentem apud Paulum, & Auicennam etiam, qui idē
medicamentum accepit à Paulo, debere intelligi nō quam
cunq; serpentem, sed uiperam magis, quæ, ut testatur Dio
scorides, strumas, seu scrofulas augeri prohibet. Verū quan
tum ad hoc attinet, error Dini expositoris prorius potest
existimari. Alter uero est ipsius Auicennæ, qui dicit serpen
tem in furno assatam debere pmisceri cū æqualitate sui ace
ti: cum tamen apud Paulum nō fiat de aceto mentio, sed ci
nere potius, qui ex serpentis assatione in fornace relinqui
tur: qui etiam cinis secundum ipsum debet non cum aceto,
sed cum fœno græco æquali portione misceri, & demum cū
melle confici. Quare cum nesciret Dinus Auicennæ expo
sitor diuinare quod nam esset serpentis acetum, hūc scrupu
lum intactum de industria prætermisit. Clarius tamē de hoc
aceto serpētis Auicenna secūdo Canonis capite De serpen
» te locutus est, ubi ita scribit: Cum cutis eius, scilicet serpen
» tis, de serpēte enim loquitur, in uino coquitur & distillatur
» in aurem, sedat dolorē eius, & colluitur os ex aceto, in quo
» cutis eius decoquitur, ad dolorē dentis. Verum quia medica
mentū est Pauli nō acetum, sed cinerem potius accipi præci
pientis, rectius puto idē medicamentū ex cinere & melle cū
fœno græco, ut diximus, cōfici, quādo & apud Auicēnā ser
pēs mortuus nō in aceto decoquit, sed in furno de lateribus,
ut ex uerbis eius apparuit, quæ potius serpentis assationē, cū

acetum, uel aliud aliquid nobis insinuant. Quem autẽ dixi propriũ esse Dini Auicennæ expositoris errorem, forte poteramus ipsi Auicennæ in primis ascribere. Ipse enim est, qui II Canonis, capite De serpente, eam de qua diximus uiperæ carnis ad prohibendum augeri scrofulas facultatem, non uiperæ serpenti speciali, sed potius serpentibus in cõmuni uidetur assignare: Quanquã non unam tantũ uiperæ proprietatem, sed plures alias eodem capite serpenti simpliciter Auicenna ascribat, ut cũ statim ab initio scribit, quod ex serpente coctum cum aqua, sale, & aceto administratur, & additur ei quandoq; oleum, & administratur eius sal, qui est in uirtute carnis. Hæc autẽ Dioscorides, Galenus, & Paulus, & Plinius apud nos non de omni serpentis specie, sed tantũ de uipera tradiderunt, ex cuius carne salem, quẽ diximus à Græcis theriacum, à Latinis autẽ uiperinum nominatũ, confici docuerunt, habentẽ æqualem, ut inquit Auicenna, cum uiperina carne potestatem. Sal autẽ huiuscemodi, sicuti & trocisci theriaci, ex uipera tantũ fit. Quare nõ recte Auicenna quod unius est serpẽtis speciei peculiare, id omnibus tribuit: nam quod de serpente in uniuersum, & non de aliqua eius specie statim ab initio loquatur, eiusdem Auicennæ indicãt uerba, quæ sequuntur ita se habentia: Nos uero serpentũ species libro IIII dicemus: Quasi hactenus fuerit de serpẽte in communi locutus, & carne eorũ quantũ ad usum medicinæ pertinet: Libro autẽ postmodum quarto singulas eorũ species sit distincturus. Demũ omnia uerba, quæ deinceps hoc capite de serpẽtis carne subiungit, ut quod exiccatio eius est fortis, sed calefactio nõ uehemens, & omnes deniq; effectus ac proprietates, quæ sub eodem uerborũ contextu de serpente cõmuniter accepto ab Auicenna referũtur, sunt quæ à Dioscoride, Galeno, Paulo, & Plinio pariter solũ de uipera commemorãtur. Circa tamen finẽ eiusdem capitis Galenũ Auicenna

cenna citat, non de serpente simpliciter, sed de uipera ita scribentem: Quod quando accipiuntur fila plurima, & proprie tincta ex sanguine muricis, & strangulatur eis uipera, & inuoluitur unũ eorũ in circuitu colli habentis apostemata uuæ & gutturis, apparet ex eo iuuamentũ maximũ & mirabile. Ex qua quidem citatione merito quispiam possit suspicari Auicennã in hoc II Canonis capite, sicuti in IIII & V libro, uiperam non pro specie simplici, sed pro genere potius ad multos serpentes cõmuni posuisse, cum tam de serpente, quàm etiam de uipera indiscrete loquatur. Vnde nõ paruus fiet in artis operibus error, si medici ducti Auicennæ autoritate æque cuiuslibet serpẽtis alterius, sicuti uiperæ carne tum ad scrophulas, tum & alias etiã utantur ægritudines. Quãdo uel Dinum tam celebris nominis medicũ lapsum hoc errore deprehendimus in ea, quam supra notauimus uerborũ Auicennæ expositione. Et hæc quidẽ de erroribus tum Auicennæ, tum Dini eius expositoris circa medicamenta sint obiter à nobis explanata, nullam uolentibus, ut sumus circa operis initia præfati, iuuandæ uitæ prætermittere occasionẽ. Nullus autẽ est error apud Auicennã, qui propter magnam uiri hac ætate autoritatem non sit hominũ saluti periculosus. Tunc uero etiã periculosior, cum de medicinis agitur quæ ex serpentibus assumantur, possunt non sine periculo iudicari, nedum ubi cõtingit circa ipsas delinquere: Quod si uolumus illum, cui seculum nostrũ dedit in medicina principatũ, à tanto errore defendere, dicere oportet & ipsum capite II Canonis antedicto per nomen serpentis uiperam specialem serpentem intellexisse. Sed hoc est quod dudum probare intendebamus, uiperam apud medicos, sicuti apud philosophos, nomine generis aliquãdo significari. At neq; alter apud Aristotelẽ scrupulus est silentio prætereundus, quomodo uidelicet crocodilus sit simplex species, in quo Albertus Aristo

Periculosi errores Auicennæ.

teli manifeſte contradixit: nam licet proprio in loco dubitationem, quæ ſuper hoc animali etiam oriri poterat, ut antea diximus, Albertus diſſimulauerit, paulo tamen poſt ſecũdo itidem De hiſtoria animalium libro, ubi Ariſtoteles de duobus loquit crocodilis in hac natura cõmunicantibus, quod unum ſimplicem habẽt uentrem, aut canino, aut ſuillo ſimilem, oblitus, ut uidetur, priorum uerborũ Ariſtotelis, quibus crocodilum eſſe ſimplicẽ ſpeciem pronuntiauerat, cum poſtea uideret eundem Ariſtotelẽ loco quo diximus utrunque crocodilum nominare, putauit ipſum per utrunq; crocodilum duas crocodili ſpecies intelligere: Quarũ altera uocatur Arabice tencea, altera hardum: genus autẽ ipſum teſarach. Neſcio autẽ quomodo tencea poſſit eſſe ſpecies crocodili, cum id illi deſit, quod maxime ſpecificat: crocodilũ ſcilicet mouere mandibulã inferiorẽ, ut de tencea libro XXIIII etiã Albertus teſtificat, & nos poſtea autoritate Ariſtotelis ſumus demõſtraturi, q̃ hanc mouendi mandibulã inferiorẽ proprietatẽ uni tantũ inter omnia animalia tribuit ſpeciei, quæ crocodilus ſimpliciter, uel crocodilus fluuiatilis nominatur. Ego itaq; exiſtimo Ariſtotelẽ, niſi uelimus ipſum ſibi ipſi in eodem libro repugnare, per utrunq; crocodilum loco quo diximus, intelligere fluuiatilem atq; terreſtrẽ, qui licet in uentre conueniant, ſuillo aut canino ſimili, in multis tamen alijs naturæ proprietatibus, ſed præcipue magnitudine diſcrepant. Et quod maxime naturã crocodilinam, ut diximus pauloante, ſpecificat, mouere ſcilicet mandibulam inferiorem, hoc ſoli ineſt fluuiatili crocodilo autore Ariſtotele primo De hiſtoria animalium libro, & Plinio quoq; libro VIII De naturali hiſtoria: ubi unam tantũ nominat ſpeciem crocodili, cui hanc tribuit mouendi mandibulam inferiorẽ proprietatem. Licet poſtea libro XX, ubi uult diſtinguere medicinas, quæ partim habẽtur ex crocodilo fluuiatili, partim ex

tim ex terreſtri, duo dicat eſſe genera crocodilorũ, alterum aquatile, alterũ terreſtre. In quo eatenus eſt Plinius audiendus, quatenus uelit utrunq; eſſe proprij generis crocodilũ, & nõ ſub uno & eodem genere proximo, quod crocodilus nominetur, duas ſpecies, alteram terreſtrem, alterã fluuiatilem contineri: nam ſicuti equus fluuiatilis æquiuoce equus nominat̃: & canis marinus non eſt uerus canis, ſed per quandam ſimilitudinem canis appellatur, ita & crocodilus terreſtris dicitur crocodilus. Quanquã neq; ille canis ſimpliciter, neq; hic crocodilus ſimplicer nuncupentur, ſed hoc totum marinus canis et terreſtris crocodilus, ſicuti ſcincus propter eandem quã continet crocodili fluuiatilis ſimilationem ſolum crocodilus terreſtris nominat̃: Et eſt, ut inquit Dioſcorides, proprij generis crocodilus. Plinius quoq; eundẽ ſcincum libro XXVIII, dici à quibuſdam terreſtrem crocodilũ teſtificatur. Quem tamen ipſe libro VIII non crocodilum eſſe dixit, ſed tantũ ſimilem crocodilo. Quocirca Galenus libro XI De ſimplici medicina, ubi de ſtercore crocodili
» terreſtris uerba facit, in hunc modum exorſus eſt: Terre-
» ſtrium autem crocodilorũ horum paruorumq; & humi re-
» pentiũ ſtercus, & reliqua. Quaſi ex hoc modo loquendi nobis uoluerit Galenus ſignificare crocodilos terreſtres non eſſe ueros crocodilos, ſed tantũ paruos & humi repentes crocodilos, ſicuti Pygmæi non ſunt homines proprie, ſed tantũ hominibus figura ſimiles: In reliquis autem, ut etiam uult Albertus, brutis animalibus adnumerandi. Plinius etiam libro quo diximus XXVIII, dicit terreſtrem crocodilum eſſe quidem fluuiatili ſimilem, multum tamen infra magnitudinem eius. Et eadem ſcribit de excrementis crocodili terreſtris, quæ etiam Galenus de ſtercore paruorum & humi repentium crocodilorum, quod uidelicet morbos omnes tollit quorum natura ſerpit in facie, nitoremq; reddit, lentiginesq; *Pygmæi.*

ginesq; tollit, ac uaros, omnesq; maculas. Est tamen hic locus apud Plinium, quantumuis tot passum ferulas, depraua tus, quem si ego data ex Galeni uerbis occasione castigaue ro, neq; multum abscedam à proposito, ostendēs Galenum & Plinīū eadem de crocodili terrestris natura scribentes, & simul ob hoc fortassis literatis quibusdā Plinij studiosis gra tificabor. Verba quidem Plinij in hijs qui habētur impressi codicibus ita de crocodilo terrestri scripta inueniūtur, & ita
» à Sipontino in Cornucopijs allegātur: Alter scilicet crocodi
» lus terrestris, illi fluuiatili similis, multū infra magnitudinē,
» in terra tantum odoratissimisq; floribus uiuit, ob id intesti
» na eius diligenter exquiruntur, iucundo nidore referta, cro
» codileam uocant, oculorum uitijs utilissimā, cum porri suc
» co inunctam, & cōtra suffusiones, uel caligines. Illita quoq;
» ex oleo cyprino molestias in facie nascentes tollit, ex aqua
» uero morbos omnes, quorum natura serpit in facie. Nito
» remq; reddit, lentigines tollit, ac uaros, omnesq; maculas.

Restituitur Plinij locus.

Ego autem non intestina, sed excrementa legendum puto, & cōsequenter reliqua quæ sequuntur, crocodileam uideli cet utilissimam quemadmodum latinitas exigit. Neq; enim sunt intestina, quæ propter uires à Plinio numeratas expe tuntur, sed excrementa magis, quibus etiam Galenus dicit delitias mulierum fecisse pretium, quoniam ipsis non suffe cere tot alia ad illustrandam ac poliendam faciem medica menta, nisi etiam ad eundem effectum animalium stercori bus uterentur. Quod si quis omnino codicem ad literam ue lit tueri, & intestina legere, nō excrementa, tunc nihilomi nus fateri oportebit eadem intestina non propter se exquiri, sed propter excrementa, quæ in ipsis continentur, & per ni dorem rem ipsam odoratam intelligere fiet necessariū, quā postea subiūgit Plinius crocodileam uocari. Neq; uero ad modum est admirādum stercus eius animalis esse odoratū, quod

Excrementa crocodili.

quod odoratissimis floribus uiuit: Ita enim natura fert, ut ex crementa eius odorem sapiant cuius sunt excrementa. Hæc autem de crocodilis sint ex superabundanti huic operi à no bis inserta, probare uolentibus contra Albertum crocodilū non esse genus, ut ipse existimat, sed simplicē speciem, quē admodum Aristoteles sentit: quæ tamen probatio non fuit extra totum operis institutum, in quo non solum de dipsa de, sed pluribus alijs serpētibus tractare intendebamus, cū q bus crocodilus sicuti canis rabid⁹ morsu uenenato cōuenit, ut medici testant̄, qui de eo inter alia animalia suo ueneno homini noxia meminere. Licet Arist. libro VII De historia animaliū cōtrarium uideatur sentire, id uirus homini tantū non obesse, cæteris animalibus exitiale. Sic enim libro alle gato Theodoro interprete scribit: Canes tribus laborāt mor
» bis, rabie, angina, podagra: facit rabies furorem, & quæ mo
» morderint omnia rabiunt, excepto homine. Hic autem lo cus magnas contentiones inter me & quosdam grammati cos & medicos illis fauētes excitauit. Siquidem ego primus fui, qui locum hunc apud Aristotelem esse mendosum, & omnino castigandum iudicaui, parua tamen litura, una tan tum aut altera litera commutata, πρὶν scilicet legendo pro πλὴν: ita ut prius homine, nō excepto homine fuerit interpre tandum. Siquidē hominem morsum à cane rabido nullate nus rabire est in propatulo falsum. Tardius autem quàm re liqua animalia eodem morsu tacta in rabiem incidere, lon ga dissertatione cōtra antea dictos grammaticos medicosq; probaui, amplissimo in ecclesia Romana Cardinali Alexan dro Pharnesi nuncupata. Quamuis autem hæc græci codi cis castigatio à me primum excogitata, plurimā habeat pro babilitatem, quoniam ei non minus ratio quàm experientia consentit, non tamen ita illi confido, ut pro firma sententia habendum iudicem, quin ea primum publicata omnes lite

Emendatur locus Aristotelis.

ratos & egregie eruditos admonui, si quid melius possent cogitare, quo fidem græci codicis, & Theodori translatio- nem tuerentur, se non minus mihi quàm Theodori mani- bus placituros. Ego quoq; ut hoc ipsum agerem, ut Græ- cam scripturam scilicet & Theodori translationem retine- rem, sæpius laboraui, & uarios modos, quibus id fieri pos- set, excogitaui. Vnus autem inter cæteros probabilior occur rebat, si talem sensum uerbis Aristotelis siue græcis, siue la- tinis accommodaremus. Non ideo hominem excipi, quia nullus homo rabiat, sed quia non omnis, quasi species hu- mana habeat hanc præ cæteris prærogatiuam, quod aliqui in ea sint tali natura prædíti, ut etiam à cane rabido morsi non tamen rabiant, quod nulli alij animantium generi na- tura concessit. Omnia enim, si Aristoteli credimus, quæ- cunq; canis rabiosus momorderit, rabiũt, præter hominem. Quosdam autem homines esse, qui morsi à cane rabioso nõ rabiunt, indicio sunt Psylli in Libya, Marsi in Italia, qui ita canis rabidi, sicuti serpentum uenenũ non sentiunt. Et quod magis mirere, hanc eandem securitatem quodam cantami- ne, quod zurmare uocant, se alijs hominibus largiri posse promittũt. Ex Rufi etiam scriptis, ac Possidonij habetur hi- storia, quendam philosophum morsum à cane rabido tam constanti fuisse animo, ac stabili sapientia, ut suam in hoc firmauerit opinionem, nullum posse esse cani cum balneo commertium. Quamuis in eo sibi repræsentaretur, sicuti & alijs, qui ex eodem morsu aquarum formidine capiun- tur, putantes se in illis uidere canem, atque ita philosophũ ea mentis perseuerantia fuisse seruatum. Sed quid uetat eti am alios homines, siue philosophos, siue non philosophos, simili tamen ratiocinio posse saluari? Quæ ratiocinandi fa- cultas cum omnino brutis desit, nil mirum si bruta omnia, quæ canis rabidus momorderit, rabiunt, & ex rabie inte-

Cani cum bal- neo nullũ cõ- mercium.

reunt,

reunt, ut inquit Aristoteles. Homo autem qui suæ mentis compos est, aliquando nõ sine magno tamen periculo eua dit. Talem sensum uerbis Aristotelis, de cuius opinione disputamus, debere tribui suadet etiam Iulius Pollux sui libri, quod Onomasticum inscribitur, uolumine v, ubi ui detur hunc locum Aristotelis De canum morbis uoluisse interpretari, uel ut melius græce dixerim, παραφράζειν. Sic
» enim scribit: Morbi canum tres sunt, rabies, podagra, angi-
» na: rabies cum difficultate sanatur: podagra omnino insana
» bilis est: angina agit ad mortem. Quæcunq; autem canis ra-
» biosus momorderit, interimit. Solus homo nõ sine periculo
» euadit. Hæc Iulius Pollux. Cuius uerba si uolumus cũ hijs quæ scribit Aristoteles De canibus cõuenire, talẽ habẽt in- tellectũ, ex omni genere animaliũ solã esse humanã speciẽ, in qua nonnulli aliquãdo morsi à cane rabido neq; rabiant, neq; ex rabie intereãt. Aliud autẽ quodcũq; animal ex eodẽ morsu rabie interire, cuius rei causa esse potest maior inter hominem & brutũ, quàm inter brutum & brutum naturæ dissidentia. Cui rationi etiam prior nostra codicis castigatio nitebatur, in qua nõ, præter, dictionẽ exceptiuam, sed, prius, aduerbiũ temporis legendũ censebamus. Modus ante pau- lo ante tactus, nihil de græca scriptura mutat, & Theodori seruat translationem. Verũ neq; hic caret omnino lite ac con trouersia. Quis enim ausit affirmare, non reperiri aliquod aliud ab homine animal, quod propter suæ temperaturæ re- pugnantiam æque atq; homo rabiem caninam quãdoq; nõ sentiat, quantumuis morsum canis rabiosi perpessum? Ni- colus sanè Florentinus, grauissimæ autoritatis medicus, te- statur de quodam cane rabioso, qui iuuenẽ à se morsum per duxit ad rabiem, & tandem ad mortem. Anserem tamen cui cutẽ canis idem cũ magno profluuio sanguinis dentibus di- laniauerat, nullo alio malo præterquam uulnere affecit. Iam

legentes æstiment, quot habeat hic locus apud Aristotelem difficultates, quas non animaduertentes quidam amici nostri, uisi sunt sibi ipsis magnũ de nobis triumphum retulisse, nostra improbata, ut ipsi putarũt, castigatione, & noua excogitata ratione, non ex Aristotelica sumpta disciplina, ut profitebantur, sed ex grammatica, quoniam aliunde nõ poterant, frustra conquisita. Atqui nostra prima castigatio codicis omnia illa euitat incõmoda, in quæ uerba Aristotelis, si ita scripsit, ut in omnibus fere græcis codicibus scripta inueniuntur, incurrunt. Neq; enim est necessariũ secundum ipsam omnia bruta nullo excepto rabire, quæ canis rabiosus momorderit, sed si rabierint, prius hominem rabire propter causam superius adductam, propter quã etiam facilius contagium patiuntur, & pereunt. Sed de hijs satis, ut dixi, longo opere, amplissimo eidemq; doctissimo sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinali Alexandro Pharnesi pridẽ dedicato disseruimus. Iam tempus adest, ut huic nouo operi finem imponamus, ne si ulterius progrediatur, uerũ dipsadis titulum habuisse uideatur, ut quod non minorem nimia prolixitate sitim lecturis, quàm suo ueneno tactis serpens sit allaturum. Vnum tantum uidetur supereſſe, ut si tibi libuerit Lucretia Borgia, rerũ in naturæ contemplatione mirabilium diligens perscrutatrix, pictura dipsadem repræsentari, eius imaginem tuæ amplitudini breuibus circunscribamus. Dipsas est serpens uipera nostra minor. Quidam tamen cubitalem esse tradunt, angustiore quàm uiperæ capite: cauda extenuata, in partibus postremis lurida. Reliquum corpus maculis ruffescentibus uariata. Serpentis huius uis atque natura satis ex supradictis innotuit.

FINIS.

NICOLAI

seu uipera, ad præstantem medicum Alexandrum Agathimerum Venetum epistola.

IErandus nostra ætate chirurgus insignis, cum nuper Venetijs Ferrariam redijsset, mihi plurimam tuo nomine salutem est impartitus, multaq; mihi de te, ut de amico & compatre charissimo, atque olim discipulo dilectissimo curiosius percunctanti, ea retulit, quæ mihi ingentem uoluptatẽ attulerunt: te scilicet medicinæ artem cum summa laude in patria exercere, atq; od id maxime probari, quod in eiusdem artis operibus non uulgares iuniorum medicorum opiniones, sed probatissimos quosq; ex antiquis, sicuti Hippocratem & Galenum præcipue sequaris, ac contra aliter sentientes eorundem sectas autorum, placitaq; constantissime tuearis. Nouissime autẽ orta inter medicos Venetos, uiros sanè excellẽtes de theriaces compositione dubitatione, te unum fuisse idem mihi Ferandus asseruit, qui uulgatam de tiro serpente ex Syria aduecto opinionem fortiter oppugnaris, & pro tiro serpente peregrino uiperam siue marassum Italiæ familiarem debere recipi acerrima disputatione contenderis. Addiditq; te sæpius optasse me eidem disputationi affuisse. Sed quoniam illud non contigit, me insuper tuo nomine rogitauit, ut quas super ea opinione, quam me sæpius Ferrariæ probantem audiuisti, quamq; tu ueriſſimam iudicas, habeo rationes, in libro etiam De erroribus Plinij, atq; aliorũ medicorũ à me breuiter atq; succincte perstrictas tibi pleniori oratione exararem, & fortius etiã quàm ibi fecerim meam super eadem re sententiam confirmarem. Faciam equidem quod petis lubens, quamuis sciam opus esse arduum, atque

difficile. Cum id ſcripturus ſim, quod ſummæ autoritatis in medicina uiris, & multorũ quoq; opinioni non parum aduerſari uideatur. Sed neq; uereri debemus contra illos ueritatem defendere, qui in ſuis libris ita pronuntiarunt: Quicunq; alteri contradicit, ſi pro uero tuendo id faciat, omnis culpæ immunem haberi oportere. Neq; etiam rude uulgus tanti eſt faciendum, ut quod ſit uitæ ſummopere neceſſariũ, quoniam ſit illi minus plauſibile propterea reticeamus: cum præſertim nõ trutinæ populari, ſed doctorum iudicio noſtra ſubijciamus. Tirum ſerpentem eſſe à uipera diuerſum Auicenna Arabs v ſui libri De medicina uolumine uidetur exiſtimaſſe. Siquidem in uarijs theriaces deſcriptionibus aliquando trociſcos tiri, aliquando trociſcos ex uiperis recipi præcepit, ut plures magni in medicina nominis medici iuniores, Auicennæ, ut arbitror, autoritatem ſecuti, alios eſſe trociſcos ex uiperis, alios ex tiro crediderint. Gentilis quoque eiuſdem Auicennæ expoſitor, uiperam apud hunc autorem non tirum, nõ unam aliquam ſpecialem ſerpentis naturam, ſed pluribus generibus ſeu ſpeciebus cõmunem interpretatur. Hæc enim ſunt Gentilis ſuper Auicennæ librum, quem
» diximus uerba, ut apparet: Vipera ſumitur pro cõmunibus
» ſerpentibus, non pro illis, quæ caput maſculi in ſpecie ſua
» præſcindunt, quando coit cum ea, unde filij facientes patris
» uindictam eas ſcindunt. Nicolus quoq; Florentinus ſermo-
Nicolus Florentinus. ne IIII, capite XVIII, De ſpeciebus ſerpentum, & tiro, ac uipera ſcribens, modo unum, modo aliud ait, ut qui nõ adeo ex ſua quantũ aliorũ autorum, quorũ ſcripta colligit, opinione loquatur: nam aliquando uiperã ſpeciem ſerpentiũ cornutorum, ut eius uerbis utar, qui in Aegypto naſcuntur inſinuat, & allegat Auicennã dicentem, quod dracones interficiẽtes ſunt huius generis. Non multo poſt ex autoritate Ariſtotelis ſerpẽtes ouantes intra ſe tenentes oua tiros nominat:

Qui

Qui quidem tiri, ut nos eiuſdem Ariſtotelis teſtimonio ſumus probaturi, uiperæ ſunt, quæ non ſolum in Aegypto, ſed in noſtro quoq; ſolo magno numero reperiuntur. Subiungit idem Nicolus eſſe tertij ordinis ſerpentes graciles, oblongos, uiperas nominatos, & eſſe illos, qui proprie inueniuntur apud nos, quorũ aliqui ſunt minoris malitiæ, aliqui maioris, adeo ut ſint proximi ſurdis, & inter aſpides nominan-
» tur. Idem autor alio loco eiuſdem capitis ita ſcribit: De ui-
» peris etiam malis reperiuntur apud nos, & ex iſtis ſunt quæ-
» dam curtæ & groſſæ, dictæ noſtro idiomate ſcorzon. Ex qui
bus uerbis apparet ipſum quoq; ſub nomine uiperarũ plura ſerpentium genera comprehendiſſe, adeo ut aſpides uiperas nominauerit: nam Galenum quoq; in libro De theriaca ad
» Cæſarem ita ſcribentem allegat: dictum eſt de regina Aegy-
» pti, quæ interfecit ſeipſam impoſitione manus ſuper tirum,
» quæ ipſa hora appoſitionis mortua eſt. Sed talem effectum Galenus in libro De theriaca ad Piſonem, nõ de tiro uel uipera, ſed de aſpide altero ſerpentis genere teſtificatur: Malæ autem translationes, ut unicuiq; inſpicere licet, magnis etiã medicinæ autoribus dedere aberrandi occaſionẽ: nam Bartholomæus Montagnana, medicus ſuo temprore illuſtris, ſimili, ut arbitror, occaſione in eundem lapſus eſt errorem. In quodam enim conſilio Galenum allegat libro XI De ſimplici medicina, tirum echidnam nominantem, & hoc quidẽ recte, nam per echidnam Galenus tirum ſeu uiperã, ut nos etiam mox declaraturi ſumus, intellexit. Quæ uero poſtea ſubiungit partim uera ſunt, partim falſa: omnino autem ſi allegationẽ conſideramus, quod bona tanti uiri uenia dicere
» liceat, falſa. Ita enim idem Montagnana ſcribit: & cum bene Montagnanæ
» examinabis, eius ſcilicet Galeni ſermones, uidebis quod eſt error.
» ſpecies tiri, quẽ ibidem Galenus maraſſum uocat, et in rei ue-
» ritate eſt ſpecies aſpidis. In hijs uerbis duo ſunt errata: Primũ

quod

quod dicit Galenum libro antea allegato uocare echidnam uel tirum, alio nomine maraſſum nominari. Nam Galenus maraſſos, ſiue matraſſos ſerpentes ullos non nominauit, ſed quoſdam homines tantum Marſos appellatos, qui Romæ echidnas, ſeu uiperas uenabantur, nonnulla ſe inquit interrogaſſe de uiperis, quas nō alio nomine quàm echidnas inibi uocat. Nunc mihi ſubit in mentem ridere cuiuſdam literatoris ingenium, qui mihi ſimilem errorē per calumniam obiectauit, quod nō alia ductus fuerim coniectura, ut uiperas eſſe ſerpētes uulgo maraſſos nuncupatos exiſtimarem, niſi quia Galenus XI De ſimplici medicina libro ſimul de uiperis, ac Marſis illas uenantibus facit mētionem, & quod ille tribuit populis nomen, ego ueluti de maraſſis ſerpentibus dictū ruditer accepiſſem. Quaſi nos iſta gentilia nomina in ſchola puerorum ſedentes non didicerimus, ne ſi in cunis uagientes dixerimus, forte nimium arrogātes uideamur: Alterum eſt Montagnanæ erratum, quod echidnam quæ uipera eſt, ſiue tirus, ut ipſe quoq; fatetur, ex aſpidum genere facit, cum tamen Galenus in libro De theriaca ad Piſonem echidnas, ſeu uiperas ab aſpidibus manifeſte ſecernat. Vbi cauſam quærit ob quam uiperæ aliis ſerpentibus, ueluti baſiliſco, atq; aſpidum generibus, in theriaces compoſitiōe præferantur. Quo etiam in loco rationem affert, cur neq; ipſæ uiperæ totæ ad uſum medicinæ adhibeantur, ſed abſciſſo maxime capite, quoniam hoc ſit in uipera præcipue pernicioſum, quoniam ut perhibent, coit, & maris caput Veneris dulcedine allecti hauſto ſemine abrodit. Quæ quidem Galeni uerba etiam illud oſtendūt, falſò exiſtimaſſe Gentilem nō huius naturæ uiperas, ſed quaſdam alias communes ſerpentes in antidoto theriaca nominata commiſceri. Quidam uero recentiores, quorū unus Lumen apothecariorum: alter Luminare maius ſuos ſuper huiuſmodi rebus tractatus inſcripſerunt,

pſerunt, hanc de tiro & uipera dubitationem non modo nō illuſtrarunt, ſed cimmeriis potius quibuſdā tenebris inuoluerunt, adeo ut ex eorum uerbis, quid tirus ſit aut uipera, nihil poſſimus habere exploratū, ſicuti neq; ex Simone Genuenſi, neq; autore pandectarum, quorum tamen profeſſionis intererat iſta potius tanti ad uitam momēti quàm multa alia curæ minutioris explanari. Nā Simon Genuenſis nihil, quod ſciam, de tiro uel uipera, Pandectarius autem hoc unum docuit, tirum eſſe ſerpentis ſpeciē. Autor quoq; Luminaris maioris, qui tam grandis tituli promiſſione debuit plus medicorū mentes illuminare, uiſus eſt magis calumniaſſe. Nam poſt multa de tiro ac uipera ex diuerſis autoribus in medium adducta, tandem ipſe ſubiecit, tiri ſerpentis tres eſſe ſpecies, quarum una uulgari nomine dicitur uipera, alia tirus, alia hydra: in noſtris partibus raro boni reperiuntur. Imò hodie reperitur ſerpens dictus ſcurcio, qui pro tiro habetur. Sed credo hodie ſunt ex hominibus qui faciunt theriacam abſq; tiro. Verum tempore, quo dicti tiri non inueniebātur, collegium medicorum Venetorū ordinauit unā deſcriptionem trociſcorum, qui poſſunt poni in tiriaca loco trociſcorū de tiro. Hæc ille uir alioquin ſimplicium medicamentorum, quæ ſunt frequenter in uſu, bonus expoſitor, in hoc uero haudquaquam probandus, quod & ſibi ipſi, & collegio medicorū Venetorum tam conſummatæ doctrinæ hominum, ut nihil eos unquam latuiſſe ſit ſuſpicādum, tam fecerit tirorum penuriam, quorum magna eſt in Italia abundantia, atq; utinam non eſſet. Nam & ſi aliquis ſit huius ſerpentis in medicina uſus plus, tamē eſt ſuo ueneno noxius, quàm remedio ſalutaris. Nos itaq; ut noſtrā ætatem hac tirorum inopia liberemus, & illos qui optime ſtudent conficere theriacen, ex Aegypto uſq; huiuſcemodi ſerpentes quærendi labore leuemus, quid tandem ſit tirus, aut uipera

pera,doceamus,quo quidem inuento iure poterimus gloriari,quoniam ut ex antedictis apparet de hoc animali recentiores medici nihil nisi obscurum,incertum, inconstans, & quandoq; fortuitò scriptum reliquerunt. Sed ut hijs tenebris lucem aliquam afferamus,nos uia quadam atque ordine progrediamur, & primum quid de tiro scribat Serapio uideamus.Hæc sunt huius autoris de carne tiri loquẽtis uerba. Galenus: Caro tiri calefacit, & desiccat,& resoluit fortiter,maxime quando fuerit condita cum oleo,& sale, & anetho,& porris,& aqua in quantitate necessaria,& ut quidam dicunt uirtus istarum carnium est uirtus mirabiliter prouẽniens usque ad cutem corporis,expellens inde superfluitates quæ sunt in corpore.Et reliqua quæ sequũtur. Cum hoc in loco Galenus à Serapione citetur, uidendum pariter ubi hæc uerba de tiro Galenus loquatur. Nusq; tamẽ Galenus tirum nominat,sed tantum echidnam,de qua eadem uerba libro eius XI De simplici medicina leguntur, quæ à Serapione ex Galeni testimonio scribuntur.Quæ quidem uerba ita apud Galenum in græco codice habentur: τὰς γοῦν τῶν ἐχιδνῶν σάρκας θερμαινούσας καὶ ξηραινούσας ἐναργῶς ἔστιν ἰδεῖν ἀρτυομένας, ὥσπερ ἐγχέλυας ἐλαίῳ καὶ ἄλσει καὶ ἀνήθῳ καὶ πράσῳ καὶ ὕδατι μηλονότι μετὰ τοῦ σύμμετρου, ὅτι δὲ καθαίρουσιν διὰ τοῦ δέρματος ἅπαν σῶμα, γνῶναι σοὶ πάρεστιν. Hoc est,si latine nõ tibi,sed alijs græcam linguam ignorantibus necessarium sit interpretari: Carnes igitur uiperarũ inspicere licet efficaciter calefacere atq; exiccare, si quẽadmodum anguillæ oleo,sale,& anetho,& porro condiantur, & aqua uidelicet adhibito modo. Quod autẽ etiam per cutem totum corpus expurgẽt tibi licet cognoscere. Serapio etiam in eodem capite Dioscoridem allegat de tiri carne scribentem,quæ de echidna græcus autor protulit uerba.Quæ ego uitandæ prolixitatis gratia consulto prætereo, liberum unicuiq; relinquẽs ipsa in suo loco perquirere, & facta utriusq; autoris collatione,uerum ne sit quod diximus iudicare. Recte ergo

cte ergo,ut antea scripsimus,sensit Montagnana,tirum,seu uiperam à Galeno echidnam asserens nominari, nisi quod haud fideliter marassum etiam apposuit, propter quædam alia uerba quæ eodẽ de echidna seu uipera capite Galenus
» subiũgit.Sunt autem ista: Eos qui in Roma uenantur uipe-
» ras,quos uocant Marsos,interrogaui, si quod signum habe-
» rent ostẽdere propter quod uiperæ distinguerentur. Id autẽ relatiuũ,quos,nõ uenatores,sed potius uiperas referre Montagnana uisus est existimasse,atque ideo echidnas,siue uiperas à Galeno marassos nuncupari.Sed casu potius quàm ratione,etiam errore ducente in ipsam incidit ueritatem. Quæ enim à Galeno echidnæ,siue uiperæ nominantur, sunt ueri serpentes, à nobis marassi uulgo uocitati,quod nos non temere,aut leui cõiectura,sed inexpugnabili argumento conuincimus.Aristoteles libro De historia animalium primo de echidna in hunc modum disseruit: ἀλλ' οἱ μὲν ἄλλοι ὠοτοκοῦσιν ὄφεις, ἡ δὲ ἔχιδνα μόνον ζωοτοκεῖ. Hoc est,ut Theodorus,uir græce & latine doctissimus, est interpretatus: Verum cum cæteræ serpentes oua pariant, uipera una animal gignit.In tertio quoq; eiusdẽ libri uolumine Aristoteles de partu echidnæ ita scriptitauit: ἔχει δὲ καὶ τὸ τῶν ὄφεων γένος πρός τι ταὐτὰ καὶ πρὸς ἄλληλα διάφορα; τὰ μὲν γὰρ ἄλλα γένη τῶν ὄφεων ὠοτοκεῖ, ἔχις δὲ ζωοτοκεῖ μόνον ὠοτοκήσασα ἐν αὐτῷ πρῶτα. Hoc est,ut idẽ Theodorus transtulit:Serpentes etiam tam ab hijs supradictis,quàm à se differre apertum est.Vipera animal edit postquam intra se oua peperit,cum cætera serpentium genera omnia oua edant in lucem.Quam etiam sententiã uerba illa Aristotelis ex Arabica translatione à Nicolo supra allegata de tiris intra se tenentibus oua,id est nõ parientibus extra oua,sicuti cæteræ serpẽtes,sed animalia,quãuis barbare,ac satis obscure uidẽtur innuere.Vbicunq; enim Græci autores,siue medici,siue philosophi echidnam habent,translationes Arabicæ tirum sup-

ponunt, quod multis exemplis possem demonstrare, nisi fu gerem prolixitatis fastidium. Viperam uero idem Latinis si gnificare, quod Græcis echidna æque superfluum est mul tarum translationũ testimonio probare, cum ipsa latini uo cabuli etymologia idem luce clarius manifestat: nam uipera apud nos inde nomen sortita est, quod ui parit. Echidnæ au tem partum esse uiolentũ, eidemq; bestiæ pernicioſum præ ter multos alios autores probatissimos, Nicander quoq; in suis theriacis docuit, cuius autoris super eadem re uersus à nobis in linguam latinam translatos libro de Plinij, atque aliorum medicorum erroribus inscripto inseruimus. Quare nihil aliud superesse uidetur, nisi ut uiperam esse serpentem uulgo marassum, uel scurcionem uocitatũ, ultimo loco de monstremus, quamuis & hoc ipsum sit iam magna ex par te probatum, hijs præsertim, qui marassorum naturam per fectam antea habuerunt. Quorum marassorum fœminæ, ut sensui constat, non oua ut cæteræ serpentes, sed animal pari unt, atq; etiam ui. Visæ sunt enim sæpissime ex ramo arboris alto pendentes, disrupto utero marassulos edere in lucem. Sit tamen aliquis, qui differre marassum à uipera obstinate contendat, nónne hic pertinax aduersarius, Aristotelem, totq; alios grauissimos medicos atq; philosophos, qui idem cum Aristotele de uipera prodiderunt, quiq; hanc pariendi animal proprietatem soli inter serpentes uiperæ tribuerunt, aperte mentiri faciet? Tunc non sola uipera, sed alia quoq; serpentũ species, puta marassus, animal pariet. Quare si ne fas est Aristoteli, à cuius inuentis neque natura ipsa discre pat, totq; alijs summis uiris naturæ interpretibus menda cium obijcere, possumus ita colligere: si marassi sunt genus serpentium diuersum à uiperis, non sola uipera inter serpen tes animal parit, sed sola uipera ex omnium serpentium ge nere autore Aristotele animal parit, non igitur marassi sunt

genus

genus serpentum diuersum à uiperis. Hæc quidem sufficere arbitror eruditis, ad eius rei, quam præcipue probare inten debamus, demonstrationem, tirum scilicet, uiperam, marasſ sum seu scurcionem eandem esse serpentis speciem diuersis nominibus nuncupatam, hancq; unicam apud Andromachum, Galenum, & reliquos medicos uetustissimos, qui de theriaca scripserunt, in eiusdem antidoti compositione ma xime cõmendari. Quare neque ex Aegypto tirus, tanquam nostro orbi ignotus serpens est mutuandus, neque alij tro ciſci, qui uicem trociscorum de tiro suppleant excogitandi. Sed hæc doctis, ut diximus, satis. Reliquũ est, ut etiam mul titudinis iudicio satisfaciamus: Neq; enim spero defuturos uersutos homines, ut plericq; sunt nostra tempestate, artem medicinæ plus astu quàm doctrina tractantes, qui ita aures imperitorum ludificabunt, cauete hanc omnes ueneficam Leoniceni medicinam, marassum serpentem horrendum, pestiferum, exitialem, ipso penè nomine formidandum, the riacæ pro tiro seu uipera cõmiscerí iubentis, theriacæ inquã antidoto contra serpentum ictus, atque omnia uenena à ue teribus institutæ. Quid enim hoc aliud est nisi homines no uis remedijs, atque à cõmuni usu abhorrentibus exitialiter iugulare? & longe ueneni pericula fugientibus ultro uene na porrigere? Vide quanta sit malignis hominibus apud im prudentes calumniandi facultas. Sed hanc quamuis friuo lam, tamen satis persuasibilem obiectionem Galenus no ster docta responsione anticipauit, docens in suis de theria ca tractatibus, uenenum ueneni esse remedium. Quod etiã multi alij insignes medici, quibus Plinius potest annume rari, pariter docuerunt, contra omnium serpentũ quamuis insanabiles ictus earundem serpentium exta imposita auxi liari tradentes, hydrum nulli serpentiũ ueneno inferiorem, iecur seruatum percussis ab hijs opem ferre, scorpionem tri

Venenum ueneni remedium est.

tum ſtellionum ueneno aduerſari, eundem ſcorpionem & ſuæ plagæ impoſitum, & etiam aſſum intus aſſumptum contra ſe remedium eſſe, uiperæ carnes non modo illos, quos ipſa momorderit ſanare, ſed & eos qui aliquando uiperæ iecur coctum hauſerint nunquam feriri à ſerpentibus promittentes. Sed iam plura, mi compater, quàm tu forte à me quem noſti eſſe occupatiſſimum exigebas. Ego tamen qui ſciebam me paradoxa ſcribere, coactus ſum ſicuti alienas opiniones longo ſermone deſtruere, ita propriam ſententiam prolixa oratione confirmare. Quæ ſi forte ab illis non probabitur, qui malunt didiciſſe quàm diſcere, hortaberis homines alioquin ſua etiam ſponte argumentoſos, ut noſtra ſcripta non cauillis, ſed rationibus conentur refellere, & nobis dent noſtros errores uel diluendi, uel ſaltem corrigendi occaſionem. Parati enim ſumus, quæ nos male ſenſiſſe demonſtrauerint, ſicuti philoſophos decet, retractare.

FINIS.

BASILEAE EXCVDEBAT HENRICVS PETRVS MENSE IVNIO, ANNO M. D. XXIX.